Est — 4
n° — 51

10.

S

HOMERI
ILIADIS
LIBER I. & II.
CUM SCHOLIIS
MAN. MOSCHOPULI

Hactenus ineditis,

ET ANIMADVERSIONIBUS

JOANNIS SCHERPEZEELII

Accedit

COMMENTARIUS

JOACHIMI CAMERARII.



AMSTELAEDAMI,

Apud SEBASTIANUM PETZOLDUM, clɔ Iɔ ccii.

VIRO EXCELLENTISSIMO

JOANNI GEORGIO GRAEVIO,

S. D.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

JOANNES SCHERPEZEELIUS.

REdeunt ad Te, Vir ſumme, quae mecum communicaſti, Manuelis Moſchopuli in duos priores Homericae Iliadis libros ſcholia. Cui lubentius hanc meam qualem-

cunque operam inſcriberem non erat. Quicquid enim ego hic praeſtiti a Te profectum, imo id omne Tuum eſſe, merito dixerim. Tu enim, ut horum ſtudiorum rationem ſuſciperem auctor mihi exſtitiſti atque princeps, eamque abſque Tuo hortatu, Tuaque inſtigatione nunquam forte fuiſſem ingreſſus. Accedebat propenſiſſima Tua erga me voluntas, quod aditum mihi ad Te aperires, tantaque humanitate & comitate ſemper exciperes, ut nihil ſupra. Gratulatus ſum & gratulabor mihi, quamdiu vivam, hunc honorem & illam

Tuam

Tuam facilitatem, cujus recordatio, quoties animum meum ſubit, ſubit autem quotidie, ſemper mihi eſt jucundiſſima. Quare, niſi omnino ſim ingratus & illepidus, Tibi, Studiorum meorum moderatori unico, hic debetur primus otii mei foetus, eumque in gratiſſimi animi pro tot ac tantis in me collatis beneficiis, nunquam non ſummo cum honore nominis Tui praedicandis, monumentum accipere ne dedigneris rogo. Si verum eſt, uti eſt veriſſimum, hominem a nemine majus accipere beneficium, quam a quo fiat eruditior & melior, iiſque

duobus nihil in hac vita posse comparari, sentio quam multis nominibus ego Tibi prae caeteris sim devinctus, quippe a cujus disertissimo & γλυκυτάτῳ ore aliquot annos pependi ita, ut temporis apud Te collocati capiam fructus jucundissimos. Tu solus es, qui adolescentem finxisti & formasti ad eas artes, quae vitam honestant, & in omni fortuna oblectant. Te semper eum mihi praebuisti, ut, quamvis in publicum alicujus non poenitendi nominis & gloriae theatrum essem constitutus, nunquam tamen postea destiteris saluberrimis Tuis praeceptis atque

atque monitis inflammare ad majorem laudem, & saepius in memoriam reducere illud διὲν διεξεύεαν. Nolo ego in Tuas laudes, quibus nulla unquam vetustas adferet obscuritatem, exspatiari: neque Tu, qui per universum terrarum orbem, ubi aliquis humanitati & ejus cultoribus habetur honos, es celeberrimus meoque praeconio longe major, id vis, cum unicum beneficiorum praemium in sola de illis, qui tuae fidei & disciplinae commissi fuerunt, optime merendi voluptate positum judices. Occasionem solummodo amittere nolui, qua gratae vo-

luntatis significatione publice testatum faciam, quanta Tua sint in me merita, immortalia, quibus ego remunerandis nequaquam par sim futurus, contentus gratissima memoria illa servare, colere, profiteri, ubicunque ea profitendi dabitur facultas. Deus Te, Vir maxime, hac aetate diutissime servet salvum & incolumem, bono Academiae Trajectinae, bono reipublicae literariae, cujus decus es & grande columen. Vale, & mihi in posterum quoque bene velle perge. Harderovici Gelrorum D. XIV. Aprilis. cIↃ IↃCCII.

LEC-

LECTORI
BENEVOLO
S. D.

JOANNES SCHERPEZEELIUS.

MEritiſſimo ſuo Homerus humani generis portentum vocatur. Nullius enim tantum fuit flumen ingenii, tanta orationis ſuavitas, ut cum illo comparari poſſit vel mereatur. Ego de ejus laudibus, aetate, patria, &c. nihil praefabor, cum de illis non parvos libros conſcripſerint Viri eruditi, ut nihil ſit vulgatius & ubique magis obvium. De Moſchopulo, quem mecum debes Magno Doctori meo, Joanni Georgio Graevio, Viro celeberrimo, nonnulla dicenda ſunt, quamvis non ſint magni momenti, quae mihi comperire licuit. Domo Byzantinum fuiſſe conſtat ex inſcriptione libri ejus de dictionibus Atticis. MS. innuo, cujus meminit du Cange Gloſſ. ad med.

& infim. Graecit. Ea vero haec est: Τῦ σοφωτάτου κυρίου Μανυὴλ τῦ Μοσχοπόλε Βυζαντίε, τοῦ Κρητὸς ἀνεψίε, ἐκλογὴ κατὰ στοιχεῖον ὀνομάτων Ἀττικῶν, &c. De ejus aetate discrepantes invenio sententias. Burtonus in historia linguae Graecae dicit Moschopulum unum fuisse ex iis, qui, cum Byzantium occuparetur a Mohammede, in Italiam fugerunt, anno aerae Christianae CIↃ CCCCLIII. Deploranda fuit haec clades & maximum rei literariae intulit detrimentum. Illo enim tempore plurima, omni aeternitate dignissima monumenta, incendio perierunt. Crusius vero in Turco-Graecia censet Moschopulum vixisse ante annum CIↃ CCCXCII. circa tempora Andronici Senioris. Vir summus D. Heinsius Notis in Hesiodum juniorem esse ait interprete Apollonii. Quamvis autem nihil certi definire queam, hoc tamen certum ejus scripta fuisse & esse in pretio apud viros eruditos. Multa, quae ad Grammaticam spectant, in hisce Scholiis enucleat Moschopulus. Varios vocum usus explanat. Proprias earum significationes ostendit. Differentias notat. Verba analogice resolvit. In etyma inquirit. Sed nec ideo, quamvis ita grammatice procedat, videbatur abjiciendus, cum & illis, qui solam Grammaticam profiteantur, hodie suum sit pretium. Plurima praeterea iis insperta reperies, quae Eustathius etiam, Hesychius, Etymologici Magni auctor, Thomas & alii Graeci Magistri tradiderunt. Multi supersunt ingenii Moschopu-

liani

liani sive editi, sive inediti foetus. Quorum ego memini hic subnectere & cum harum rerum studiosis communicare non ab re visum fuit.

Hic Moschopuli ἀνέκδοτος ante hunc diem commentarius in priores duos Iliados libros descriptus est ex Etymologico inedito Graeco pulcherrimo & utilissimo, quod extat in Reverendorum Societatis Jesu, quae Antverpiae est, Patrum bibliotheca. Illud cum Cl. Graevio communicarat doctissimus & celeberrimus societatis istius Presbyter Daniel Papebrochius, cujus calci annectebatur istud Moschopuli ὑπόμνημα. Cl. autem Graevius mihi ejus copiam fecit, quod non potui debere Graecae linguae studiosis. Praeter hunc librum exstat

Grammatica Graeca Basil. apud Walderum 1549. cum Gramm. Gazae. & MS. Venet. ad D. Marcum. *Isr. Spachius catalogo Philos. ac Philolog.*

De constructione nominum ac verborum, & de accentibus. Venet. 1527. 8. *Idem.*

Περὶ προσῳδίας. MS. in Bibl. Imperat. & in Bibl. Sambuci Viennae, & Paris. apud Wechel. 1544. 8. *Id.* Putem esse eundem librum, qui reperitur inter MSS. Bibl. Angl. N. 57. & 194. hoc titulo Manuelis Moschopuli exercitationes Grammaticae, τί ἐστι προσῳδία.

De Dialectis MS. Viennae in Biblioth. Imperat.

Collectanea vocabulorum. MS. alicubi in Italia. *Id.*

Ἐκλογαὶ Atticarum dictionum, sive Elegantiae. Venet.

Venet. apud Aldum. Hunc librum auctiorem citat du Cange indice auctor. ad Gloss. med. & infim Graecit. hoc titulo: Τῦ σοφωτάτυ κυρίυ Μανυὴλ τῦ Μοσχοπόλυ Βυζαντίυ, τῦ Κρητὸς ἀνεψιῦ, ἐκλογὴ κατὰ στοιχεῖον ὀνομάτων Ἀττικῶν, οἷς οἱ δοκιμώτατοι χρῶνται τῶν παλαιῶν. Ex cod. Reg. Est & inter MSS. Isaaci Vossii N. 63. Tom. II. Bibl. Anglic. p. 59.

Scholia in Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας, Venet. postea cum Procli & Tzetzae Scholiis apud Plantin. 1603. opera D. Heinsii in 4.

Scholia in Sophoclis Ajacem flagelliferum & Electram. MS. Viennae in Bibl. Imperat. *Spachius.*

Περὶ χεδῶν Paris. apud Robert. Stephan. 1545.

Traditio brevis de octo partibus orationis. Τὰ μέρη τῦ λόγυ εἰσιν ὄνομα, ῥῆμα &c. Catal. MSS. Anglic. tom. I. N. 35.

Dissertatio adversus Latinos, ibid. N. 68.

De Soloecismis, ibid.

Paraemiae vulgares, ibid.

Erotemata & alia Grammaticalia, ibid. N. 84.

Scripsit & paraphrasin in Homerum, uti discimus ex inscriptione paraphraseos Iliadis, quae est Romae in Vaticana. Inscriptio haec est: Ἰλιὰς, καὶ εἰς αὐτὴν ᾠδὴ ἑτέρα ἄλλη τῆς τῦ Μοσχοπόλυ, id est, *Homeri Ilias, inque eam alia paraphrasis, quam Moschopuli.* Wetstein de Scriptis Homeri.

Scheda Basilica, cujus auctorem putat Gesnerus Manuelem Moschopulum, impressa olim in Italia.

Italia. Quaedam ex eo libro ad constructionem pertinentia edita sunt Lutetiae apud Robert. Stephan. Exstant etiam in eum Scholia Graeca. Dubitat idem Gesnerus an diversus liber sit, qui Romae in Bibl. Pontif. exstare fertur, hoc titulo. Ἐκλογὴ καὶ σύνοψις τῶν Βασιλικῶν ξ. βιβλίων σὺν παραπομπαῖς κατὰ στοιχεῖον. ὧν περὶ πίστεως μόνου τίτλου προτεδέντος πάντων τῶν στοιχείων διὰ τὸ τίμιον. *Spachius.*

Scholiorum in Euripidem quidam Moschopulum putant esse auctorem, *Girald. de Poët. Dial. II.*

Tot mendis injuria temporum seu descriptorum scatebant haec scholia, ut vix quicquam possit esse mendosius. Nullus fere accentus aut spiritus (qui tamen, quamvis apud me haec Grammaticorum figmenta nullo numero sint, apponi debuerunt, quoniam a multis annis invaluit iste mos, & a paucissimis etiam, si non adjicerentur, Graeca hodie legi possent, tanta est Graecarum literarum hoc tempore infelicitas) suo loco secundum Grammaticorum praecepta conspiciebatur, nulla fere distinctionum habita ratio. Scabiosa vocabula, quorum ne unicum, quamvis sine omni dubio mendosum aut corruptum, omisi, ut cuivis suum relinquerem judicium, Scholiis subjeci. Certissimas quasque emendationes & conjecturas in textum recepi. Loca, quae ex Poëtis citantur, quamvis non addito illorum nomine, investigavi & adscripsi, uno aut altero tantum excepto. Habes

bes consilii mei rationem. Liber primus typis fere erat descriptus cum ecce Vir eruditissimus & mihi amicissimus J. H. Lederlinus mihi ostendit Phavorinum, cujus lexico ego antea non eram usus, multis in locis Moschopulum transscripsisse. Si mihi licuisset maturius hunc librum evolvere, correctior forte certe auctior aliquanto potuisset prodire Moschopulus. Quamvis autem nonnullis locis ex Phavorino corrigi possit Moschopulus, longe tamen pluribus ex Moschopulo corrigi, emendari, augeri potest Phavorinus, quem non hujus tantum Scholiographi, sed & Hesychii, Etymologici Magni, Thomae Magistri & aliorum scrinia compilasse & ad verbum descripsisse illi, qui eorum scripta cum hujus comparare voluerit, liquidissime parebit. Dudum jam est, quod notaverit Leopardus Emendat. lib. IX. c. 23. *Turpis menda Moschopulum de vocibus Atticis obsedit, quam auxit in Lexico suo Varinus.* Igitur haec. In Graeco Homeri textu constituendo usus sum editione Eustathii, Stephani, Porti, Castalionis, Turnebi, Parisiensi anni cIↃ IↃCXXIV. quae ad Turnebianam videtur conformata, Crispini & recentiorum. Versionem infinitis locis emendavi, mutavi, interpolavi, ut plane nova possit videri. Non ubique rationem reddidi, quare a virorum doctissimorum, qui Homerum in Latinum sermonem transtulerunt, sententia recederem, neque hoc videbatur necesse, cum multi errores essent tam manifesti, ut merito

operam

operam luſiſſe exiſtimarer. Joachimi Camerarii, Viri Doctiſſimi, commentarium in hoſce duos priores Homericae Iliadis libros, qui fuit ultimus ejus in terris conatus, huic editioni noſtrae juſſi ſubnecti, quod liber pauciſſimorum manibus verſaretur, & plurima contineret, quae ad pleniorem Homeri intellectum omnino facerent. Hiſce fruere B. L. & ſi haec non prorſus Tibi improbentur, dabo operam ut & poſthac otii mei Tibi conſtet ratio.

VETE-

DE HOMERO TESTIMONIA,

Quae vel Duportus omisit, vel post ejus tempora prodierunt.

Aelianus Lib. IX. *cap.* 15.

ARgivos totius Poëticae palmam tribuisse Homero testatur.

Agathias epigrammate apud Brodaeum p. 243.

Θεῖος Ὅμηρος, *Divinus Homerus.*

Auctor commentarii de herbis, qui Apulejo adscribitur cap. LXIV.

Nascitur (poconia) *Cretae & Siciliae montibus, quam Homerus sacer auctor libris suis inseruit.*

Apulejus apol. I. p. 46. edit. Pricaei

Omnis vetustatis certissimus auctor Homerus.

Barthius Adversar. Lib. LIII. c. 2.

Pater doctrinae Homerus.

Barnesius (Josua) de Tragoedia §. 1.

Homerus nobis statuendus est omnis poëseos fons, auctor & inventor.

Cajus JCtus l. 236. de Verb. signif.

Admonet nos summus apud eos (Graecos) *Poëtarum Homerus.*

Casaubonus Is. cap. 1. Lect. Theocrit.

Elegantiarum omnium pater Homerus.

Ciceroni de Off. III. c. 26.

Homerus optimus auctor vocatur

Clapmarius in Nobili Trienn.

In Homero, quem leges nostrae civiles omnium virtutum parentem vocant, ecquid desiderari potest? meo judicio poene nihil, quod de principum hominumque illustrium moribus, vita, bello & consiliis in medium proferri potest. Quod si Ulyssis consilia, vitam, errores, pericula, reditum animo collustres; crede mihi de omnibus in vita scopulis & calamitatibus tutissimus eris. Hunc leges & releges &c.

Colerus de studio Polit. c. X.

Poëtae tibi legendi duo sunt Homerus & Virgilius, uterque princeps & rex caeterorum.

Dem-

Dempſterus Notis ad Roſin. II. c. 16.

Homerus in perfectiſſimo illo humani ingenii opere &c.

Diacono (Joanni) in Alleg. explicat. IV. primorum verſ. Iliad. lib. IV.

Homerus παντοίας σοφίας ἴδμων, καὶ τῶν λόγων ὠκεανὸς vocatur.

Ferretius Not. in Muſas Lapidar. p. 58.

Graecorum Poëtarum eminentiſſimus facile princeps Homerus.

Friſchlinus dedicat. Callimachi

Ex uno Homero, tanquam fonte & humanae ſapientiae Oceano, pene omnium non modo virtutum ac vitiorum vivas imagines, totiuſque adeo moralis doctrinae praecepta & regulas promanare, ſed etiam reliquarum ſcientiarum ac diſciplinarum omnium, quibus humana ſapientia abſolvitur, principia certiſſima provenire, non modo Plutarchus jam olim, ſed etiam Politianus aperte demonſtrarunt.

Fungerus de pueror. diſcipl. & recta inſtitut. c. 10.

In Poëſi non parum proderit Homerus, cujus poëma velut à Muſis dictarum mira quadam ectaſi rapit ac inflammat devotos auditorum animos, &c.

Gauricius (Pomponius) de Sculptura

Homerus eſt, noſtrae deliciae, quem nunquam temere a me longius abeſſe patior.

Graevius (J. G.) Orat. de Pallad. Trajectin. p. 15.

Ingeniorum princeps Homerus, ab omni memoria omnis ſapientiae antiſtes habitus.

Id. Lection. Heſiod. c. XX.

Homerus parens omnis doctrinae & elegantiae.

Gronovius (Jac.) Exercit. de Dodone p. 4.

Pater eruditionis noſtrae Homerus.

Id. Exercit. de Juda p. 80.

Muſarum Deus Homerus.

Hoelzlinus Not. ad Apoll. Rhod. IV. 480.

Ipſe ſui candidiſſimus interpres Homerus.

Horatius Lib. I. Sat. 10. v. 52.

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero.

Juvenalis Sat. X. v. 246.

——— *Magno ſi quicquam credis Homero.*

Lipſius Epiſt. Cent. II. Miſc.

In hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur Homerus, &c.

Id. Cent. III. ad Belg. Ep. 44.

Homerus ille fons arcanae ſapientiae.

Id. praefat. diſpunct. Mir. Cod. ad Tacit. p. 6.
Poëta omnis aevi ſapientiſſimus.

Lucianus Amor. p. 890. Edit. Graev.
Κατὰ τὸν μέγαν ἀληθείας προφήτην Ὅμηρον.

Malalae in Chronogr. p. 149. & alibi
Ὅμηρος σοφώτατος dicitur.

Minucius Felix in Octav. p. 204.
Et praeclare ideo Plato Homerum illum inclytum, laudatum &c.

Ovidius Lib. 1. Amor.
Vivet Maeonides Tenedos dum ſtabit & Ida,
Dum rapidas Simois in mare volvet aquas.

Id. Lib. 11. Triſt.
——— *Indicio magni ſciremus Homeri.*

Propertius Lib. 1. Eleg. 7.
Atque ita ſim felix, primo contendis Homero.

Rittershuſius in Lib. 11. Oppian. Cyneg. v. 313.
Parens eruditionis, & fons ingeniorum Homerus.

Rutgerſius Var. Lect. V. c. 19.
Omnium gratiarum ac leporum fons Homerus.

Salisburienſis Lib. 111. Policrat. c. 9.
Homerus in illo celeberrimae perfectionis opere &c.

Scaliger (Joſ.) comment. in Catull. p. 26.
Edit. Antverp.
Homerus pater omnium Poëtarum &c.

Spanhemius (Ezech.) Not. ad Callim. Pallad. v. 101.
Homerus Theologiae graecanicae parens vel propagator. H. in Dian. v. 224. *Vatum parens.*

Theodoreto Serm. v1. p. 85.
Poëtarum πορφυρεῖος dicitur.

Victorius P. Var. Lect. Lib. xxix. c. 6.
Summus diviniſſimuſque Poëta Homerus.

AD

Clarissimum Virum,

J. SCHERPEZEELIUM,

Cum duos priores Iliadis Homericae libros cum Scholiis Moschopuli publicae luci exponeret.

Μαιονίδαο τορευτὸν ἔπος πάντες διὰ τιμῆς
Ηγαγον, ἰδρείη οἷς γε μέμηλε νόῳ.
Ποιητῶν δέ ἑ νεῖμαν ἄωτον, ὅν ποτε ῥίζαν
Αμφήλιστον ἔθενθ' Ελλάδος ἑπτὰ πόλεις.
Καὶ τὸ μὲν θ' ὑποφῆται ἰδὲ ἑρμηνευταὶ ἔφυσαν
Πολλοί. σὺ δὲ σὺ τοῖς ἔξοχος ἔπλεο ἀνὴρ,
Χαλκοτύποις φήναις σελίδεσσιν ἅ τ' ἀ τὸ πάρος περ
Εἴδομεν, ἀυξήσας τε σχολίοισι νέοις.
Μή τις ἔτ' αἰλιόφτο δυσερμήνευτον Ομηρον
Εμμεναι, ᾧ γε φέρεις τόσσον, ἄριστε, φάος.
Η ῥά κεν ἐλλογίμοις ὄφελος μέγα αὐδήσειν εἴης,
Οὓς ἔλεν Ελλαδικῆς ἵμερος ἀιπίης.

LUDOLPHUS THEODORUS
AB HOETE,

Marcâ-Westphalus.

Toparcha in Kringeldans &
West-Husen.

ELEGIDION

In primum & ſecundum Homericae Iliados librum ineditis hactenus Moſchopuli ſcholiis illuſtratum

Accurante Clariſſimo Viro

JOANNE SCHERPEZEELIO.

NOn fruſtra ſummo poſuit te ſummus Olympo
Jupiter, Aönias inter, Homere, Deas.
Quà te Mnemoſyne, Tellus, Virtuſque, Fideſque,
Natura, & Tempus, Relligioque, colunt.
Certe dignus erat ſuperorum ſede locari,
Qui vatum Clariis ora rigavit aquis.
Interea, ut poſſis mortali voce carere,
Nos grato laudes dicimus ore tuas;
Et Scherpezelius doctae non ultima turbae
Gloria, cum puro dat tibi thura mero.
Parce rudi vulgo, quod Lauri ſpernit honorem:
Sat poenae media vivere barbaria.

FRANCISCUS HESSELIUS.

HOMERI ILIADOS

A & B

Cum Scholiis

EMAN. MOSCHOPULI,

nunquam antehac editis.

ΙΛΙΑΔΟΣ Α ΟΜΗΡΟΥ

ΡΑΨΩΔΙΑΣ

Ἄλφα λιτὰς χρύσου, λοιμὸν στρατοῦ, ἔχθος ἀνάκτων.

ΜΗΝΙΝ ἄειδε Θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος

Οὐλο-

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

Ἐμανουήλου τοῦ Μοσχοπούλου τεχνολογία καὶ ἀνάπτυξις τῶν λεξέων τοῦ πρώτου βιβλίου τοῦ Ὁμήρου.

[1] Μῆνιν] ὀργίζεσθαι, θυμοῦσθαι, καὶ χολοῦσθαι ταυτὸν, πλὴν ὅτι τὰ μὲν εἰσὶ παρὰ τοῖς [1] κοινοῖς ἐν χρήσει, τὸ δὲ χολοῦσθαι ποιητικόν. Ὀνόματα δὲ αὐτῶν ὀργὴ, θυμὸς, καὶ χόλος, τὸ μὲν ἀπὸ τῆς χολῆς, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ θυειν, τὸ ὁρμᾶν, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ ἐγείρεσθαι, καὶ οἰδαίνειν. οἰδαίνει γὰρ τὴν ψυχὴν ὀργιζόμενος. Λέγεται θυμὸς καὶ ἡ ψυχὴ ποιητικῶς, κινηθεῖσα δὲ ἡ ὀργή. εἶτα μὴ ἀφε-

1. Κοινοῖς non habetur in MS. durior sermo est si non addatur.

Ραψῳδίας] Rudis olim & indigesta moles erat opus Homeri, quod, cum variis locis dispersum legeretur, a Pisistrato sic dispositum traditur, ut nunc habemus. Ex disperso hoc corpore carmina excerpebantur & contexebantur ab illis, qui virgam lauream manu tenentes eadem cantabant in theatris, & quidem alternis. Hinc a cantu & textura ΡΑΨΩΙΔΙΑΣ nomen invenit, & qui canebant ῥαψῳδοὶ dicti, non, ut Suidas vult, quod ῥάβδους ἔχοντες ἀπήγγελον, virgas tenentes recitarent, & inde ῥαψῳδοὶ quasi ῥαβδῳδοὶ dicerentur; sed ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν ᾠδάς. Hesych. ῥαψῳδοὶ ὑποκριταὶ ἐπῶν. Suidas: Ραψῳδοὶ, οἱ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐν τοῖς θεάτροις ἀπαγγέλλοντες. Eustath. Ἐξ ἑκατέρας Ὁμηρικῆς βίβλου συρράπτοντες ὡς ἐβούλοντο, ῥαψῳδοὶ ἐντεῦθεν προσηγορεύθησαν. Dicuntur ῥαψῳδοὶ ut Κωμῳδοὶ non auctores, sed actores, h. e. non qui sua, sed ab aliis composita carmina canebant. Hos & *Homeristas* vocatos fuisse scriptum reliquit Aristocles apud Athenaeum δεῖπνοσ. lib. XIV. p. m. 620. ὅτι δ' ἐκαλοῦντο οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ Ὁμηρισταὶ Ἀριστοκλῆς εἴρηκεν ἐν τῷ περὶ χορῶν. Et *Homeridas* Pindari Schol. ad Νεμ. εἰδ. β. Ὁμηρίδας ἔλεγον τὸ μὲν ἀρχαῖον τοὺς ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου γένους, οἳ καὶ τὴν ποίησιν αὐτοῦ ἐκ διαδοχῆς ᾖδον. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ οἱ ῥαψῳδοί.

Alternis dixi recitata fuisse carmina Homeri, confirmat hoc memoratus Pindari Scholiastes & Diog. Laërt. vita Solon. Segm. 57. Τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι. Est enim τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι, Homeri Poësin ordine debito consutam alternis recitare, ut exponit Leo Allatius in elegantissimo libro de Patria Homeri.

1 Μῆ-

ILIADIS HOMERI

LIBER I.

Primus liber preces Chryſae, peſtem exercitus, inimicitiam Regum (continet.)

IRam cane Dea Pelidae Achillis,

Per-

θεῖσα, ἀλλὰ παραμείνασα. Μῆνις λέγεται καὶ μένος παρὰ τὸ μένειν. ὧν τὸ μέν ἐςι κοινὸν, ἡ μῆνις, τὸ δὲ ποιητικόν· ῥῆμα δὲ αὐτῶν τὸ μηνίειν. λέγεται μένος καὶ τὸ ἔμμονον ἐν πολέμῳ ἔργον, ἀπὸ τούτου καὶ ἡ ἰσχύς. τὸ ὀργίζεσθαι δὲ εἰ ἐπιταθείη, καὶ ἀγανάκτησιν προσλάβοι [2] ἀμυντικὴν, χώεσθαι λέγεται, ἔτι ἐπισκύζεσθαι μετὰ [3] τῆς ἐπιτελέσεως. δηλοῖ γὰρ ταῦτα οὐχ ἁπλῶς τὸ ὀργίζεσθαι, ἀλλὰ μετὰ τούτου καὶ τὸ ζητεῖν ἀμύνεσθαι καὶ κακοποιήσειν. γίνεται δὲ τὸ μὲν αὐτῶν ἀπὸ τοῦ χωννύω καὶ τῶν χωμάτων, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ τοὺς κατεσχημένους τούτῳ τῷ πάθει συνάγειν τὸ ἐπισκύνιον. [4] ἐπισκύνιον δέ ἐςι τὸ μεταξὺ τῶν ὀφρύων. ταῦτα δὲ [5] ἐναποτεθέντα τῇ ψυχῇ καὶ παραμείναντα τὸ κοτεῖν ποιεῖ, καὶ τὸν κό-

2 MS. ἀμυντικήν. 3 Locus hic eſt corruptus, & qui recte ſanari poſſit nondum perſpicio. forte ſcripſit Moſchopulus ἐπὶ ἐπισκύζεσθαι μετὰ τούτου, ἐπιτελέσεως. Senſus foret pro ὀργίζεσθαι, ſi iratus animus accenderetur deſiderio ultionis, χώεσθαι dici, etiam ἐπισκύζεσθαι, idque conſummatius fore, h. e. iram ferventiorem indicare. 4 utroque loco MS mendoſe habet ἐνισκύνιον. emendandus quoque hic Heſych. Ἐνισκύνιον, τὸ ἐπάνω τῶν ὀφθαλμῶν ὀφρύδιον &c. corrupte & illic legitur ἐνισκήνιον, quod jam viderunt alii. 5. 6. MS. ἐναποτεθέντα & ἐν ὅσῳ &c.

1. Μῆνιν ἄειδε θεά] Notat Ariſtoteles Poët. XIX. Protagoram hunc primum verſum reprehendiſſe, quod Homerus imperaret Muſæ; ſed perperam. Imperativus enim non ſemper habet imperandi vim, verum & rogandi. Invocabant Muſas Poëtae cum rem reconditam & obſcuram narrare ſuſcipiebant. Philoſtrat. in Heroic. Τὴν Καλλιόπην παρακαλοῦσιν αὐτόμοιοι τῇ λέξει, *Calliopen* (Reginam illa Muſarum eſt) *invocant, ut praeſens orationi adeſſet.* Plato in Euthyd. p. 166. Edit. Ald. ὥς τ' ἐγὼ κἀκεῖνόν τε οἰόμην ἐρήσεσθαι ὑπὲρ ὑμῶν τὴν Μοῦσαν τὴν Καλλιόπην. Vertit M. Ficinus: *Quare mihi nunc, Pulcherrimum morem, Muſas memoriamque invocandas eſſe primo videor.*

Μῆνιν ἄειδε &c.] Didymus Grammaticus in hoc verſu tres notavit ero-

Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε·
Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων,

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

πότον. ἔστι γὰρ πότος ὀργὴ [6] ἐναποτεθειμένη τῇ ψυχῇ μετ' ἀγανακτήσεως [7] ἀμυντικῆς. πάλιν ἄχνυμαι, λυποῦμαι καὶ ἀλγῶ ταυτόν. τὸ μὲν παρὰ ποιηταῖς, τὰ δὲ λυποῦμαι καὶ ἀλγῶ κοινά. ὧν ὀνόματα τὸ ἄχος, ἡ λύπη, καὶ τὸ ἄλγος. εἰ δὲ [8] ἐπιταθείη τὸ ἄχνυμαι, καὶ περιττεύσειε τὴν ἀγανάκτησιν, καὶ ἄχθεσθαι λέγεται καὶ βαρύνεσθαι, καὶ ὀχθεῖν ποιητικῶς, ὃ καὶ προσοχθίζειν λέγεται παρὰ τοῖς κοινοῖς. ὧν τὸ μὲν γίνεται παρὰ τὴν ὄχθην, λέγεται τὸ δὲ παρὰ τὸ βάρος καὶ τὸ ἄχθος. διαφέρει δὲ τὸ χώεσθαι τούτων. εἰ καὶ ἀπὸ τῆς παραγωγῆς τὸ αὐτὸ δοκεῖ δύνασθαι, τοῦτο μὲν ἐπίτασιν ἔχειν ὀργῆς, ταῦτα δὲ λύπης.

Ἄειδε] ᾄδειν τὸ ψάλλειν καὶ τὸ φημίζειν, καὶ παθητικῶς ᾄδεται μέλος, ἤγουν ψάλλεται. καὶ ᾄδεται λόγος, ἤτοι φημίζεται καὶ περιλαλεῖται, ἀπὸ τοῦ ᾄδειν, τὸ ψάλλειν. Λέγεται δὲ ᾄδειν καὶ τὸ ἐμμέτρως καὶ ἐμμελῶς λέγειν. καθὸ λέγονται καὶ ποιηταὶ ᾄδειν, μετρικῆς χάριτος φροντίζοντες, καὶ ἔτι συγγραφεῖς καὶ ῥήτορες ἐν ἐπαίνοις μοίρας. τέτοις γὰρ εἰ καὶ μὴ μέτρα ἐστὶ τεταγμένα, ἀλλ' οὖν ὁ λόγος εὔρυθμος ἄλλως ἐστὶν ἐν αὐτοῖς καὶ πλησίον μέτρου.

2 Οὐλομένην] παρὰ τὸ μένος καὶ τὸ ὀλοὸν συντίθησιν ὁ Πορφύριος τὸν ὀλόμενον, καὶ τὴν ὀλομένην. ἔστι γάρ φησιν ὀλόμενος ὁ ὀλοὸν ἔχων μένος ἢ σθένος, τουτέστιν ὁ φθαρτικὴν ἀρετὴν κεκτημένος. [9] ἀρετὴ γὰρ τὸ σθένος, ὀλομένη γὰρ μῆνις, ἡ ἐξ οὐλομένου γεγενημένη. εἰ γὰρ αὐτὴ εἶχεν ὀλοὸν μένος, ἀλλ' ὁ Ἀχιλλεὺς ὁ

7. MS. male ἀμυντικῆς. 8. MS. ὀθσθείη. 9. MS. ἀριθή.

rores. primum, heptimimerim brevem contra naturam esse productam (sed tunc legebatur M. α Θ. πηλιάδεω &c.): secundum, rationem synalæphæ in quinto pede non esse fortatam: tertium, in Ἀχιλλῆος litteram unam λ scil: deesse ut dactylum inde conficeret. Gyrald. de Poët. dial. 2. Gifanius ind. Lucret. hunc versum ita legit μῆνιν ἀ. Θ. τ. Ἀχιλλῆος, & Creticum statuit.

2. Οὐλομένην Μῆνιν quod dixerit Homerus

Pernicioſam, quae ſexcentos Achivis dolores fecit:
Multas autem fortes animas Orco praemature miſit
Heroum:

χρησάμενος αὐτῇ. οὐ δοκεῖ δὲ ἀκριβῶς ἔχειν ἡ ἀπόδοσις αὕτη. Λέγεται δὲ καὶ ὠλόμενον γῆρας, καὶ ὠλομένη πενία, καὶ ὠλόμενον πάλιν ὁ Εὐριπίδης Φησίν, ἐφ' ᾧ οὖν ἔχει χώραν [10] οὐδεμίαν ταῦτα τὰ σημαινόμενα, τῷ μὲν γὰρ πάριδι σθένος οὐδεὶς μαρτυρεῖ. πενία γὰρ καὶ γῆρας πῶς ἂν εἴη κατὰ ταῦτα ὠλόμενα. εἰ δ' ἐπὶ τούτων βιάσαιτό τις τὸν λόγον, μεταφέρων τὸ σημαινόμενον ἐπὶ τῆς βλαπτικῆς ἁπλῶς ὁρμῆς καὶ δραστηριότητος, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ πάριδος κατ' οὐδεμίαν ἁρμόσειεν ἂν μηχανήν. ἔστι δὴ ταῦτα μᾶλλον ὀνόματα μετοχικὰ ἀπὸ τῆς ὠλόμην, καὶ δηλοῖ τὸν ἀπωλείας ἄξιον. ὀνόματα δὲ εἴρηται μετοχικὰ, ἀλλ' οὐχὶ μετοχαὶ, ἐπεὶ εἰ ἦσαν μετοχαὶ, ἔμενον ἂν ἐπὶ τοῦ σημαινομένου τῆς μετοχῆς, καὶ ἦν ἂν οὐλόμενος μὲν ὁ Φθαρείς, ὠλομένη δὲ ἡ Φθαρεῖσα. νῦν δὲ ἐπεὶ μετέπεσον ἐφ' ἕτερον σημαινόμενον, ἀπέζησαν καὶ τοῦ μετοχαὶ εἶναι.

Ἔθηκε] δύο εἰσὶν ἄπραι τὸ αἴρειν καὶ τὸ τιθέναι, μέσον δὲ τούτων τὸ ἐπιφέρειν. τίθεται δὲ πολλάκις θατέρα τούτων τῶν ἀκρῶν ἀντὶ τοῦ μέσου, οὐδὲν παθέων ἀποκαθίζουσα, ἀλλ' ἀγγελίας βάρος ἀραμένη μέγα ἀντὶ τοῦ ἐπιφέρουσα. καὶ ἐντᾶυθα

—— μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν,

ἀντὶ τοῦ ἐποίησεν. τὸ γὰρ γινόμενον ἤδη τελεσθὲν κεῖσθαι τίθεται. ἔστι δὴ κἀντεῦθα ἄπρα μὲν [11] τὸ ἄρχομαι ποιεῖν, καὶ τὸ πεποιηκὸς [12] ἤδη κεῖσθαι τίθημι, μέσον δὲ τὸ ποιῶ.

[3] Ἰφθίμους] ἀπὸ τοῦ ἶφι, κατὰ [13] παραγωγὴν, καὶ πλεονασμῷ τοῦ θ

Προϊα-

10. MS. ὑ δὲ μίαν. 11. in MS. bis legitur ἄκρα μὲν τὸ ἄκρα μὲν τὸ. 12. MS. ἤδει. 13. ita MS. durior videtur loquendi ratio, quam reperio quoque apud Moſchop. περὶ χιδ. p. 51. καὶ κατὰ συγκοπὴν, καὶ τρεπτῇ τοῦ ψιλοῦ εἰς δασὺ &c. & apud Nicandri Scholiaſt. ad Theriac. p. 52. Ed. Ald. κατὰ συγκοπὴν, καὶ τρεπτῇ τοῦ μ εἰς β &c. infra ad v. 600. κατὰ συγκοπὴν καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι &c.

merus ſolœciſmum commiſiſſe ſtatuit Protagoras apud Ariſtot. περὶ σοφιστ. ἐλεγχ. cap. xxv. debuiſſet autem, juxta illius ſententiam dixiſſe ὠλόμενον. Μῆνις γὰρ (κατ' ἐκεῖνον ait Ariſt.) ἄρτι ἐστί.

2. Ἄλγε' ἔθηκε] κακὰ πολλὰ αὐτοῖς εἰργάζετο, ut loquitur Ælian. V. H. I. 34. Fulgentius hunc verſum citans Virgil. contin. legit ἄλγε' ἔδωκεν. Hac locutione utitur quidem Homerus Il. α. 96. Τ'ὄφρα κ' ἀρ' ἄλγε' ἔδωκεν. Il. β. 375. & alibi. ſed hoc loco omnes, quos ego adhuc vidi, agnoſcunt ἔθηκε.

Ἡρώων, αὐτοὺς δ' ἐλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι, (Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή)
Ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε
Ἀτρεΐδης τε ἄναξ ἀνδρῶν, καὶ δῖος Ἀχιλλεύς.
Τίς τ' ἄρ' σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;

Λητοῦς

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

Προΐαψεν] ἀντὶ τοῦ βλάψασα ἔπεμψεν. ἡ προ περισσή, ὡς ἐν τῷ προλιπεῖν. γίνεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἵπτω κατὰ πλεονασμὸν τοῦ α. ἔστι δὲ τὸ ι ἀνάυξητον κατὰ Ἴωνας. τὸ γὰρ ι καὶ υ τὰ αὐτὰ μένονται ἐν τοῖς παρωχημένοις, διὰ τοῦτο ἀμετάβολα λέγεται, ὅμως μεταβάλλεις τὸν χρόνον, εἰ βραχέα εἰσὶν ἐν τῷ ἐνεστῶτι.

4 Τεῦχε κύνεσσι] τὸ πᾶσιν ἀπὸ κοινοῦ. ἵν' ᾖ, τὰ σώματα δὲ αὐτῶν ἐποίησε σπαράγματα πᾶσι τοῖς κυσὶ, καὶ πᾶσι τοῖς ὀρνέοις. ἀντὶ τοῦ πολλοῖς κυσὶ καὶ πολλοῖς ὀρνέοις. ὡς ἐν τῷ

—— θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

13 MS. mendose τὸ ὑ α. 14 MS. παρωχυμένοις. 15 Il. α. 424.

3. Πολλὰς &c.] hunc Homeri verſum malis Medicis aptare ſolebat Rex Nicocles. Expreſſit Virgil. Æn. 11. 398. *Multos Danaüm demittimus orco.* ibid. 527. & 785. Lib. x. 662. Porro hunc locum in animo habuit Eurip. Andr. 611. Ψυχὰς δὲ πολλὰς καὶ γαθὰς ἀπώλεσας, & *perdidiſti multas & fortes animas*, i. e. viros. imitatus quoque eſt Æſchyl. in ſept. contr. Theb. 328.

3. Ἄϊδι προΐαψεν] *Manibus dedit* dixit Liv. lib. 1. c. 25. vel *tartaro dedit*, ut loquitur Horat. lib. 111. carm. 7.

Προΐαψεν] quod προΐαψεν vertatur *ante tempus demiſit* reprehendit Urſinus, quia Virgil. ſimpliciter dixit *demittere* vel *mittere*; ſed male. Illud προ enim minime otioſum eſt, ſed ſuam habet ſignificationem. Recte brev. Scholiaſt. προ τῆ εἱμαρμένης. Expono *ante diem fatalem, ante tempus, præmature.*

4. Αὐτοὺς δ' ἑλώρια &c.] Virgil. IX. Æn. 485. *Heu terra ignota canibus data præda Latinis, Alitibuſque jaces.* Imitatus h. l. Æſchylus ſupplic. 807.

Αὐτοὺς] *Ipſos* puta corpora ipſorum, ita Virgil. Æn. VI. 362. *Nunc me fluctus habet*, ubi & hunc Homeri locum adducit Servius.

Ἑλώρια] multum de hac lectione dubitat H. Stephanus Vir Græce doctiſſimus; ſed obſervat Tan. Faber ad Phædr.

Heroum: ipſos autem praedam dilaniandam dedit canibus,
Alitibuſque omnibus: (Jovis autem perficiebatur conſilium)
Ex quo primum diſſederunt contendentes,
Atrideſque rex virorum, & divinus Achilles.
Quiſnam eos Deorum contentione commiſit ut pugnarent?

La-

Καὶ ἐνταῦθα γὰρ τὸ πάντες ἀντὶ τοῦ πλείους. ἐν ἄλλοις δὲ καὶ περισσὸν τοῦτο τίθησιν. ὡς ἐν τῷ

—— [16] οἱ δ' ἐννέα πάντες ἄνεσαν.

Καὶ

[17] Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασαι.

[8] Ξυνέηκε] Πλεονάζει ἐν τούτῳ τὸ η ποιητικῶς, ὡς καὶ ἐν τῷ εἶπε. οὐχ οἱ ποιηταὶ δὲ μόνον χρῶνται τῇ τοιαύτῃ προσθήκῃ ἐπὶ τοῦ ἀορίστου, ἀλλ' ἤδη καὶ οἱ Ἀττικοὶ, εἴγε τὸ ἀνέῳξα Ἀττικόν, πλεονάζουσι μέν τοι ἐν τῷ τοιούτῳ οἱ ποιηταὶ κατὰ τὸν ἀόριστον. ἐπὶ δὲ τοῦ παρακειμένου καὶ ἐπὶ τοῦ παρατατικοῦ πολλὴ τοῦτο καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἡ χρῆσις.

Νῶϊν

16 Il. ι. 161. 17 Il. ο. 189.

Phædr. III. 17. eam eſſe liquidarum literarum naturam, ut ſyllabam per ſe brevem efficere longam poſſint, & contra. Inde eſſe quod apud Homer. Μίλη producatur Hymn. in Mercur., & ἰλάσεια hoc loco. Dudum ante Fabrum idem obſervavit Jac. Gretſerus Inſt. Ling. Gr. lib. VII. cap. 3. quod poſtea deprehendi.

5. Οἰωνοῖσί τε πᾶσι] Male Zenodotus apud Athenæum Οἰωνοῖσί τε δαῖτα, vide Camerar. adde & Suidam voce δαιτά.

Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή] *Fatum* vocabant antiquiſſimi conſilium Jovis, quo regerentur omnia. Iraque apud Homerum cum legerent Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, *fatum* intelligebant: Murerus ad Senec. de provid. Vide & Lipſ. introd. in Phyſiol. Stoic. I. 12. Ovid. Metam. VIII.

--- *Quicquid ſuperi voluere peractum eſt.*

Duport. Quod Homero h. l. eſt Διὸς βουλή, idem Heſiodo ἔργ. καὶ ἡμ. v. 105. dicitur Διὸς νόος.

8. Τίστ' ἄρ' σφῶϊ &c.] Expreſſit hunc locum Statius Theb. VI. 374.

--- *Quiſnam iſte duos, fidiſſima Phœbe*
Nomina, commiſit Deus in diſcrimina
Reges.

Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός. ὃ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακὴν, (ὀλέκοντο δὲ λαοὶ)
Οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα
Ἀτρείδης. ὃ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν,
Λυσόμενός τε θύγατρα, φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα,
Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Χρυσέῳ

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

10 Νοῦσον κακήν] ἐξαιρέτως ἀντὶ τοῦ πάνυ βαρείαν, καὶ κάκωσιν πολλὴν ἔχουσαν. οὐ γὰρ κακὴν αὐτὴν λέγει, ὅτι δύναται εἶναι καὶ μὴ κάκωσιν ἔχουσα. νόσος κακὴ τὸ ἐναντίον τῷ ἀγαθῷ ἀπὸ τοῦ [18] κακοῦν. κακὸς δὲ ὁ μετέχων κακοῦ, τουτέστι τρόπου κακωτικοῦ, ἢ δυνάμεως κακωτικῆς. ὥσπερ ἀγαθὸς ὁ μετέχων τρόπου [19], ἢ δυνάμεως ἀγαθῆς. λέγεται κακὸς καὶ ὁ δηλὸς διὰ τὸ [20] κακῶσαι τὴν ψυχήν.

Ὀλέκοντο] ἀπὸ τοῦ ὀλώλεκα. ἐνεστὼς ὀλέκω, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ δέδοικα [21] δεδόκω.

11 Τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα] ἢ ἄρθρῳ ὁ λόγος ἐκλείπει, ἢ ἀντιστρόφως λέγεται. ἐπιθέτου γὰρ ὄντος καὶ κυρίου, καὶ ἔτι ἄρθρου, εἰ μὲν σὺν τῷ ἐπιθέτῳ τὸ ἄρθρον κεῖται, συνυπακούεται αὐτῷ καὶ τὸ κύριον, καὶ καταλλήλως ὁ λόγος ἔχει. εἰ δὲ τὸ κύριον αὐτὸ λάβοι, οὐκέτι τὸ ἐπίθετον συνυπάγεται. ἀπαιτεῖ γὰρ τὴν ἀναφορὰν τοῦ ἄρθρου, ἧς αὐτὸ μᾶλλον χρήζει ἢ τὸ κύριον, διὸ [22] μετ' αὐτοῦ τὸ ἄρθρον ἔχον [23] συνεπάγει τὸ κύριον, καὶ ἐντελῆ

18 MS. Κακακοῦν. 19 deest vocabulum lege ὁ μετέχων τρόπου ἀγαθοῦ, ἢ δυνάμεως &c. 20 MS. κεκακῶσαι. 21 an non δεδοίκω, quod legitur apud Theocrit. Id. xv. v. 58. 22 MS. μεθ' αὐτοῦ, 23 MS. συνηπάγει.

11. Ἀρητῆρα] Sacerdotem dixit quasi precatorem, quod hoc genus rebus divinis & precibus ac votis curare soleat. Camerar. Factum esse sive novum hoc vocabulum monet Aristot. de A.P. cap. 21. idque Homerum finxisse pro ἱερέα.

13. Ἄποινα] Τὰ ἐπὶ ἐλευθερίᾳ διδόμενα. Thomas Magister: Λύτρα καὶ σῶστρα, λογογράφοι, ἄποινα δὲ ποιηταί. εἰσὶ δὲ ταῦτα τὰ ἐπὶ ἐλευθερίᾳ διδόμενα.

14. Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν &c.] Recte ita veteres libri. Expono *infulas* vel *vittas*, sive *velamenta habens in manibus longe jaculantis Apollinis, eximio cum ramo* (lauri.) De supplice enim hic sermo. Gloss. Phil. στέμματα, *infulæ*. Exod. στέμμα,

Latonae & Jovis filius. hic enim regi iratus,
Morbum per exercitum excitavit noxium, (peribant autem populi)
Quoniam Chryſen contumelia affecit ſacerdotem
Atrides. hic enim venerat celeres ad naves Achivorum,
Redemturuſque filiam, ferenſque infinitum precium liberationis,
Infulas habens in manibus longe-jaculantis Apollinis,
Eximio

ποιεῖ τὸν λόγον. ἔφην μέν τοι καὶ σὺν αὐτῷ κυρίῳ ὀφεῖλον μετὰ τῆ ἐπιθέτῳ κεῖσθαι, ἢ ἕτερον ἄρθρον δεῖ συνυπακούειν τῷ λόγῳ. ἵν' ᾖ τὸν χρύσην, τὸν ἀρητῆρα. εἰ δὲ [24] κατ' εὐθεῖαν ὁ λόγος λέγεται, δύναται καὶ μετὰ κυρίου τὸ ἄρθρον [25] ἔχειν, καὶ ἐντελῶς ἔχειν ἄλλον τρόπον. ἔςω μὲν κύριον ὄνομα Πέτρος, ἔςω δὲ καὶ ἐπίθετον Χαλκεὺς, καὶ ἄρθρον τὸ ὁ. εἶτα τεθεάσθω μετὰ τῆ κυρίῳ τὸ ἄρθρον, ἵν' ᾖ, ὁ Πέτρος Χαλκεὺς, καὶ ἔχῃ ὁ λόγος ἐντελῶς. συνυπακουόμενον γὰρ ἔχει ἐξ ἀνάγκης ὑπαρκτικὸν ῥῆμα, καὶ δύναται ταυτὸ τῷ, ὁ Πέτρος χαλκεύς ἐςιν. ἐπάγεται πράξις τις, ἀλλ' οὐχ ὡς πρότασις μόνον τοῦτο λαμβάνεται, οὐκ ἔτι οὐδ' οὕτως ἐντελῶς ἔχει. οὐ δύναται γάρ τις λέγειν, ὁ Πέτρος χαλκεὺς ἐποίησε τόδε.

[12] θοὰς ἐπὶ νῆας] θοὰς ναῦς λέγει τὰς ταχείας, ἢ τὰς ἐπιμήκεις καὶ ὀξείας τῷ σχήματι, ἃς καὶ μακρὰς λέγουσι πρὸς ἀντιδιαςολὴν τῶν ςρογγύλων.

[13] θύγατρα] Τὴν θυγατέρα, ἀναβιβάζει δὲ τὸν τόνον διὰ τὸ πάθος. [26] ὡς τὸ καὶ ἐπὶ τὸ βλήμενος, τὸ μὲν ἀντὶ τοῦ βεβλημένος, τὸ δὲ ἀντὶ τοῦ ἐφθιμένος.

Ape-

24. MS. καθ' ἰυθεῖαν. 25. MS. ἰχει. 26. Hunc locum corruptum ita legendum cenſeo: ὡς ἐπὶ τὸ φθίμενος καὶ ἐπὶ τὸ βλήμενος, τὸ μὲν ἀντὶ τοῦ βεβλημένος, τὸ δὲ ἀντὶ τοῦ ἐφθιμένος.

σίμμα, velamentum. Gloſſ. Cyr. *infula*, σίμμα. χρύσεος aureus, *eximium*, *pulcrum* notat apud utriuſque Linguæ ſcriptores. σκῆπτρον, δάφνης ἔζον *lauri ramum* interpretatur Heſiodus Theog. 30. καί μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἐριθηλέος ἔζον, *& mihi ſceptrum dederunt, lauri perviridis ramum.* Hunc locum optime omnium interpretatus eſt Ovidius lib. 11. de Art. Am.

Audierat lauramque manu vittaſque ferentem
Pro nata Chryſen non valuiſſe ſua.

Recte Stephanus exponit laurum & vit-

Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ· καὶ ἐλίσσετο πάντας Ἀχαιοὺς,
Ἀτρείδα δὲ μάλιστα, δύω κοσμήτορε λαῶν·
Ἀτρεῖδαί τε, καὶ ἄλλοι ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ,
Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι.
Παῖδα δέ μοι λύσατε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθε·
Ἁζόμενοι Διὸς υἱὸν ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα.
Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοὶ,
Αἰδεῖσθαί θ' ἱερῆα, καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα·

Ἀλλ'

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

Απερείσια] ἀπὸ τȣ̃ ἀπειρέσια, καὶ κατὰ μετάθεσιν ἀπερείσια, ἀντὶ τȣ̃ πλεῖςα, ἢ [27] ὑπερβαλλόντως πολλά.

16 Κοσμήτορε λαῶν] Κοσμήτωρ ὁ παιδεύων καὶ τάττων ἐν κόσμῳ, ἤτοι τάξει. ἤγουν ὁ βασιλεὺς, καὶ ἐγκωμιαςής. ἐνταῦθα τὸ πρότερον.

17 Εϋκνήμιδες] ἀντὶ τοῦ ἔυοπλοι. εὐφυῶς ἔχοντες ἐν τοῖς ὅπλοις, ἤτοι πολεμιςαὶ, ἀπὸ μέρȣς τῆς πάσης ὁπλίσεως νοȣμένης.

20 Λύσαιτε] ἀντὶ τȣ̃ λύσατε. τὸ εὐκτικὸν ἀντὶ προςακτικοῦ.

22 Επευφήμησαν] ἀντὶ τοῦ ἐπεβόησαν. ὡς εὔκαρπον θέρος παρὰ Σοφοκλεῖ ἀντὶ τοῦ καρποφόρον, καὶ [28] εὔκερως ἄκρα ἀντὶ τοῦ κερασφόρος ἁπλῶς.

27. MS. mendose habet ὑπερβαλλόντος καλλὰ. 28. MS. ἐυκαιρως sine sensu. ex sequenti κερασφόρος patet esse legendum ἔυκερως. Veteres αι pronunciasse ut ε (& contra ε ut αι, de quo ad v. 125. dicam) ex hoc & aliis locis manifestum est. Sic infra ad v. 293. MS. habet αἴσθλος pro ἔσθλος. ad v. 469. πράξαισι pro πράξεσι. vide & CL. Jensium in elegantissimis Lectionibus Lucianeis lib. III. c. 9. ubi Hesychium quoque hac in re errasse ostendit.

tas *Laurum vittatam*. Insignia enim supplicum sunt laurus sive oliva & vittæ, sive rectius *ex illis ramus laneis vittis redimitus*, qui ἱκετηρία Græcis dicitur. Plutarch in Thes. p. 7. κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ κατεςεμμένος, *ramus sacræ oleæ alba lana obvolutus*. Æschines in Apolog. apud Suid. & Harpocrat. ἱκετηρία καλεῖται κλάδος ἐλαίας ςέμματι ἐςεμμένος. Scholiast. Aristoph. in Plut. p. m. 21. ἱκετηρία κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ πεπλεγμένος. in eandem sententiam scribit Moschopul. περὶ σχεδ. p. 168. Tali ramo ipsi supplicabant Apollini, quanto magis ergo debebat commoveri Agamemnon cum divino honore eum prosequeretur Chryses. Egregie quoque huc facit locus Val. Flacc. IV. 548.

--- *Hic demum vittas laurumque capessit*
Numina notæ ciens.

14. Ἐκη-

Eximio cum ramo *(Lauri)* & ſupplex oravit omnes Achivos,
Atridas autem imprimis, duos duces populorum.
Atridaeque, & alii bene-ocreati Achivi,
Vobis quidem Dii dent, coeleſtes domos habentes,
Excindere Priami urbem, feliciter vero domum reverti.
Filiam autem mihi liberate dilectam, & hoc pretium liberationis accipite,
Reveriti Jovis filium longe-jaculantem Apollinem.
Tunc alii quidem omnes comprobarunt Achivi,
Reverendum eſſe ſacerdotem, & ſplendidum accipiendum pretium liberationis:

At

23 δέχθαι] ἀντὶ τοῦ δεδέχθαι. ἔςι τῶν Ἰώνων. παρ' αὐτοῖς γὰρ 29 ὀδὲν ῥῆμα ἐπὶ τῶν παρῳχημένων τὴν ἄρχεσαν ἄυξει κατ' ὀδεμίαν ἀυξησιν. τὰ μὲν ὄν μὴ κατ' ἀναδιπλασιασμὸν ἄυξοντα, ὡς ἐνταῦθα τὸ δέχεσθαι, ἄρσιν λέγεσί τινες παθεῖν ἴσως ὀ καλῶς. ἄρσις γὰρ παρὰ τὸ αἴρειν. αἴρεται γὰρ τὸ ὄν, οὐχι τὸ μὴ ὄν. τὸ δέχεσθαι δὲ οἱ Ἴωνες ὀκ ἀπὸ τοῦ δεδέχθαι ποιοῦσιν αἴροντες τὸν ἀναδιπλασιασμὸν, ἀλλὰ τὸν ἐνεσῶτα ἀναύξητον κατὰ τὴν αὐτῶν συνήθειαν Φυλάττοντες, μὴ προχωρησάσης δὲ αὐξήσεως κατὰ τὴν ἀρχὴν, ἄρσις αὐτῆς πῶς ἂν εἴη, εἰ μή τις (ὡς τὴν ςέρησιν λέγεσιν οὐκ ἐπὶ τῶν γεγονότων ἐξ ἀνάγκης ὅταν ἀφαιρεθῇ, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ μὴ ἔχοντος ἁπλῶς ὁ ὤφειλεν ἔχειν, εἰ καὶ μηδέποτε τοῦτο ἔσχεν) ἕτω καὶ τὴν ἄρσιν λέγοι ἐπὶ τῶ ὀφείλοντος παρεῖναι, εἶτα μὴ παρόντος, οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ τοῦ 30 προγεγονότος, εἶτα ἀφαιρεθέντος. Ἀφεί]

29 MS. ὃ δὲ. 30 MS. προσγεγονότως.

14. Ἑκηβόλε Ἀπόλλωνος] Apollo ſagittandi peritia inſignis eſt apud Poëtas, unde ἑκηβόλος & ἑκατηβελέτης iis vocatur. Hinc in tabula Heliaca antiquo marmore ſolis effigiem repræſentante Apollo ornatus conſpicitur pharetra & arcu. Sed Apollinem eundem eſſe, qui Belus in S. S. dicitur, aſſerit Thyſius in exercit. Miſc., atque inde ſagittarium finxiſſe antiquos, quod Græcis βέλος ſagittam notet.

18. ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν] Forſan hunc locum reſpexit Euripid. Helen. 1421. θεοὶ δὲ σοί τε δοῖεν. Et Horat, Sat. II. 3.

--- *Maxime Regum*
Di tibi dent capta claſſem reducere Troja.

Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες] Recte omnes interpretes *habentes*, ſi modo recte intelligatur. ἔχειν enim hic κατοικεῖν ſignificat, ut Latinorum *habere* ſæpe *habitare* notat.

20. π. δ. μειλύσασθε] obſerva Scholiaſten in ſuo libro legiſſe Λύσασθε. Apion & Herodorus, quorum meminit Euſtathius ad h. l., legunt Λῦσαι τε, & δοῖεν repetunt ἀπὸ κοινῆς. ut ſit, δοῖεν θεοὶ τὸν τε παῖδα λῦσαι καὶ τὰ δῶρα λαβεῖν.

22. Ἐνθ' ἄλλοι &c.] Expreſſit h. l. Virgil. Æn. I, 559. --- *Cunctiſ*

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ἤνδανε θυμῷ,
Ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε,
Μή σε, γέρον, κοίλῃσιν ἐγὼ παρὰ νηυσὶ κιχείω
Ἢ νῦν δηθύνοντ', ἢ ὕστερον αὖτις ἰόντα,
Μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον, καὶ στέμμα θεοῖο.
Τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν,
Ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Ἄργεϊ τηλόθι πάτρης
Ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

Ἀλλ'

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

25 Ἀφίει] ἀναύξητον καὶ τοῦτο. ὤφειλε γὰρ ἠφίει. ἐνεσὼς ἀφίημι, παρατατικὸς ἠφίην, ὡς ἐτίθην, τὸ τρίτον ἠφίει, λέγεται μὲν ὃν τὸ ἠφίει ἐπὶ φωνῆς καὶ βέλους καὶ τοῦ ἀπολύειν, [31] καὶ τὸ καταλιμπάνειν τὸ ἐν διαθήκης, ἢ κατ' ἄλλον τινὰ τρόπον. ἐνταῦθα δὲ ἀντὶ τοῦ ἀπέπεμψε λαμβάνεται.

Κρατερὸν [32] μῦθον] ἤγουν ἐπίταγμα δυναστείας, καὶ [33] ἐπικρατείας ἐχόμενον. οὐ γὰρ ἰσχυρὸν τὸ ἐπίταγμα λέγει ὅτι δικαιολογίαν τινὰ καὶ ταύτῃ ἰσχύει, καὶ δύναται πείθειν· ἀλλ' ὅτι μετ' ἐξουσίας λέγεται, καὶ τὴν ἰσχὺν τῇ δυνάμει τοῦ λέγοντος περιγράφει.

29 Πρίν [34] μοι καὶ γῆρας ἔπεισιν] οὐ περιττὰς ὁ κω, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ καὶ ταῦτα. ἵν' ᾖ, καὶ ταῦτα πρότερον, πρὶν ἐπ' αὐτὴν τὸ γῆρας ἐλεύσεται. τοιοῦτον καὶ ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ τὸ [35]

Ἦ δὴ ἀλιτρός γ' ἐσσὶ, καὶ οὐκ ἀποφώλια εἰδώς.

ἀντὶ τοῦ καὶ ταῦτα οὐκ ἀπαίδευτος ὤν. εἰ γὰρ μὴ ὄτω ληφθείη, ἐναντίος ὁ λόγος δοκεῖ. τὸ πρὶν ὅτε τὸ πρότερον δηλοῖ, ἢ

31 MS. Καὶ τὸ καταλυμπάνειν. 32 MS. Καρτερὸν. 33 MS. ἐπικρατῶς.
34 ita est in MS. 35 Odyss. ε. 182.

--- -- *Cuncti simul ore fremebant Dardanide*, i. e. omnes assentiebant. Cic. pro Arch. *Nostri illi fortes viri .... magno illud clamore approbaverunt.*

25. Ἀλλὰ κακῶς ἀφίει] τετέχνη, ἀγελαίως καὶ αὐθαδῶς, καὶ παρὰ τὸ πρέπον ποιῶν, Brodæus Misc. VI. 31. ex Plutarcho de aud. Poët. p. 19. B.

28. Μὴ νύ τοι &c.] Optime expressit h. l. Virgil. Æn. II. 430.

--- --- *Nec te tua plurima Panthu Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.*

31. Καὶ

At non Atridae Agamemnoni placuit prae irâ,
Sed contumeliose dimisit, & insuper dura verba dixit,
Ne te, senex, cavas ego apud naves offendam,
Vel nunc remorantem, vel posthac reversum,
Ne tibi non prosit ramus (*Lauri*) & infula Dei.
Hanc autem ego non liberabo antequam ipsam vel senectus adeat,
Nostra in domo, Argis, procul à patria
Telam percurrentem & meum lectum participantem.

Sed

μόνον ἐςὶ, καὶ μετὰ παρεληλυθότος ἁπλῶς ὁριςικοῦ λέγεται, οἷον

[36] Πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' [37] ἀνθρώπων.

ἢ καὶ ἕτερον πρὶν ἔχεις ἐπαγόμενον, ὅτε τοῦτο μὲν πρὸς τὸ ἐπαγόμενον ἔχει ἀφορῶσαν τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἐπὶ παρεληλυθότος λέγεται, καὶ ἐπὶ ἐνεςῶτος, καὶ ἐπὶ μέλλοντος. τὸ [38] πρὸ τοῦ δηλοῖ ἐξ ἀνάγκης, καὶ εἰ μὲν μόνον ἐςὶν, ἀπαρεμφάτῳ πάντως συντάσσεται, ἢ ὁριςικῷ. ὡς ἐνταῦθα

—— Πρίν [39] μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν.

εἰ δὲ μετὰ τοῦ ἂν, ὑποτακτικῷ ἢ εὐκτικῷ. ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ

—— Πρὶν ἂν τί δράσῃς.

ἐν τούτοις γὰρ εἰ καὶ [40] ἕτερον πρὶν κεῖται πρότερον ἐνεργείᾳ, ἄλλο δυνάμει κεῖται, καὶ πρὸς τὴν ἔννοιαν ἐκείνου τοῦτο ἀφορᾷ, καὶ [38] τὸ πρὸ τοῦ δηλοῖ, καὶ ἀεὶ δύναται τὸ πρότερον πρὶν μὴ παρεῖναι ἐνεργείᾳ, ἀλλὰ συνυπακούεσθαι. οἷον, οὐ ποιήσω τόδε, καὶ οὐ φησὶν ἀνήσειν πρὶν ἂν τόδε ποιήσῃ, τουτέςιν οὐ πρὶν ἀνήσειν φησίν.

Ἀντι-

36 Locus est Hesiod. Εργ. καὶ Ημερ. 90. 37 MS. habet ἀνον. Leg. ἀνών. ita per compendium scripserunt pro ἀνθρώπων. Gloss. Cyr. *conventus*, σύνοδος, ἀνὼν συνέλευσις. Schol. Nicandri ad Ther. p. 40. Ed. Ald. Ἄφρονες οἱ ἄνοι ὀκνηροὶ ὄντες. eadem pag. paulo ante bis occurrit. 38. MS. τὸ πρὸ τοῦ. 39. MS. pessime hic ut supra μοι. Moschopulus scripsit μιν, quod ex ipsius expositione patet. 40. MS. εἰ καὶ μὴ ἕτερον πρὶν &c. delevi negativam, quæ male additur.

31. Καὶ ἐμὸν λέχος &c.] ἡ ἀντιῶσα τὸ λέχος (*cubile veste consternens*, ut loquitur Catull. in nupt. Pel. & Thet. 163.) opponitur uxori legitimæ, quod Homerus hic λέχος ἀντιᾶν dicit Theocr. Id. VI. 33. ςορέσαι, tribuiturque illis concubinis, quæ in bello capiuntur, & jure gentium victoris fiunt. Observavit hoc

Ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε, σαώτερος ὥς κε νέηαι.
Ὡς ἔφατ'. ἔδδεισεν δ' ὁ γέρων, καὶ ἐπείθετο μύθῳ.
Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.
Πολλὰ δ' ἔπειτ' ἀπάνευθε κιὼν ἠρᾶθ' ὁ γεραιὸς
Ἀπόλλωνι ἄνακτι, τὸν ἠΰκομος τέκε Λητώ.

Κλῦθί

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

31 Ἀντιόωσαν] ἀντὶ τοῦ δεξιουμένην καὶ τιμῶσαν, ἀπὸ τοῦ[41] ὑπαντᾷν καὶ δεξιοῦσθαι κατὰ μετάληψιν. ἀντιῶ ἀντὶ τοῦ συναντῶ, καὶ ἀντιῶ τὸ[42] ὑπαντῶ, καὶ ἀπὸ τούτου δεξιοῦμαι καὶ τιμῶ, διὸ καὶ πρὸς αἰτιατικὴν λέγεται, ὡς τὸ δεξιοῦμαι. ὡς καὶ παρὰ Πινδάρῳ[43]

Ἑκόντι τοίνυν πρέπει
Νόῳ τὸν εὐεργέταν
Ὑπαντιάσαι,

ἤγουν τιμῆσαι, καὶ πολλὰ ἕτερα ὡς ἔοικεν ἑταίρως συνταττόμενα. εἰ ἐφ' ἕτερα μεταλαμβανόμενα συμβαίνει τὴν τῶν ἐφ' ἃ μεταλαμβάνεται ἀναδέχεσθαι τὴν σύνταξιν, καὶ πρὸς μέλος ἠντίασαν, ἀπὸ τοῦ[44] ἀντιάζω, ἀπήντησεν. οὐ τὸ ἀντιῶ δὲ ἢ τὸ ἀντιάζω διάφορα ἔχει σημαινόμενα, ἀλλ' αἱ συνυπακουόμεναι προθέσεις κατὰ τὴν τῶν ποιητικῶν συνήθειαν. ἐνίοτε μὲν γὰρ συνυπακούεται ἡ ὑπὸ, καὶ δηλοῖ τὸ ὑπαντᾷν. ἐνίοτε δὲ ἡ συν, καὶ δηλοῖ τὸ συναντᾷν. ἔστι δὲ ὅτε ἡ ἀπὸ καὶ δηλοῖ τὸ ἀπαντᾷν. ταῦτα δὲ διαφέρουσιν ἀλλήλων κατὰ τὰς διαφόρους τῶν προθέσεων δυνάμεις.

Σαώτερος] ἀντὶ τοῦ σῶος, ἤτοι ἀβλαβὴς, ἀζήμιος.

32 Νέεαι[45]] ἔομαι ἐνεστὼς, ὑποτακτικὸν ἔωμαι, τὸ δεύτερον ποιητικῶς ἀπὸ τοῦ τρίτου ἐκβολῇ τοῦ τ. λέγεται δὲ ἐνταῦθα νέεαι ἀντὶ τοῦ ἀπέλθῃς, ἐνεστὼς ἀντὶ τοῦ ἀορίστου.

41. MS. ὑπατᾷν. 42. MS. ὑπατῶ. 43. Locus Pindari legitur Pyth. Od. v. ἀντιστρ. κωλ. ιδ. sed sine sensu & mendose in MS. ita scribitur.

ἑκόντι τοίνυν πρέπειν ὀωτὸν
εὐεργέτην ὑπαντιάσαι.

44. MS. ἀντίζω. 45. Corruptissime ita hic locus, uti eum exhibui, in MS. legi-

hoc ad Theocrit. Vir Clarissimi nominis D. Heinsius. Vide & Virgil. Æneid. III. 319. & seq.

36. Ἀπόλλωνι ἄνακτι] Ἄναξ est quasi epitheton Apollinis, & absolute sæpe ita vocatur non addito nomine, ut apparet

Sed abi, ne me irrites, ſalvus ut redeas.
Sic dixit: timuit autem ſenex, & paruit mandato.
Ibat autem tacitus juxta litus undiſoni maris.
Multum autem poſtea ſecedens precabatur ſenex
Apollinem regem, quem pulchricoma peperit Latona:
Au-

34 Ἀκέων] τοῦτο καὶ τὸ ἀπὸ τούτου ἐπιῤῥῆμα τὸ ἀκὴν, οὐ σιωπὴν ἁπλῶς δηλοῖ, ἀλλὰ σιωπὴν μετ' ἐκπλήξεως. ἐν γὰρ τῷ
46 οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.
εἰ σιωπὴν ἁπλῶς ἐσήμαινε τὸ ἀκὴν, περιττὸς ἂν ἔκειτο καὶ ἀδολεσχίαν ὁ λόγος ἐπαχθῆ εἶχε. νῦν δὲ σιωπὴν δηλοῖ μετ' ἐκπλήξεως, καὶ ἔχει ὁ λόγος οὗτος. οἱ δ' ἄρα πάντες ἐν σιωπῇ ἐγένοντο 47 κατ' ἀφωνίαν ἐκπληκτικήν, κυρίως μὲν οὖν ἐπὶ τούτου σημαινομένου τίθησιν αὐτὰ Ὅμηρος. καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ σιωπῶντος, ἁπλῶς ἐστιν ὅτε τὸ ἀκέων λαμβάνει. ὡς 48 ἐρίζειν μὲν κυρίως τὸ 49 φιλονεικεῖν λέγει, εἰ καταχρηστικῶς καὶ τὸ ἐν πολέμῳ μάχεσθαι, καὶ ἐπ' ἄλλων πολλῶν ποιεῖ τὸ τοιοῦτον.

Παρὰ θῖνα] 50 παρὰ ἐνταῦθα τὸ πλησίον, οὐ μετάβασιν ἀπὸ τόπου εἰς τόπον.

Πολυφλοισβοῖο] φλοῖσβος, ποία φωνή; ἀπὸ τοῦ ἤχου πεποιημένη, ὃν ποιεῖ τὸ κῦμα ἐπικλυζόμενον καὶ ὑποχωροῦν, ἀφ' οὗ πολύφλοισβος θάλασσα, ἡ συνεχῆ ἦχον δηλοποιοῦσα τῇ παρὰ τῷ αἰγιαλῷ ἐπικλύσει.

Ἀμφι-

tur. Repono: Νέηαι] νέομαι ἐνεστὼς, ὑποτακτικὸν νέωμαι, τὸ δεύτερον ποιητικῶς ἀπὸ τοῦ τρίτου ἐκβολῇ τοῦ τ. λέγεται δὲ ἐνταῦθα νέηαι ἀντὶ τοῦ ἀπέλθῃς, ἐνεστὼς ἀντὶ τοῦ ἀορίστου. Neque potuit aliter ſcripſiſſe ſcholiaſtes quam νέηαι, (quamvis utroque loco ſit νέεαι) cum ex *ipſius* ſententia ſecunda formetur a tertia ejecto τ. 46 ιλ. γ. 95. 47. MS. κατὰ φωνείαν. 48. MS. ἐρέζειν. 49. MS. φιλονίκειν. 50. MS. ἀρὰ.

apparet ex hymnis in ejus laudem conſcriptis aliiſque monumentis. Vide Perilluſtrem Spanhemium ad Julianum p. 356. & ad Callimach. H. in Apoll v. 79.

37 ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας] Unde & Apollinis urbes dicuntur Ovidio Metam. XIII. 173.

Me credite Lesbon
Me Tenedon, Chryſenque, & Cillan Apollinis urbes,
Et Syron cepiſſe.

Ipſe Apollo apud Ovid. Metam. I. 515.

Mihi

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ, ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις,
Σμινθεῦ· εἴποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα,
Ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων, ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ;
Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.
Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος. τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων.
Βῆ δὲ κατ' οὐλύμποιο καρήνων χωόμενος κῆρ,
Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.

Ἔκλαγ-

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

37 Ἀμφιβέβηκας] περιέπεις. ἀπὸ τῶν [51] ὑπολέμῳ τῶν πετρωμένων, ἢ πεφονευμένων. τῶν μὲν ἵνα μὴ συληθῶσι, τῶν δὲ ἵνα μὴ φονευθῶσιν.

39 Σμινθεῦ] ἐν τῇ χρύσῃ φασὶ τὸ τοῦ σμινθέος Ἀπόλλωνος ἦν ἱερὸν καὶ τὸ σύμβολον τὸ τὴν [52] ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος σῶζον, ὁ μῦς ἐπέκειτο τῷ ποδὶ τοῦ ξοάνου.

40 Ἔκηα] κάω, καύσω, ἔκηα. ὡς χέω, ἔχεα, πλὴν ὅτι τὸ ἔκηα αὔξει τὴν παραλήγουσαν, ὡς τὸ ἔψηλα. ἔκηα ποιητικὸν, ἔκαυσα κοινόν.

41 Κρήηνον] κραίνω, κρανῶ, ἔκρηνα, κρῆνον, καὶ πλεονασμῷ

51 Lego: ἀπὸ τῶν ἐν πολεμῷ τῶν τετρωμένων &c. 52. MS. ἐτιμότητα.

Mihi Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Pataraeaque regia servet.

Urbium enim præsides erant Dii. Neptunus Horatio vocatur 1 carm. 28. *Sacri Tarenti custos*, Hinc Jupiter Πολιεὺς apud Aristotelem. Plutarch. in Demetr. de Jove: ὁ μὲν γὰρ πολιεὺς καὶ πολιοῦχος. Suidas: πολιοῦχοις, τοῖς τῶν πόλεων ἄρχουσι. Homer. ιλ. ζ. 305.

Πότνι' Ἀθηναίη, ἐρυσίπτολι δῖα θεάων.

Et ιλ. δ. 51. Juno inquit

Ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλτατάι εἰσι πόλεις
Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

Vide etiam, quem modo laudavi, incomparabilem Spanhemium ad Callimach. H. in Pallad. v. 53.

Ἀμφιβέβηκας] hac eadem voce eodem sensu, quo hic Homerus, usus est Callimach. H. in Del. v. 27. ut ad Callim. monuit Eruditissima Fabri filia.

40. Σμιν-

Audi me, argenteum arcum gerens, qui Chrysam tueris,
Cillanque valde divinam, Tenedoque potenter imperas,
Sminthee: si quando tibi pulcrum templum coronavi,
Vel si quando tibi pingues coxas adolevi
Taurorum, & caprarum, huic desiderio meo satisfac,
Pendant poenas Danai ob meas lachrymas tuis sagittis.
Sic dixit orans. hunc autem audivit Phoebus Apollo:
Descendit autem ex coeli verticibus iratus animo,
Arcus in humeris habens, & undique tectam pharetram:

Sonue-

τοῦ ῑ πρήνου. Λέγεται καὶ 53 ἀραιαίνω κατὰ παραγωγήν·
—— τῷ δ' ἐπραίανεν ἐφετμάς.

44 Χωόμενος] χώομαι ἐνεστὼς, ἐχωόμην παρατατικὸς, χώσομαι ὁ μέλλων, ἐχωσάμην ἀόριστος. τὰ δὲ ἐνεργητικὰ τὸ χώσω, καὶ τὸ ἔχωσα. ἐπὶ τῶν χωμάτων λέγεται. ἀπὸ τοῦ χώομαι μετοχὴ ὁ χωόμενος.

46 Ἐ-

53. MS. Κραίνω & mox in loco Homeri, qui exstat ιλ. ι. v. 508. ἐκραίανε, unde patet Graecos ι extulisse veluti η, qua de re dicam ad v. 125. vide quæ ibi noto.

40. Σμινθεῦ] Apollo Sminthius dictus est ἅπο τῆς θεᾶς, *quia servem curavit*. Macrob. 1 Saturn. Polemo tamen apud Clem. Alexandr. & alii a muribus Apollinem id nominis traxisse volunt, vide Lindenbrog. ad Ammian. p. 42. Ed. Paris. Et hinc ejus statuam ita formatam fuisse ut murem pedibus premeret auctor est Heraclides Ponticus apud Eustath. p 26, & Strab. lib. XIII. & Moschopulus ad h l.

40. Πίειρα μηρία] Tiraquell. ad Alex. ab Alex. III. 12. ff. l. citans exponit *peregrina crura*; sed nunquam πίων *peregrinum* notat, Recte exponitur *pinguas coxas* adipe sc. contectas. Pingues enim victimas Diis mactabant, quas ideo *aris servari* dixit Virgilius lib. II 14 Georg sed hæc nota sunt.

43. Φοῖβος] φοῖβος est *purus*. Alii id cognomen esse volunt ab ejus avia phœbe. Hinc φοιβόληπτος, *Phœbi numine afflatus*, Meurs. ad Callim. Apoll. 45. Posteriorem sententiam rejicit Heraclid. in Alleg. Homer. Prior vera est. Plutarch. de EI apud Delphos p. m 388, ext. testatur veteres Phœbum vocasse purum & impollutum. Hesych. φοῖβος, λαμπρὸς, καθαρός. Suid. φοῖβος, καθαρός &c.

Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
Αὐτοῦ κινηθέντος· ὁ δ' ἤϊε νυκτὶ ἐοικώς.
Ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε·
Δεινὴ δ' κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.
Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, κὴν κυνάς ἀργούς·
Αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἀφιεὶς,
Βάλλ'· αἰεὶ δ' πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.
Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ὤχετο κῆλα θεοῖο·
Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορηνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς.
Τῷ γὰρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη·
Κήδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο.
Οἵ δ' ἐπεὶ οὖν ἤγερθεν, ὁμηγερέες τ' ἐγένοντο,
Τοῖσι δ' ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς,

Ἀτρεί-

ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΛΑΙΑ.

46 Ἔκλαγξαν] ποιὰ φωνή; ἀπὸ τῆς τῶν γεράνων πεποιημένης φωνῆς. κλάζω ἐνεργῶς, μέλλων κλάγξω, 52 ἑτεροκλίτως διὰ τοῦ γ, ὁ ἀόριστος ἔκλαγξα. ὁμοίως καὶ μέσος παρακείμενος κέκλαγγα, ὁ δεύτερος ἀόριστος ἔκλαγον. ὡς ἀπὸ τοῦ σφάζω 53 τὸ ἔσφαγμαι

Ἔκλαγεν ἐκ θηβῶν μέγα Πίνδαρος ——

52. MS. ἑτεροκλύτως. 53. Leg. ἔσφαγον, ut conveniat cum præcedenti ἔκλαγον.

χος, Φράτορες, sc. 195.
Φρατρίαι 195. b.
Φρένες 29. a.
Φροντίζω sc. 49.
Φυὴ 32. b. sc. 142. 143.
Φῦλα 195. b.
Φυλὴ sc. 195.
Φύσις sc. 143, 144.

X.

Χαίρω sc. 61.
χαίτη 48. a. b. sc. 49.
χαλκοβατὴς sc. 92.
χιτὼν sc. 139.
χλαῖνα 165. b. sc. 138, 139.
χολοῦσθαι sc. 2.
χώεσθαι sc. 3.
χωρεῖν sc. 165.
χώρος ibid.

Ψ.

Ψάλλειν sc. 4.

ERRA-

ERRATA TYPOTHETARUM.

pag.
2. in Not. b. δεῖπνοσ. dele accentum.
5. ſchol. lin. 4. poſt σημαινόμενα pone τελείαν ςιγμήν.
12. ſchol. lin. 3. καὶ τὸ ſcribe καὶ τᾶ.
18. ſchol. lin. 1. poſt Φωνὴ pro; pone,
22. ſchol. lin. 9. ſcribe δηλάσης.
31. ſchol. lin. 2. ſcribe θυμῆρες.
34. Not. b. extr. pro κἀγαθὰς ſcribe κἀγαθὰς.
35. ſchol. lin. 8. pro τρόπυς lege τρόπᾶς.
Not. a. lin. 4. onanu ſcribe manu.
36. in textu v. 138. pro τεόν ſcribe τεὸν.
38. Not. ad Moſchop. pro εἴδομεν ſcribe εἴδωμεν. ita enim MS. habet.
39. ſchol. lin. 8. pro ἦμα ſcribe εἶμα, & mox λευχείμων.
41. Not. b. extr. ſcr. *Regumque.*
44. ſchol. lin. 3. pro ἔξο ſcribe ἔξω.
55. ſchol. lin. 4. ſcribe προσθήκη. & lin. 6. ſcribe ὑβριζικοῖς.
58. lin. 8. lege ἀναύξητον.
62. in textu v. 263. lege Πειρίθοον.

pag.
65. ſchol. lin. 1. pro μεθίεισιν ſcribe μεθίησιν.
67. ſchol. lin. 3. ſcribe ἑρμηνέυειν.
68. ſchol. lin. 3. ſcribe καπῶσαι.
75. pr. poſt μάρτυρος omiſſa ſunt haec verba, ἀπὸ τῆς μάρτυρος γενικῆς.
76. ſchol. lin. 13. ſcribe δύναται τῷ.
77. ſchol. lin. 1. pro ἀλλὰ ſcribe ἄλα.
91. in ſcholiis numeri ſunt tranſpoſiti, 93. dele. pro 94. ſcribe 93. pro 95. pone 94. in Notis 95. MS. βήσομαι refer ad pag. ſeq. & ibi in ſchol. lin 5. pro βήσομαι repone βήσσομαι.
94. in Not. ad ſchol. lin. 2. pro Ἰοὴν ſcribe Ἰωὴν.
97. in ſchol. lin. 7. ſcribe καναὰ.
109. ſchol. lin. 6. pro τὸ δὲ ſcribe τόδε.
122. v. 564. pro ἐςὶν lege ἐςὶν.
143. Not. a. lin. 9. ſcribe *coloremque.*
171. ſchol. lin. 5. ſcribe συνοχωκώς.
189. ſchol. lin. 3. ſcribe ἀκαλαθίαν.
ibid. Not. b. extr. pro *bellum* ſcribe *tempus.*

AD-

ADDENDA ET EMENDANDA.

pag.

3. IN Notis ad Moschop. post *iram ferventiorem indicare* adde: postea legebam, χώεσθαι λέγεται, ἔτι ἐπισκύζεσθαι μετὰ τῆς ἐπὶ τελέςερον. Tandem Phavorinus docuit legendum esse, χώεσθαι λέγεται, καὶ σκύζεσθαι, καὶ ἔτι ἐπισκύζεσθαι μετὰ τῆς ἐπὶ ἐντελέςερον.

4. In schol. extr. pro ἡ ἐξ ὀυλομένȣ γεγενημένη omnino legendum ex Phavorino ἡ ἐξ ὀλοȣ̃ μένȣς γεγενημένη. Quod & sequentia suadent.

8. In schol. lin. 6. pro δηλὸς lege δειλὸς, vide Eustath. ad iliad, λ. p. 793. Hesych. v. κακὸς & δειλὸν, ipsumque Moschopulum ad v. 293. h. l.

Ibid. lin. 8. an non rectius legetur ἀπὸ τȣ̃ ὤλεκα ἐνεςὼς ὀλέκω, &c?

10. In schol. l. 10. pro ἔυκερως ἄκρα legendum ἔυκερως ἄγρα. ἄκρα nihil significat. Locus Sophoclis est in Ajac. Flagell. v. 299.

12. Schol. lin. 3. καὶ τȣ̃ καταλιμπάνειν τὸ ἐκ διαθήκαις, lego nunc καὶ τȣ̃ καταλιμπάνειν τί ἐκ διαθήκης. Phavorinus habet καὶ τȣ̃ καταλιμπάνειν τί ἐν διαθήκαις.

15. Schol. lin. 15. pro Φλοῖσβος, ποία Φωνή; lege Φλοῖσβος, ποιὰ Φωνὴ, &c.

16. Ad v. 45. Ἀμφηρεφέα) *undique tectam*, id est clausam. Antiquissimis enim temporibus clausae fuerunt pharetrae, quod vel hinc patet. vide

pag.

Eustath. hic, & Cl. Perizon. ad Aelian. Var. Hist. lib. XII. c. 43.

20. Schol. lin. 4. distinguendum ante & post Φησὶ. Sunt enim verba Porphyrii.

24. Schol. l. 9. pro πέττω lege πέπτω.

28. Schol. lin. 7. 8. pro ἀποκεχωρικότως existimo debere legi ἀποκεχωρηκότος, & vitiosae pronuntiationi hunc errorem adscribo. Efferebant enim ῑ ut ῆ, qua de re alibi notavi. Hinc quoque corrige brevium Scholiorum auctorem ad Iliad. β. 374. ubi pro ὅμως ἠυπόρισε λόγων scribendum ὅμως ἠυπορησε λόγων. Contra ῆ pro ῑ, Veter. Gloss. verbor. jur. Κȣστωδία, ςρατιωτικὸν ςῆφος, ὃ Βάνδον Ρωμαῖοι καλȣ̃σι lego ςίφος.

29. N. 80. pro τȣ̃το rectius legetur τȣ́τῳ, quodque propius accedet ad manu scriptam lectionem.

33. Schol. lin. 1. repone ἡ συναγωγός ἐςι δύο τοὐλάχιςον, ὄνομα &c. Reperio illam vocem quoque apud Lascarem Grammat. p. 2.

37. In textu v. 141. pro *vastum* scribe *Dium*. Potest quidem ἐις ἅλα δῖαν exponi *in mare vastum*; sed propriam notionem hic non migrat. vide quae notavi ad Iliad. β. v. 152.

Ibid. sch. lin. 3. ἐι δώω, an non ἐὰν δώω,

lin. 4. &c. longe aliter hic logus

ADDENDA.

gus legitur apud Phavor. ex comparatione locorum vera ſcriptura poterit elici.

50. Sch. lin. 2. pro καθηεῖσθαι legendum vel καταθηεῖσθαι vel θηεῖσθαι.

63. Schol. 6. 7. ἀθέρες τὰ κοινῶς ἀγανά. Ultima vox corrupta eſt. Pro ea videtur ex Etymol. legendum ἄχυρα.

64. Locus Sophoclis, quem citate Moſchop. eſt ex Oedip. Tyran. v. 638.

66. Sch. pr. pro βάλλειν ex ſequentibus videtur rectius legi ὑποβάλλειν.

74. Sch. lin. 2. exple lacunam ex Phavor. ἐμεσολαβῆν καὶ διότι &c.

76. Sch. lin. 11. pro Φρυγὼν lege Φυγὼν.

84. lin. 3. Phavor. hic auctior, καὶ ἔχεται ὁ δεόμενος, ἃ δεῖται, ἀντιλαμβάνεται καὶ ἀντέχεται ἕτος ἀντεισφέρων &c.

171. Sch. lin. 4. Scribe Οἰχωκή, ὄλωλα. Locus eſt ex Ajace Maſtigoph. v. 911. praeterea ὡς ἐν τῷ Οἰχωκή, ὄλωλα, παρὰ Σοφοκλεῖ parentheſi includenda videntur.

191. Schol. lin. 6. poſt μετασχηματισμῷ adde χρᾶται.

FINIS.

COMMENTARIUS EXPLICATIONIS

Primi libri Iliados Homeri, Joachimi Camerarii Pabergenſis.

EJUSDEM LIBRI PRIMI ILIADOS

Converſio in Latinos verſus, eodem Auctore.

JOACHIMUS CAMERARIUS

Doctissimo Viro Bolgango Augusto Severo, Regiorum filiorum apud Aenipontes Magistro, amico perveteri

S. S. D.

Cum ego non modo in praesentia bonis literis atque studiis humanitatis pro mea exigua parte virili consulere, & opem ferre laborantibus, sed etiam in posterum prospicere cupiam atque quaeram, non modo scilicet opella mea, his in cultu & exercitio eruditionis navanda, sed etiam defensores atque propugnatores comparandi videntur, ut stare permanereque possint fundationes quasique structurae illorum. Quo in proposito sequor priorum nostrorumque temporum doctissimos viros, qui cum optimarum artium atque disciplinarum studiis inservirent, non tam suis operibus quam ipsi doctrinae patronos quaesivisse reperiuntur, suae quisque aetatis principes, & opibus atque potentia praestantes viros, ut hac etiam interpretatione Jove genitae Musae viderentur, si a Regibus & Principibus in Rebuspublicis tanquam filiae eductae, custoditae, ornatae, collocatae fuissent. Sunt enim, ut Hesiodus ait, Reges quidem Jovis progenies, sed sapientes atque docti, illi enim certe Poëtae existimandi,

ἐκ μεσάων καὶ ἑκηβόλου ἀπόλλωνος.

Sed si forte transferri hoc longius videatur, certe illud perpulchrum, quod virgines perhibentur eruditionis & doctrinae numina, ut appareat obnoxium hoc genus esse injuriae, & ludibrio vulgaris insciticae, quo magis a virtute & potentia, Musarum quasi castitas conservanda & protegenda est. Itaque & fortissimi semper atque maximi Reges & Imperatores, doctos summo amore cultuque prosecuti fuêre. Nam Archelaus Rex Macedoniae Euripidem ita secum habuit, ut familiarissime complecteretur, & sapientissimi Poetae consuetudine non posset carere, neque solum viventem, sed mortuum

tuum quoque exquisitis honoribus affecerit. Quid ego de Alexandro Magno dicam, cujus incredibilis erga doctos cupiditas ipsius liberalitate facile declaratur, cum illis non drachmis, sed talentis munera jusserit annumerari, et mala etiam scripta philippis inaurarit. Sed exempla hujus conjunctionis, ut ita nominem σοφαρέτρ, multa etiam de priscis temporibus illis, ut videtur, rudioribus suppetunt. Nam ut non referam illos in procerum & Phaeacum conviviis Poetas, neque custodem pudicitiae Regiae, neque oraculo jussos fortissimos viros Spartanos, petere ab Athenienſibus sapientem Ducem, qui cum illis Tyrtaeum Poëtam misissent, praeclare rem gesserint. Nonne & Anacreon inter praecipuos amicos opulentissimi Sami Tyranni Polycratis fuit? Aeschilus autem & Simonides apud Hieronem Siculum honorem & auctoritatem maximam habuerunt: Quorum alterum in Siciliam sedem atque domicilium suum transtulisse, alterum tantum in illa insula valuisse accepimus, ut impendens gravissimum bellum inter Hieronem Syracusium, & Therona Agrigentinum diremerit atque composuerit. Fuit & cum Dionysio Philoxenus, à quo fertur sane interdum tractatus inhumanius, sed ille tamen Tyrannus in ea saevitia sua doctis carere se non posse ostendit. Ut autem ad posteriores relabar: Nonne & Antigoni amici commemorantur, Antagoras Rhodius atque Aratus Solensis? Et cum Regibus Aegypti totae gentes doctorum vixêre. Quae cum ita sint, ego hoc tempore opera, ut confido, non prorsus contemnenda, in Homero explicando discipulis nostris impensa, cum hortantibus amicis ad dictatorum editionem morem gerere statuissem, admonuit me auctor omnis doctrinae & sapientiae, ut maximis & potentissimis quibusdam Principibus commendarem eruditionis literariae, bonarumque artium non solum dignitatem, sed etiam salutem. Quos mihi circumspicienti & vestiganti animo meo, ut primi omnium occurrerunt Regii pueri tuae fidei & curae crediti, laudatissimi Regis filii, nepotes Principis summi, quorum proavum quasi Deum quendam in terris, dum vixit, in cultu venera-

tionemque

rationeque fuisse, & nunc post mortem esse, perpetuoque futurum scimus. Ita igitur ut hi ad comparationem praesidii protectionisque optimarum artium cogitantibus nobis primi omnium merito quidem animo obversati fuêre, ita res etiam ipsa incitavit me, ut ad eos qui in literis ad virtutis excellentiam educarentur, Magistrum eruditionis atque fortitudinis mitterem interpretem voluntatis meae. Sed enim quo minus hos recta accedere, & ultro compellare auderem, obstitit cupiditati meae pudor, justus ille quidem atque debitus majestati illorum, cujus magnitudine nostra parvitas facile consternaretur. Itaque ad te devenimus, per quem haec quae nos cognoscere Regiam sobolem voluissemus, ad illos recte atque ordine delatum iri sciremus. Ad te vero aditus patebat nobis, non modo propter veterem notitiam, & quendam etiam amicitiae usum, sed etiam quod comperissemus de Philippo Melanchthone, in literis ad ipsum tuis, & amantissime & honorifice mentionem nuper mei factam esse. Hoc etiam commoditatis multum habere visum, quod longioris scripturae labore me liberaret. Quae en im dicenda fuissent de sanctitate, de pulchritudine, de quodam ad vitam bene beateque degendam necessario usu bonarum literarum atque artium, haec tibi cum sint notissima & meditata multum, satis fuerit indicata esse, etsi non nihil, si voles, nostrae rationis de his cognoscere poteris, de sequentium scriptorum praefatiuncula. Haec igitur, mi Severe, te oro & obtestor, quanquam facias sponte tua, tamen, si fieri possit, ut etiam diligentius & accuratius ad complectendum, amandum, propugnandum & tuendum, divinae naturae atquae indoli Sobolis Regiae proponere & quasi instillare velis. Quo facto de genere humano, & natione potissima nostra hoc praeclarius fueris meritus, quo felicitati bonisque illorum conservandis & augendis, non modo opibus & viribus praestantiores, sed numero etiam plures patronos adjunxeris atque conciliaveris. Requiritur autem profecto magna quaedam vis defensionis earum rerum quibus felicitas & bona illa continentur, id est artium atque

ſtudiorum humanitatis. Ita multis firmiſque copiis pravitatis & malitiae oppugnari impetique illa cernimus. Ipſorum vero nuditas atque exilitas, & deſpectui & direptioni audacioribus eſſe ſolet. Quid enim ferè his relictum praemiorum; quae ſpes diuturnitatis, ſi ſic fiat, quae fiducia ſalutis? quin etiam, quod miſerabile in primis videtur, perfugium & latebrae his tuendi ſe eripiuntur, & libera querelarum vox nulla conceditur. Contra autem imperitia & indoctorum faſtus quid non & adjumenti & praeſidii habet? Quid illis gloriae honorumque deeſt? Quanta doctiores inſectandi atque omnino vociferandi licentia? Itaque ſtudiis niſi divina Regum & Principum auxilia ſuccurrant manifeſte jam, τόδε πῆμα κυλίνδεται ὄβριμος, non Hector, ſed aliquis de fabulis Graecorum exitii & vaſtitatis Deus. Adverſus quae mala & ſi in praeſentia nonnihil opis adeſt, tamen in poſterum profecto major vis & copiae requiruntur; quae nobis certiſſima perſuaſione praecipi jam debent, cum de aliis quaſi laetiſſimis germinibus principum Germaniae, tum de ſtirpe Regia, quae tibi fovenda, colenda, educenda, comiſſa & tradita eſt, in quo non dubium eſt quin tua voluntas optima, maximo ſtudio quaſi accumuletur. Quare finem faciam, ne inter iſta nos tacite verberes tali quadam cogitatione,

τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν
ὀτρύνεις;

Et ſi currentes quoque incitare ſcitum eſſe exiſtimatur. Reliquum eſt, ut te rogem ne invitus haec noſtra admittere ac potius libenter ut cognoſcere velis, utque, ſi videatur, nos de judicio, his de laboribus, atque iſta opera, tuo certiores reddas. Si enim intellexero tibi non improbari, cumque ex tua ſententia, quem virum doctiſſimum eſſe conſtat, quid alii bonarum artium ſtudioſi ſenſuri ſint, facile exiſtimare, confirmabitur atque etiam fortaſſe incitabitur voluntas in hoc operarum genere mea, multoque ita cupidius ſequentes etiam deinceps libros ſimili explicatione noſtra expoſitos edemus. Vale mi Severe, & perge diligere nos, ut coepiſti. E ſchola Tubingenſi III. *Idus Octob.* M. D. XXXVII.

Liber

LIBER PRIMUS
ILIADOS HOMERICAE,

Latinis versibus redditus à Joach. Camer.

Urgia pernitiosa cano tristemque furorem
Aeacidae, longi Danais incendia luctus.
Per quae cassa animis inferna sede receptis
Corpora diripuere canes varieque volucres,
Sparsa solo Iliaco fortissima corpora Regum.
Sic aeterna Jovis placuit sententia cordi.
Musa mihi caussas memora quo nomine primum
Quove Deo ductor Graecorum & divus Achilles,
Correpti immani pugnarint praelia voce.
Omnis ab irato defluxit Apolline pestis,
Qui mala per totos edebat funera campos,
Replebatque vagis caesorum stragis acervis.
Una sacerdotis contempti injuria Chrysae
Causa fuit Clarii feralis numinis irae,
Quem procul à classis sermone Atrida feroci
Increpitans, junctisque minis statione fugarat.
Venerat hic celeres Danaum prece supplice naves,
Proque sua apportans redimenda munera nata,
Ornamenta Dei, vittas sacrasque coronas,
Aurea sceptra manu retinens, orabat Achivos.
In primis geminos Atrei de sanguine fratres,
Quos erat imperium penes & jus nobile regni.
Atridae atque omnes, fortissima turba, Pelasgi,
Sic vos totius divina potentia coeli
Victores Phrygia salvos deducat ab urbe,
Atque det in patriam cursum ventosque secundos,

Natam infoelici genitori reddite Graii,
Reddite non vili natam mercede solutam?
Hic alii Argivae proceres atquè agmina plebis
Acclamare senem revereri, sumere dona,
Unius Atridae sed erat diversa voluntas.
Ille male acceptum vatem propellit, & ultro
Accumulat dictis convitia facta superbis.
Si te ego post invise senex, conspexero, curva
Rostra frequentantem, seu nunc, iterumve reversum,
Non mihi te eripiet sceptrum non insula Phoebi.
Hanc non restituam, dum servam tarda senectus
Excipiat procul à patriis distantibus oris
Moenibus Argolicis, ubi plenos sedula fusos
Evolvet digitis & nostra cubilia sternet.
Ergo age te nostris citus è conspectibus aufer,
Ne stet nostra tuae damno indignatio vitae.
Haec ubi dicta dedit, paret trepidante sacerdos
Mente, premens tacito dirum sub pectore vulnus.
At simul hostiles resonante in littore turmas
Tutus ut evasit, sublata sydera voce
Complens, Latona genitum in sua nota vocavit.
Arcitenens, Chrysae dominus, Cillaeque beatae,
Sminthie, qui Tenedum dextra moderare potente,
Grata sacram templi venerandi victima nostris
Caesa tuis manibus terram si planxit ad aras,
Extaque subjectis arserunt pinguia flammis
Caprarumque boumque, has exaudire querelas
Phoebe meas propera, ac in Achaica corpora missis
Humida nostra tuis ulciscere lumina telis.
Sic ait insistens precibus, quas Phoebus ab alto
Mentibus exosis Danaos suscepit Olympo.
Ergo abiit vasti summo de vertice coeli,
Suspensusque arcus humeros habilemque pharetram,
Quam concussae intra strepitum fecere sagittae.
Ipse velut tenebrae ac obscurae nubila noctis

Castra,

Caſtra, locum, ingrediens adverſus coepit Achiva.
Inde in confertos detorſit ſpicula Graios,
Conſequitur ſtridens argentea ſpicula clangor.
Principio jumenta cadunt & magna canum vis,
Tabida mox ipſos homines invadit arundo.
Et jam crebra rogis illata cadavera flamma
Paſcebat, longe ſplendebant ignibus arva.
Caſtra novem Phoebi fuerant infeſta diebus
Inſidiis, decimo Junonis cogit Achilles
Conventum monitu, Grajum cui damna dolebant,
Cum perimi immeritos indigna morte videret,
Ergo pelidae juveni ſubjecit ut illis
Concilium Danaum vellet de rebus habere.
Illi ubi multiplici jam convenere caterva,
Surgit ad hos plantis invictis fultus Achilles,
Atque ait: Atride nunc ſpes ſublapſa refertur
Noſtra retro tantum non captâ pellimur urbe.
Atque utinam pateat nobis via, ſitque reverti
Quantumvis vel inerte fuga de morte poteſtas.
En ſimul atterimur bello, morboque perimus.
Quin igitur conſultum aliquem juvat ire Deorum
Clarum relligione virum, quin carmina Vatum
Diſcimus, aut tacita volitant quæ ſomnia nocte?
Namque ea diſpergit denſis Saturnius umbris,
Si qua nos certi tandem fiamus ab arte,
Quæ ſit Apollinei non cognita cauſa furoris,
An damnet votis, anne irrita ſacra repoſcat,
Aut factis tenerove agno, integrave capella,
Hoc ſi forte malum placatus munere ſedet.
Dixit & aſſedit. Cunctisque ſilentibus, infit
Calchas Theſtorides vatum celeberrimus unus
Qui fuit in Danais, qui jam præſentia poſſet
Explicuiſſe, futura ſua praedicere voce,
Et quae praeteriere modis diſſoluere miris.
Huic quondam auguriumque & praeſcia pectora rerum

Artes Phoebe tuas dederas. Hunc navibus omnes
Unanimes ſtatuere ducem Simoëntis ad urbem.
Qui tunc communis fatur cupido ore ſalutis.
Aeacide ſuperum regi dilecte Tonanti,
Suades ut longe jaculantis Numinis iras
Pandamus, tibi nos morem geſſiſſe juvabit.
Ergo tuis animis hæc accipe dicta, mihique
Juratus verbisque manuque avertito peſtem.
Namque aliquis noſtro exardeſcet carmine princeps,
Sat ſcio, qui cunctos juſſis domat unus Achivos,
Eſtque humili metuenda viro iracundia Regis.
Qui ſi forte nigram premat intra viſcera bilem,
Nec mox optatae vindictae copia detur,
Aſpera tantiſper laeſo fovet ulcera corde
Supplicium donec quaeſitum occaſio monſtret.
Quare age dic quid me jubeas ſperare ſalutis.
Huic confirmanti Pelides talia contra
Voce refert. Vates aude & reſponſa Deorum
Intrepidus, quaecunque tenes, expone Pelaſgis.
Per tibi Latoidae praeſentia numina juro,
Donec ego valido terram pede vivus obibo,
Nemo tibi Danaos vim cunctos afferet inter,
Non ipſe Argolici cui ceſſit gloria regni.
Atque ita ſepoſito coepit formidine Calchas
Non damnat votis, non irrita ſacra repoſcit
Phoebus. ab Atrida ſpretus movet iſta ſacerdos,
Filia cui non eſt precio dimiſſa repenſo.
Haec fuit haec fiet multorum cauſa malorum.
Peſtifero Divus neque ſpargere deſinet arcu
Tela prius, quàm nata patri reddatur inempta,
Chryſeaſque boves centum mactentur ad aras.
Poſſe ita foelicem videar promittere Phoebum.
Haec ubi fatus erat, reliquis aſſedit Achivis,
Cum ferus in medios oculis ſpirantibus ignem
Proſilit Atrides, vultuque animoque minaci,
Nec magis inſano capitur violentia corde.

Ac

Ac primum Vatem maledictis impetit ardens.
Quando unquam, scelerum vates pleniſſime, verum
Exiit ore tuo? quis me dum laedere tentas
Abſtinuiſſe ſoles, quae non hoſtilia faris?
At tua lingua bonum nunquam, non dextra peregit.
Et nunc falſa etiam Danais oracula jactas,
Quod pro detenta Chryſeide Graja puella
Agmina laetifera configat arundine Phoebus.
Quae ſibi me ſolido tantum devinxit amore
Ut jam Tyndaridos langueſcant conjugis ignes:
Nam quid ego referam raras in virgine dotes,
Ingenium, artificeſque manus, formamque genuſque.
Nulla Clytemneſtram melior fortuna ſecuta eſt.
Quamvis hanc teneris mihi ſors conjunxerit annis.
Quamvis prima toro intulerit veſtigia noſtro.
Omnia ſed mitto, quando utilitate jubemur
Mittere, non nobis eſt cernere funera Graii
Veſtra voluptati. Cur vos ego vivere nolim?
Hac tamen haec cupido reddetur lege parenti
Ne, dictu infandum, ſoli vos inter honoris
Expertes, penes eſt quos rerum ſumma, feramur.
Quare agite & regi quae detis dona parate.
Viribus hunc praeſtans contra eſt affatus Achilles
Maxime rex Danaum quae nunc te Atrida ſiniſtrae
Vexat avaritiae ſpecies, quae munera cenſes
Magnanimos reparata tibi dare poſſe Pelaſgos?
An retinent plenas aeraria publica ciſtas?
Nunquid in aequales diviſas omnia partes
Miles habet quae de Phrygiis ſpolia urbibus egit?
Nec fas eſt praedae repetitas ducere ſortes.
Quod dabit obſeſſa ſi Jupiter urbe potiri,
Hanc concede Deo, referetur terque quaterque
Gratia, nec meritorum obliviſcemur Achivi.
Aeacidae his dictis Atrides talia reddit.
Falleris ô divûm ſoboles pulcherrime Achilles

Si

Si me vestra putas fraudum commenta latere.
Scilicet oblectent ut te tua munera, nostrae
Sint inhonoratae partes? Hanc reddere suades,
Reddetur. Sed enim, ne sis ignarus Achille
Quanquam Marte vales, si non animo usque revolvent
Quae mihi pro erepta veniant Chryseide dona,
Maganimi Argivi, seu tu, seu Maximus Ajax,
Seu Laertiades spoliati forte gemetis:
Quicquid erit post viderimus, nunc istud agamus.
Spumigero navem properemus mergere ponto
Remigium aptantes, pecudesque imponere sacras,
Formosamque suo Chryseida mittere patri.
Atque his dux aliquis rebus princepsque legatur
Aut Ajax aut Idomeneus aut divus Ulysses,
Aut tu, praecipuo natus Pelida furore,
Ille sagittiferi sacris de morte peractis,
Exitiale malum propulset Apollinis irae.
Tum sic torva tuens est ore locutus Achilles.
Heu mihi lucro inhians, profligatique pudoris,
Quis Danaum promptis animis tua jussa capessat?
Seu sit in hostiles legio ducenda cohortes,
Seu sit opus factâve via, castrisve locatis.
Non ego Dardanios ulturus Marte colonos
Aegeum, innocuos, enavi scilicet aequor,
Nam neque abegerunt mihi equorum armenta boumve,
Nec sola frugiferae vastarunt pinguia Phthiae,
Quando inter freta lata jacent, montesque jugosi,
Sed tua, sed fratrisque tui lacrymabile nobis
Gratia suasit iter, nostroque asserta labore
Gloria vestra, canis, quos tu nunc putide spernis.
Et mihi adempturum te tradita dona minaris
Pro quîs multa tuli, quasi non tibi plurima semper
Obveniant, quoties Trojanas vincimus urbes,
Nam pars luctifici nostrarum maxima belli

Est

Eſt manuum, partae pars eſt tua maxima praedae.
Ipſe fatigatus pugna, quae munera dantur,
Conſulo pauca boni, quare hoc nunc accipe dictum.
Quando ita contemptus tibi ſum, cum claſſe reverti
Eſt animus, Phthiaeque domus remeare paternas.
Sed niſi decipior, ſtabunt faſtidia magno
Haec Atrida tibi, cumque à te priver honore
Nominis & famae, haec ad te quoque damna redibunt.
Nec tua noſtri exors opulenta potentia creſcet.
Dixerat, Atrides contra cui talia fatur,
I igitur, quoniam ſedet haec ſententia corde,
Non te ego noſtra orabo moras hic nectere cauſa.
Sunt alii digno qui me venerentur honore,
Ante geretque mei curam Saturnius omnes.
Nam quid diſſimulem cunctos inviſior inter
Uno te mihi nemo duces, quoniam tibi ſemper
Rixæ gliſcit amor, bellique cupidine flagras,
Nullaque veſanam ſatiant fera praelia mentem.
Quod ſi forte aliis invicto robore praeſtas,
Sic Deus, Aeacide non eſt tua gloria, fecit.
Nunc age cum ratibuſque domum ſociiſque profectus
Myrmidonum tua regna tene. Neque te moror, aut te
Irato moveor, ſimul iſta minantia dicta
Accipe, uti certus Chryſeida poſcit Apollo,
Hanc ego nave patri propria ſociiſque remittam.
Haec ita vi pulchram rapiet Briſeida dextra,
Exceptam ſorti nuper tibi, ne inſcius erres
Quantum te noſtri ſuperet praeſtantia regni.
Neve alius fama nobis ſe comparet aequa.
Dixit. At Aeacidae mens acri fixa dolore
Perfurit, accenſo ſecum dum corde volutat:
Num faciat mucrone viam, juguletque tyrannum,
An frenet potius furiati pectoris aeſtus.

Dum

Dum dubitat, dum mens nunc huc, nunc volvitur illuc,
Jam simul ingentem vagina eduxerat ensem,
Cum prope sollicita Junone excita Minerva,
Namque illam cura amborum studiumque tenebat,
Astitit, & juvenem flavo complexa capillo,
Sese uni ostendens, acies latet agminis omnes.
Obstupuit tactu Ceacides & lumina torquens
Versa retro, agnovit divinae Palladis ora,
Quique micant oculi radiantis fulminis instar.
Quam simul ac vidit celeri est ita voce locutus.
Nata patris summi, quid ad hoc te littus adegit?
Nunquid ut aspicias Agamemnonis ausa superbi?
At tibi praedico, quod non vanum auguror esse,
Hunc aliquando sui perdet vecordia fastus.
Cerula Tritonis tum sic est virgo profata.
Repressura tuas, si auscultes, caelitus iras
Adsum sollicita Junone excita Minerua,
Namque illa amborum cura studioque movetur,
Ergo age quantumvis intendas jurgia verbis
Hunc modo da rixis finem, ne stringere ferrum
Sustineas. Nam tempus erit cum, quae facit iste,
Triplicibus placare volet convitia donis.
Nec procul illud abest, saevum cohibeto furorem
Et tibi propitiis divis pareto duabus.
Sic Dea, sic pedibus velox respondit Achilles.
Vestra Deae semper mihi justa capessere fas est,
Jam quoque cum rabidus furit imis mentibus ardor,
Sic res ipsa monet. Nam numina vestra colentes
Coelicolae pariter vos exaudire soletis.
Sic fatus capulo niveo splendente metallo
Complexus magnum vagina condidit ensem.
At Dea pacato terras relliquit Achille,
Lucida templa Jovis repetens sedesque Deorum.
Nec tenuit saevam flammati pectoris iram
Pelides, dictisque malis Agamemnona contra

Agre-

Agreditur, veteris revocans exordia litis.
Heu mihi victe mero, vultuque proterve canino,
Et tremulo timidi cordi corde ignaviſſime cervi,
Quando unquam armatas acies producere campo
Auſus es, aut te principibus conjungere Grajis,
Hoſtile ut poſſes includere faucibus agmen?
An quoniam intentant ibi certum plurima laetum,
Tutius erepta eſt converrere praemia nobis?
Si qui forte tibi quae non placuere locutus.
Dira lues populi. At niſi inertibus imperitares,
Jam tua ſupremo ſtaret petulantia fine.
Sed tibi prædico & jusjurandum inſuper addam
Forte manus Danaum nos olim tota requiret,
Cum tu Priamidae ſuppreſſos enſe videbis,
Enſe colorato miſerandae ſanguine turbae,
Ipſe dolens fruſtra cupies ſuccurrere victis,
Tunc tua ſero malae laniabunt pectora curae,
Quod fuerit per te, cunctis qui praeſtat Achivis,
Laude ſua & decoris merito ſpoliatus honore,
Tunc ego non ullis precibus precióve movebor.
Ut ſceptrum hoc ramis iam pridem & frondibus orbum
Montana exectum radicitus arbore, nunquam
Virgultis imo rurſus de ſtirpe vireſcet,
Poſtque gnava manus fabri de matre recidit,
Et ſecuit tunicas ferro crinemque decorum,
Nunc proceres manibus portant inſigne Pelaſgi,
Qui leges & jura Jovis ſub numine dicunt.
Haec ubi dicta dedit, fulvo diſtincta metallo
Sigeae infligens telluri ſceptra reſedit,
Eque Atrides inſtaurat prælia parte.
Tum Pylius cujus mellitus ab ore fluebat
Sermo ſenex, ſuperans Hybleum ſermo liquorem,
Hos inter dulci medium ſe voce ferebat.
Saecula praeteriti qui bina peregerat aevi,
Cuique per extinctae Neleja moenia turbae

Ante

Ante duplex ortus & funera duxerat aetas;
Ipse Pylo effoetus jam tertia regna tenebat,
Tunc interfari atque haec promere corde fideli.
Heu mihi quis luctus, quos fundet Achaja fletus,
Quaeque manent Priamum quaeque hujus gaudia natos,
Quae ducet Trojana cohors laeta otia mente?
Cum patefacta duum fuerit discordia Regum,
Quorum consiliis belloque est inclyta virtus,
Et quorum cunctos vincit laus utraque Grajos.
Ergo mihi ambo seni natu parete minores;
Et mea jam vobis longe praestantibus olim
Consuetudo viris fuit acceptissima priscis.
Nam nec ego tales vidi, nec postmodo cernam,
Quales Pirithoum, Regnatoremque Dryanta
Caeneaque Exadionque ac immanem Polyphemum;
Et similem superis Aegiden Thesea divis.
Atque hi terrigenis valido cum robore cunctis
Gentibus anteirent, saevissima praelia dextra
Pugnavere sua, & genus extinxere Gigantum
Montibus assuetum victus tolerare ferarum.
Isti me socio sunt usi, & abusque remota
Accivere Pylo, cumque his communia junxi
Agmina, proque mea juvi fera bella virili.
Nec quisque hoc quotquot mortales tempore vivunt,
Audeat armatos hos contra stringere ferrum.
His ego consilio dubiis in rebus adesse,
Ac ipsi nostros monitus audire solebant.
Vos igitur similem mihi concedatis honorem,
Auscultate seni, quondam auscultasse juvabit.
Tuque nec Aeacidem donato munere priva,
Sed sine quam Graii dederunt retinere puellam.
Tu quoque ne Regem verbis Pelida lacesse,
Usque probris, impos animi, maledicta rependens,
Namque haud sceptrigeri est vulgaris gloria Regis;

Cui

Cui decus ipſe hominum pater addidit atque Deorum.
Quod ſi matre Dea es praecellens viribus ortus,
Hic te legitimi tamen anteit pondere regni.
Tuque Atrida prior turgentia pectora ſeda,
Aſt ego Peliden precibus placavero blandis;
Nanque hic oppoſito pro muro eſt unus Achivis.
Dixerat. Atrides retulit, cui talia princeps:
Sic res eſt ut rere ſenex. Sed quis ferat iſtum;
Cuius quo ſe non praefracta ſuperbia rollit.
Omnia vult verſare ſuo qui ſubdita nutu
Omneſque imperio premere & juſſis moderari,
Quod, vel ego fallor; vel non ſuccedere cernet.
An quoniam egregium bello nullique ſecundum
Numina fecerunt magni immortalia coeli,
Quos vult cunque malis dictis impune laceſſit?
Sic ait Atrides, ſic dicere plura volentem
Aeacides orſus medio ſermone repreſſit.
At mea culpetur merito dementia, & excors
Jure vocer, tua ſi mandata ego nulla recuſem
Eſſe aliis damnum licet haud mihi. Namque ego poſthac
Non ſequar imperiumque tuum faſceſque ſuperbos.
Praeterea haec animo non lenia dicta reconde,
Haud mea pro tenera nudabit virgine dextra,
Nec te contra aciem, neque contra quemlibet, enſis.
Quando mihi rapitis quam donaviſtis Achivi,
Sed rerum hic intra claſſem quodcunque mearum
Invito abſtuleris nunquam mihi. Verum age vires
Experiare tuas, ut Graja teſte Phalange.
Extemplo haſta tuo deſtillet noſtra cruore.
Hactenus infectis verbis excercita, utroque
Seditio iratis animis ſurgente quievit,
Adque ſuas Danaum dilapſa eſt concio naves.

Ipſe Menoetiade & ſociis Pelejus heros
Ad claſſem inque ſuas ſedes comitatus, abivit.
Atrides celerem Nerei deducit in undas
Bis deno inſtructam delecto remige navem,
Inque ſacras ponit pecudes captamque puellam.
Centum pro pulcra pecudes Chryſeide Phoebo.
Omnibus his demum princeps accedit Ulyſſes.
Etiam velifera innabat vada ſalſa Carina
Cum iubet Atrides populum de more piari.
Jique piabantur, vaſtoque piacula ponto
Fundebant, Clarii placantes numina ſacris,
Mactabantque capras & curvo in litore tauros,
Fumens aethereas nidor ſe volvit in auras.
Talia dum caſtris operatur Dorica pubes,
Coeptae Agamemno minas non obliviſcitur irae,
Talthybiumque ad ſe jubet Eurybatenque vocari
Praecones famuloſque ſuos. Tum talia fatur:
Pelide ad puppes celeri pede tendite greſſus,
Adductam hic veſtris Bryſeida ſiſtite palmis.
Quod ſi non ſinet ipſe, tamen deducere certum eſt
Stipatum Danaum, nec ſolam forte, caterva.
Haec ubi dura dedit verbis mandata ſuperbis
Illi per ſteriles triſtes gradiuntur arenas,
Myrmidonumque pedes pergunt advertere roſtris.
Atque hos aſpiciens, ut propter forte ſedebat,
Claſſemque ac ſocios, non eſt laetatus Achilles,
Tum trepidi procul ad conſpectum heroa reſiſtunt,
Et nullos dant ore ſonos muſſantque timore,
Hoc animo Aeacides cernens, ſic incipit ultro:
Salvete, interpres, praecones, turba Deorum.
Atque hominum, propius conſiſtite. Non mihi veſtrum
Cauſa mali eſt ſtudium, ſed quo mittente venitis
Atrides, teneram Briſeida ducere. Sed tu
Dis fate Patrocle his accitam trade puellam.

Quos

Quos nunc iſtius teſtes ſimul invoco facti
Ergo immortaleſque Deos, hominesque caducos,
Erga ipſumque ferum Regem, ſi quando futurum eſt
Auxilium ut poſcant rerum diſcrimina noſtrum
Cum miſeri Phrygio ſternentur marte Pelaſgi.
Hujus enim rabioſa agitat praecordia peſtis,
Nec ſinit ut ſenſus ad publica commoda flectat,
Omnia proſpiciens ventura, anteacta recordans,
Qua ratione ſuos ſalvos ex hoſte reducat.
Sic fato obſequitur caro Patroclus amico,
Educitque foras moeſto Briſeida vultu,
Illa ſequens greſſus lentos invita movebat.
At lacrimans ſociis ubi ſe ſubduxit Achilles,
Aſpiciens nigri canentes aequoris undas,
Multa precans ſupplex tendebat brachia matri.
O genitrix, per te quoniam mihi contigit aevi
Summa brevis, ſaltem mihi conſervaret honorem
Juppiter altitonans clari regnator Olympi,
Nunc neque tantillum decoris laudiſque reliquit.
Quodque erat Atrides Danaum mihi ductor ademit.
Praemia noſtrorum rapiens abducta laborum.
Haec inter lacrimas audivit verba profuſas,
Forte ſenem propter diſcumbens Nerea, Mater,
Aequoreas intra ſinuoſi gurgitis aedes.
Nec mora, ceu nebulae, canis erupit ab undis,
Ipſius ante pedes plorantis Diva reſidens.
Atque manum prehendens praefato nomine coepit.
Quid fles, quaeve tuum pectus mala, nata, fatigant?
Dic age, neu celare velis, ut uterque ſciamus.
Sic matri Aeacides dicenti pauca marinae
Larga trahens imo retulit ſuſpiria corde:
Nil horum te diva latet, quid nota renarrem?

Etioneas Thebam expugnavimus arces,
Et multam eversa praedam deveximus urbe,
Hanc diviserunt inter se sorte Pelasgi,
Exemtamque dedere prius Chryseida regi.
At Chryses captaeque pater, Phoebique sacerdos,
Venerat Argolicas celeres prece supplice naves.
Proque sua portans redimenda munera nata
Ornamenta Dei, vittas, sacrasque coronas,
Aurea sceptra manu retinens orabat Achivos,
In primis geminos Atrei de sanguine fratres,
Quos penes imperium & jus esset nobile regni.
Hic alii Argivae proceres atque agmina plebis
Acclamare senem revereri, sumere dona.
Unius Atridae sed erat diversa voluntas,
Ille male acceptum miserum propellit, & ultro
Accumulat dictis convitia facta superbis.
Hic abit, at laeso retinentem corde dolorem,
Fundentemque preces non aversatus Apollo,
Nanque hunc immenso complectebatur amore,
Noxia in immeritos conjecit tela Pelasgos
Per totas acies & castra vagantia tela,
Altera & alterius subigebant funera funus.
Jamque aderat Phoebi promens oracula vates,
Mox ego tum primus divum placare jubebam.
Quo dicto Atrides subitas exarsit in iras
Eventuque mihi nimium non vana minatur.
Nanque hanc veloci referunt iam nave pelasgi,
Chryseoque simul deportant munera phoebo.
Sed mihi praecones dudum Briseida, Regis
Jussa abduxerunt, mea praemia, verum age si quid
Diva potes carum mater ne desere natum.
Et pete coelestes sedes sublimis olympi
Saturnoque precare fatum, memoraque benignam
Si quam operam huic verbis quondam factisve dedisti.

Nam

Nam memini te ſaepe domi jactare paternae.
Te quondam exitium divis ex omnibus unam
Avertiſſe Iovi indignum, cum caetera turba
Coelicolum huic nexus & vincula dura pararent.
Juno, Neptunuſque & terra numina Phoebi
Sive ea pallas erat. Verum te diva ſceleſtum
Prohibuiſſe nephas, & centimanum Briarea
Quem ſuperi, mortale vocat genus Aegeona,
Accitum auxilio ſocium junxiſſe tonanti.
Qui ſimul ac, valida ſuperans virtute parentem,
Ad Saturnigenæ partes ſe contulit, illis
Impia repreſſis ceciderunt vincla timore.
Haec genua amplectens memora ſi flectere poſſis
Forte Iovem, Teucris ut opem ferat, inque pelaſgos
Saeviat, & naves intra maris aequora circum
Comprimat occiſos, ut in omnes poena redundet,
Regis & illius ferat hos injuria fructus.
Ipſe etiam Atrides magnus ſua rex Agamemno
Damna recognoſcat, quod laude orbaverit, omnes
Qui vincit Graios virtute & robore belli.
Hunc contra lacrymis Thetis eſt affata cohortis.
Heu mihi nate malo miſerabilis edite partu
Cur ego ſuſtinui tali te educere fato.
Cui jam parca legat prope deficientia fila
Gaudia debueras tranquilla carpere mente
Nunc infoelicis ſpacium breve contigit aevi,
Uſque adeo infauſta genitum te ave nate paterni
Aſpexere lares. Nunc has ego porto querelas
Coelicolum domino, ſub olympi tecta nivoſi.
Interea alta trahens per Phthias otia naves,
Ut ſemel irato coepiſti pectore, dura
Nanque heri ad oceani freta circundantia terras
Tranſiit, & divos aſſumſit coelitus omnes
Juppiter, Aethiopum convivia laeta frequentans.
Quem cum luce ſua bis ſexta reduxerit Eo,

Limina quae ſolido ſummi Jovis aere coruſcant
Accedam, atque ipſum genibus complexa precabor
Nec ſpreta indecorem videor latura repulſam.
Haec effata gravi cruciata dolore reliquit
Aeacidae raptam plangentia corda puellam.
Jamque rates Ithacum & quae debita ſacra vehebat
Chryſeos fauſto prehenſabat flamine portus.
Subductae tum vela legunt detracta carinae,
Inque ſuas ſedes ſubmiſſum fune reclinant.
Non ſegnes malum juvenes, remiſque ſub altos
Navem adigunt portus, ſonat anchora jacta profundo,
Annexamque ligant retinacula linea puppim.
Tum ſimul in ſiccas ipſi egrediuntur arenas
Et latonigenae ducunt ſua munera Phoebo.
Ipſa etiam molli Chryſeis littora planta
Calcat: At hanc aras aſſiſtens propter Ulyſſes.
Dextram addit dextrae patriae. Dehinc talia fatur.
Huc tibi me Danaum miſit rex reddere natam
Et pecudes Phoebo centum mactare ſacratas,
Ut mala quae ſaevae movit lugubria peſtis
Argivis, miſſo placatus munere pellat.
Sic ait, inque manus patri dedit. ille recepta
Nata lactus erat. Sed divo Graja juventus,
Conſtituunt aras ſacra centenaria circum,
Et dextras liquidi tingunt in fluminis unda,
Conficiuntque molas, divum libamina, ſalſas.
Tum Chryſes geminas tollens ad ſidera palmas
Sic ait. ô me, qui Chryſam Cyllanque gubernas,
Quique regis Tenedum, rurſum audi Phoebe precantem.
Ut prius in mea vota tuas deflexeris aures,
Ultus deſpectum Danaum per funera vatem,
Sic mihi des cupida quod te nunc mente repoſco,
Letiferum properas Danais avertere peſtem.
Talibus orantem vatem exaudivit Apollo,
At prece perfecta, ſalſa cum fruge litaſſent,

Cor-

Corripiunt caesas pecudes & tergore nudant,
Secta tegit nidor femorum è compagibus ossa,
Et gemina implicitas celant abdomina partes,
Tum simul adjiciunt crudae undique frustula carnis,
Admovet ipse foco senior, Bacchique liquorem
Invergit, quinis verubus stat in ordine pubes.
Et jam tosta ignis femorum consumpserat ossa,
Et libata deis depaverat exta juventus,
Quod supereſt, in frusta secant verubusque refigunt.
Dein referunt assò studiose ex ignibus artus,
Sic tum Graja Deo, mensisque operata juventus
Vescitur aequali cunctis dape lege tributa.
Cumque exempta fames epulis, potu sitis esset,
Crateras pueri statuunt & vina coronant,
Circum perque ferunt omnes, & pocula libant.
Graja diem totum placabat carmine pubes
Latoum & pulcrum celebrans Paeana canebat.
Ille suis hilares praebebat laudibus aures,
Jamque nigrae occiduo surgebant sole tenebrae
Cum navis juxta somnum coepere rudentes.
Jamque rubescebat roseis aurora quadrigis,
Cum reditum cursumque parant revehique per altum.
Aspirat flatus Phoebus ventosque secundos.
Erigitur malus, panduntur candida vela.
Illa inflata tument Zephyris. Aegea carinam
Inachiam ferit & fluctu circumsonat unda,
Currit iter, veloxque secat maris aequora navis,
Quam simul ut castris tandem est appulsa Pelasgis
In terram atque altas juvenum manus urget arenas,
Et trabe supposita porrectum in littore firmant,
Dein redeunt per quisque suas navalia sedes.
At proles odium flagrantibus inclyta Pelei
Servat alens animis, atque ocia tractat acerba,
Nec magis in Danaum solennes pergere coetus
Sustinet, & duri vitat discrimina Martis,

Et ſua triſtificis abſumens pectora curis
Bellorum pugnaeque minas fremituſque requirit.
Jamque exorta diem bis ſextum aurora vehebat,
Et Saturnigena duce turba beata Deorum
In coelum remeat. Sed nati caerula mater
Haud oblita preces, emerſit ab aequoris undis
Circumfuſa petens coeleſtes aere tractus
Cum dubiam faciunt incerta crepuſcula lucem.
Forte ſub Aethereis ſolus conſederat oris
Juppiter in ſummo ſplendentis vertice mundi.
At Thetis ante ipſum genua amplexata ſiniſtra
Procubuit, mulcens dextra immortalia colla.
Tunc Saturnigenam ſic ora precantia ſolvit.
O pater, aut verbis aut ſi tua numina rebus
Una Deos inter defenſum ſedula juvi,
Annue ſupplicibus Thetidos Saturnie votis,
Atque meo, fatis cui vita breviſſima ceſſit,
Redde ſuas laudes & nomen honoris Achilli
Cui rapuit Grajum ſpreto ſua munera ductor,
Quod ne impune ferat Rex effice maxime Divum;
Tamque diu Phrygiis legionibus adjice vires,
Ut merita abſumat caeſos vindicta Pelaſgos
Donec ademta meo creſcat veneratio nato.
Dixerat: At nubes qui cogit ad aetheris orbes
Juppiter, haud ullas reddit tacito ore loquelas,
Immotuſque diu ſilet, illa inſiſtit & orat,
Et genua amplectens mentem tenet, atque ita fatur:
Quid metuis? plane auxilium promitte roganti,
Abnue ſive palam. Ne ſit contemptior inter
Divos, & noſtri ſint haec exempla pudoris.
Tum pater ex imo gemitus dans pectore fatur:
O mihi peſtiferum cauſſas tua vota malorum
Hinc inimicitiae atque odium Junonis amarum
Exiſtet, cum me maledictis aggredietur.
Nanque Deos inter ſemper me inceſſere gaudet

Lit-

Litigiosa probris, dum res me ait usque juvare
Teucrorum, & Phrygiis successus addere pugnis.
Nunc age clam nostra fac conjuge cauta recedas,
Quaeque petis secura meae committito curae,
Nanque effecta dabo, simul ut dubitatio cessset,
Firmabo aeterno promissa fidelia nutu,
Quo fit coelicolis signo mea certa voluntas.
Praecipuo, neque enim fas est hoc fallere quenquam,
Nec revocare potest ullus nec avertere casus.
Sic ait atque superciliis pater annuit atris,
Ambrosiaeque alte divino à vertice Regis
Defluxere comae, magnusque tremiscit Olympus.
Atque ita consilium dissolvitur. illa profundos
Insilit in fluctus lucentis ab aetheris axe.
Juppiter in sua tecta redit sub limina coeli.
Quo veniente Dei vacuata sedilia linquunt,
Assurguntque suo patri, neque sustinet ullus
In solio accumbens illo ingrediente manere.
Tum divina toro structo sibi membra locavit.
Nec latuit Thetidos lunonem inceptio visae,
Cumque suo sensit consultavisse marito.
Mox ita jurganti voce est aggressa tonantem,
Quisnam nunc iterum fraudum pleniſſime, tecum
Secretos habuit conventus. Me sine semper
Sic arcana tibi sunt conciliabula cordi,
Nec me participem rerum finis esse tuarum.
Tunc hominum sic respondit pater atque Deorum:
Si te posse putas omnes cognoscere sensus
Juno meos, erras. Nam & si me fata maritum
Esse tibi voluere, tamen quaedam graviora
Sunt, quàm ut ferre queas. Verum quo fas sinit usque
Conscia eris rerum prae cunctis prima mearum.
Nec prius hae cuiquam Divumque hominumque patebunt.

Sed quae immortales alios celavere cunctos,
Tu quoque ne ſtudeas rogitando exquirere velle.
Hunc grandi aſpiciens Juno ſic lumine fatur.
Quod verbum exiit ore tuo ſaeviſſime coniunx?
Quin ante hac aliquid rogitando exquirere coepi?
An turbata unquam per me tua coepta fuerunt?
Sed mea corda metus nunc non levis intrat, & angit
Candida coerulei ne mentes filia Nerei
Auferat ereptas tibi. Nam tecta aere mane
Supplice te geſtu genibus complexa tenebat.
Auxilium cui te puto promiſiſſe petenti
Aeacidem ut laeſum caede ulciſcare Pelaſgum.
Tum genitor vultu quo nubila congregat, inquit:
Quicquid ego inſtituo ſemper ſcelerata putando
Elicis, & rerum te non latet ulla mearum.
Nec tamen hac aliud tibi ab improbitate paratur,
Quam noſtra ira tibi magnorum cauſa malorum.
Quod ſi ſic ut reris habet res, ſic mihi cordi eſt.
Proinde tace, reſidenſque tuum venerare maritum,
Ne tibi ſi excitus violentam injecero dextram,
Omnes afflictae nequeant ſuccurrere Divi,
Quotquot clara colunt convexi moenia coeli.
Dixerat, illa gravi ſiluit perculſa timore,
Inque reclinata preſſit ſua pectora mente.
Exoritur Divum Jovis alta per atria murmur.
Mulciber haec inter fabricandi clarus in arte
Conſolans placida triſtem ſermone parentem.
Sic ait: O facinus malum & intolerabile, ſi vos
Humana in tantas agitabit gratia rixas,
Inque Diis moto faciet ſaevire tumultu:
Gaudia nulla dapum, menſarum nulla voluptas.
Quando quidem exulat pars rerum peſſima victrix.

Nunc

Nunc ego te genitrix, quanquam ſapis ipſa, mo-
nebo
Laeſa Iovis dictis ut places corda benignis,
Ne lacta ille nova convivia lite prophanet.
Nanque poli dominus qui terris fulmina ſpargit,
Si velit ex imis convellat ſedibus orbem,
Uſque adeo cunctis immenſis viribus anteit.
At tu lenificis mulce fera pectora verbis,
Atque ita propitium nobis Dea redde tonantem.
Dixit & exurgens bipatentia pocula matri
Obtulit, inque manus tradens haec inſuper addit.
Fer mea, quanquam aegre eſt, hunc mater firma do-
lorem
Ne tua cara rapi ploranti lumine cernens
Corpora, non poſſim turpes defendere plagàs,
Tanta habet irato ſe offerre pericla tonanti.
Nam memini tibi cum quondam auxiliarier au-
ſum
Me pede projecit tractum alto à limine coeli.
Illa dies miſerum vidit me tota cadentem,
Cumque ſua occiduis ſol ora reconderet umbris
Lemniaca collapſus humo, vix aegra trahebam
Quaeque ſuper tenuiſſima erant ſpiracula vitae.
Tum me ſublatum foverunt Sinties, omni
Semianima à caſu reparantes corpora cura.
Sic fato arridens & candida brachia Juno
Extendens, manibus ſuſcepit pocula nati.
Ille aliis dextro circumfert ordine divis
Fundens de pleno nectar cratere ſuave.
Solvitur in longos Vulcani aeterna cachinnos
Turba miniſterio Divorum. Talibus illum
Tranſegere modis, dum mergitur aequore, ſo-
lem.
Concordi dapibus veſcentes ore paratis.
Tum lyra Phoebeo ſonat aurea pollice tacta,
Alternaque canunt Muſae bona carmina voce.

Jam

Jam Phaethonteos caligo extinxerat ignes
Cum ſua quiſque ſubit conclavia nocte deorum;
Structa fabri gnavis manibus conclavia claudi,
At ſua quo ſolitus fuerat dare feſſa quieti
Membra prius, lectum conſcendit Juppiter altum,
Capturus ſomnos, et juxta regia Juno.

FINIS.

IN PRIMUM LIBRUM ILIADOS HOMERI

PRAEFATIO.

CUM MINUS, QUAM Speraveramus, operae, nobis impendere concedi videmus, earum literarum culturae, quae ſtudiorum humanitatis pulcerrimam laudem ſibi ſuo merito vendicant, ſane ferimus graviter atque moleſte. Sed ut tamen hunc animum atque hanc voluntatem teſtatam relinquamus ſtudioſis illarum, ſtatuimus omnes occaſiones perſequi, quibus illas augere poſſimus. Itaque nunc dum paulo valemus rectius, decrevimus primum librum Iliados Homericae, feriarum diebus publice amatoribus opt. diſciplinarum & humanitatis interpretari & hanc etiam laudem conciliare huic ſcholae, ut in ea monumenta celebrari dicantur ejus auctoris, qui omnium conſenſu princeps ingenii, doctrinae, ſapientiae habetur. Sed mihi Homericam hoc tempore laudationem inſtituere non eſt viſum, neque omnino excellentiae tantae quanta hujus poetae omnium judicio conſtituta eſt, noſtrae praedicationis tenuitas adhibenda fuit. Quis etiam aut ignem aut aquam laudandam unquam exiſtimavit? Cum omnes fieri ubique gentium per ſe illa & propter neceſſarium uſum maxime ſciant. Neque tamen magis vitam conſervari & adjuvari igni & aqua, quam omnem eruditionem hujus poetae monumentis manifeſtum eſt. Quae ut virtutem, quemadmodum ajunt, Juſtitia, ita ipſam eruditionem univerſam comprehendunt atque includunt. Illa igitur ne conemur magnificare oratione noſtra, & verbis quaſi attollere, ſed veneremur atque adoremus tanquam divina. Sic enim credidit antiquitas, Apollinem auctorem eſſe eorum librorum, qui ſub Homeri nomine feruntur, qui illius praeſcriptione divinam

ma-

majeſtatem tegere voluiſſet, itaque aliquis uno Graeco verſu ſic fecit loquentem Apollinem,

Carmina ſunt mea, ſed manus haec deſcripſit Homeri.

Alius autem hunc omnino Deum habendum ſic praeſcripſit.

Si Deus eſt, divinus honor tribuatur Homero.

Sed ſi non Deus eſt, Deus hic tamen eſſe putetur.

Proximum erat ut vos oratione mea ad ſtudium optimarum artium & diſciplinarum cohortari incendereque vellem, ſed hunc conatum ſupervacaneum fore intelligo. Vos ne enim ego inſtigare ad ea atque impellere experiar, quae ipſi ultro ſequimini & appetitis? Utinam illi & adeſſent & audire nos vellent, qui aut nimia ſapientia quaſi ebrii haec deſpiciunt & nihili pendunt, aut ſtultitia ſua negligunt, aut furore infectantur. Sed cum illis eſſet mihi agendum abſentibus, quod fieri oportere non videtur, reliquum igitur hoc eſt, ut vos qui veſtra ſponte diligitis & colitis optimarum artium & humanitatis ſtudia, horter, moneam, denique orem atque obteſter, per veſtram ſalutem & fortunas rerump. ut ea ipſa quae complexi eſtis voluntate veſtra, retinere & tueri, atque cupiditate maxima augere ornareque velitis: Ne quid vobis impedimenti ſtruant ullorum obtrectationes, neu nos deterreat horum ipſorum ſtudiorum, in hac omnium rerum confuſione, miſeria & calamitas. Sint alii potentes, divites, nobiles, nobis placeat ante omnia ingenii cultura & mentis eruditio, quae ſua bonitate non hominum opinione confirmantur. Scio dicere multos, male paſcere haec ſtudia. Ego vero non video quod aliud pabulum praeferri huic debeat, quo animi & mentis excellentia alitur. Sed eſt vita ſcilicet ſuſtentanda. Ingens & validus error ſeſe infert hoc loco vulgaris perſuaſionis, quae niſi in copiis & opulentia vitam eſſe optabilem non arbitratur. Cum his omnes vere docti quoque tempore acerrime contenderunt. Quorum ſunt notae contra cupiditates mortalium non neceſſarias pulcherrimae diſputationes, atque iidem quibus ad victum & cultum indigerent homines, parabilia eſſe, & prope ſua ſponte affluere docuerunt. Quod ſi eſt verum quod Cicero ait, & veri certe ſimillimum eſt: Magnum eſſe vectigal parſimoniam,

quis

quis non videt, qui quidem aliquid videt, quanta haec ſtudia quae doctrinam virtutis complectuntur, copia atque opulentia inſtruant cultores ſuos? cum illius quam totam tradunt, parſimonia pars una ſit, quam ut reliqua pulcherrima quaſi membra illius, ſic bonarum literarum amatores vel ſoli, vel in primis, intelligunt, & ut proprium bonum poſſident atque uſurpant. Qui ſi vellent ſuam induſtriam intendere in parandam augendamque rem & quaerendas divitias, quid poſſent efficere Thales declaravit, qui uno anno tantum pecuniae de oleis conductis fertur confeciſſe, quantum non multorum potuiſſet omnibus fraudibus ſuis colligere mercatorum ſedulitas. Sed placet his nihil vulgare & commune, ac illo eximio potius quamvis modico contenti, ab iſtorum potentum faſtidio ac ſuperbia deſpecti, deſtituti, & quod ad iſtos attinet, redacti ad laqueum, tamen vivunt, ac quidem ſummis voluptatibus perfruuntur, dum illi ſaepenumero in affluentia omnium, tanta tamen penuria laborant, ut ipſi corda ſua exedant atque conficiant. Interea hi ſuaviſſimo melle Muſarum, quemadmodum vetus Comatas ille, paſcuntur, de quo Theocritus, ut mirifice elegantibus verſibus Eobanus noſter convertit.

O felicem te dive Comata
Tam jucunda quidem tibi contigit iſta voluptas,
Paſtus apum ſtudio cedrina concluſus in arca
Perficis aeriis totum nutricibus annum.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

At enim libenter bene victitant homines, lauteque & copiose accipi volunt, veſtiri molliter & ſplendide. Ut igitur in hominum commercio hoc tempore & his moribus, quaſi artificium quoddam diſcendum exercendumque ſit ſapientiae atque doctrinae, multo profecto in illo omnia ſunt ſpecioſa & praeclara magis futura cum horum adjunctione, quam ſi his careant. Sint igitur illa, quibus opinione vulgi praeſtantia comparatur, quibuſque locupletari multos conſtat, in hac quidem vitae miſeria magis neceſſaria, haec tamen, ut videntur, exilia & tenuia non ideo parvi pendi debent, ſed aſſumi vel tanquam animorum recreatio, iis temporibus, quae illiberalibus alii delectationibus abſumunt, vel ut hac quaſi venuſtatis pulchritudine artium bonarum, illae profeſſiones decoren-

corentur atque eniteſcant. Sed ego miror quae ſpes aut perſuaſio eſſe poſſit, valitura ac duratura ulla ſtudia doctrinae, ſi haec initia artium bonarum convulſa & debilitata ſint. Nam ſi futurum eſt, ut haec mediocriteriam emicans flamma eruditionis, in uberiorem adhaereſcens materiam invaluerit, quis omnino abſque hujus perpolitione doctos eſſe ullos arbitrabitur? Sin & haec nos manet infelicitas, ut quaſi in herba haec ſeges exareſcat atque moriatur. Quis non videt, quanta fames & clades profeſſoribus cujuſvis ſcientiae impendeat? Apparet igitur ſtudia haec ornare, atque celebrare omnia alia, illa vero horum opinione & dignitate niti atque ſuſtentari. Quo magis miror, quid quidam in gradibus illis, ut habentur, altioribus doctrinae collocati, cogitent, qui quaſi cum bajulis & operariis vivant, in ipſis artium quarundam ingenii profeſſionibus, non ſolum gaudent atque exultant opinione ineruditionis, ſed etiam ſi qui forte nonnihil operae in optimarum artium atque diſciplinarum ſtudiis poſuere, perdidiſſe ſe non dubitant ſimulate verbis, non enim certe ſentire etiam exiſtimo. Sed alii jam exoriuntur qui quaerant, quas tandem artes & quae ſtudia nos tantopere verbis efferamus, cum omnibus ſaeculis artes tractatae in ſcholis & traditae fuerint? Quibus hoc reſpondemus, eaſdem plane artes quas ipſi ſentiant nos intruducere verbo, re ipſa diverſas. Nam & Latinae atque Graecae linguae cognitio, & Philoſophia quae deſcripta ſermone & explicata ſapientia illarum gentium eſſet, ſemper habuit doctrinam tanquam materiam quam informaret. Sed diu certe retro ſinceritatem & puritatem abfuiſſe, & in denſa caligine optime etiam nata ingenia hallucinata eſſe reperitur, quorum vis omnis in quibuſdam inanibus ſubtilitatibus abſumpta evanuerit. Sed quicquid fuerit operum quae iſti ederent, cum fundamento careret perſpecti & cogniti ejus ſermonis, quo omnia quae ſapientiae & doctrinae nomen atque famam merita unquam fuere, expoſita ac declarata eſſent, quis non videt firmum non potuiſſe eſſe. Itaque illa quae paulo diuque etiam ante doctrina nota laudataque fuit, in quadam ſpinoſa tenuitate, ad nullas ferè alias res utilis fuit, quàm ad ſcholaſticas rixas & alter-

altercationes. Quibus ſi nunc minus, in quadam ſcilicet copia meliorum delectantur bene nata ingenia, danda illis venia eſt, & ignoſcendum iis, qui repertis frugibus veſci quàm glande malint. Multa in dialecticis, multa in Phyſicis, multa ubique locorum doctrinae atque artium, à prioribus congeſta, jam dilabuntur. Non enim fundamentum ſubjectum fuit eruditae & ſolidae ſcientiae. Neque quiſquam nunc fere eſt, qui non malit diſcere quo utatur in vita, quàm totius vitae uſum in diſcendo conſumere & perdere. Etſi non reprehendo, quin vehementer probo & laudo, ſi cui neque voluntas neque ocium deeſt, ut omnium in Philoſophia excogitationes, non ſolum cognoſcere, ſed etiam amplius elimare atque expolire poſſit. Si igitur ille totum ſeſe in haec etiam minus apta ad vitam communem immerſerit, & in quendam receſſum ſapientiae abdiderit atque ſeduxerit, non modo ab hujus vitae communi conſuetudine, ſed penè etiam ſenſu, haud in noſtram quidem ille reprehenſionem incurſurum ſe ſciat, ſed judicio potius noſtro felicem beatumque futurum eſſe. Verum haec felicitas, ſi vere eſt felicitas, conceſſa paucis eſt. Nos autem craſſius quoddam filum in hoc genere pertexamus, quóque magis nos ſentiamus eſſe doctos, paulo indoctiores reperiamur, ut ſi minus in exilitates illas diſputationum comminuere poſſimus puſillam vim ingeniorum noſtrorum, ne tamen ſimus artium optimarum rudes, neve ignoremus praecepta & intelligendi & eloquendi, ſed cognita & perſpecta veterum doctiſſimorum & ſapientiſſimorum virorum ſcriptis, explicemus, & noſtra imitatione ſecundum illa opere quoque confecto prolatoque illuſtremus. Sic quidem ut univerſa ad veritatem & conſtantiam ſententiarum, & actionum honeſtatem atque decus referantur. Nam niſi hoc fiat, aliae quidem aliis fotaſſe in ſpeciem magis bellulae operae videbuntur, eadem tamen vilitas vel potius futilitas omnium eſt futura. Videris igitur quarum ego artium ſtudia ſignificem bonitatis & humanitatis adiectione, ſentiendi videlicet recte, & diſerte quae bene cogitaris eloquendi, quibus rebus perculta mens & inſtructus animus, in optimarum actionum ſplendidiſſimis operibus ſtrenue exerceri ſolet. Ut enim in

bene conſtituto corpore omnium partium quae integrae ſunt, functiones laudabiles ſunt, ita de animo inſtructo bonis artibus atque diſciplinis, nihil poteſt niſi ſpecioſum & pulchrum exiſtere. Haec autem doctrina priſcorum ſapientiſſimorum & divinorum hominum monumentis celebratur, de quibus diligentia poſteriorum & ſimilia exempla elaboravit, & praecepta illarum collegit, atque tradidit aliis, unde optima diſciplina tandem & exorta & perfecta fuit, quo Graeca natio prae caeteris facile omnibus bono abundavit. De quibus libet pluſculum facere verborum, quo minus vos qui his ſtudiis incumbitis propoſiti atque operae veſtrae poeniteat. Cavete enim per Deum immortalem, ut illa coeleſtia priſcorum ſcripta, quae ſunt quo certiora & Auguſtiora eſſent numeris omnia aſtricta, quod orationis genus, Poeticum ut ſcitis, appellatur. Haec igitur cavete inquam ut nugacia, & inanis tantummodo voluptatis, ut aliqui criminantur, efficientia eſſe credatis. Cuncta enim in his quaerenda. Nam profecto invenientur quae ullam laudem doctrinae conſecuta in quocunque homine ac tempore fuere. Ac memorantur quidem & alii tanquam auctores & parentes tanti boni. Sed Homerus omnium ſaeculorum atque gentium conſenſu, vel unus propriam vel praecipuam hanc famam meritus conſecutuſque eſt, cujus quidem verſibus nemo inter doctos reperitur qui dubitet, quin omnia ea de quibus praecepta artium tradi poſſint, vel deſignata vel expreſſa ſint. Interpretes quidem hujus ita ſtatuunt, haec etiam omnia de illis accepta ac deprompta, & iſtos doctrinarum libros nihil eſſe exiſtimant, niſi vel Commentarios quoſdam vel dilatationes atque verboſiores explicationes ſenſuum Homericorum. Itaque tanquam ab ovo orſi demonſtrant Grammaticae primum rationem de illis excerptam & conſtitutam, & has figuras ac varietates cum verborum tum orationis hoc auctore, in cujus primum ſcriptis notarentur, quaſi genitas fuiſſe. Non ſcilicet quod ipſe invenerit & excogitarit, ſed quod deſcribendo ita conformarit & cura atque exquiſitione perpolierit, ut quia de ipſius primum ſcriptis eminere & inſignia atque elucentia conſpicerentur, ipſe edidiſſe atque produxiſſe viſus ſit. Quem-

ad-

admodum Socratem, qui primus coeperit distincte & explicate philosophari, auctorem atque parentem sapientiae non injuria dicimus. Verum autem hoc esse constat & manifestum est, cum nulla orationis figura, nullius verbi idonea positio neque deflexio, nihil neque rectum neque versum commemorari possit, cujus in isto exemplum non sit, & quem tamen alium secutus fuerit nemo unquam commemorare potuerit. Quare cum horum propria cura Homeri fuisse inveniatur, ad illum nimirum auctoritas quoque atque origo referenda est. Idem statuendum de toto artificio Dicendi, quod est & in certitudine & in facundia, illo magistro cognitum & usurpatum. Hoc, ne domesticis modo, id est, Graecis testibus utamur, & M. Fabio (*Lib.* 10) visum, qui hunc omnibus eloquentiae partibus ortum & exemplum dedisse affirmat. Quid ego jam requiram amplius, aut dici ne aliquid speciosius aut glorioſius potuit? Vix hoc in tam multis & grandibus Graecorum laudationibus reperias, quod Latinus homo paucis verbis complexus est: Omnibus, inquit, partibus eloquentiae, ne parum locuples hujus esse auctor videretur. Cum tanta sit eloquentiae magnitudo, ut hominis unius ingenio atque industria vix posse tota comprehendi existimetur. Sed quid addit Fabius? ortum & exemplum dedit. Jaceret igitur illa absque hoc vel potius nulla esset, quid enim esset non orta? Quantum hoc autem, non solum Homerum parentem esse eloquentiae, sed etiam magistrum atque doctorem, qui non modo ipse speciosissima illius opera elaboraverit, sed aliis etiam ad imitandum propoſuerit. Sit igitur in partu eloquentiae major hujus fama, instructio quidem certe cum summa humani generis utilitate est conjuncta. Reliqua sunt doctrinae genera duo, de Natura & Moribus. In quibus unum Homerum tam multis dissentientibus decretis atque placitis Sapientum, occasionem praebuisse, & suppeditasse materiam disputationum; apertum & clarum esse putant. Nam & veterum plane dogmata ab illo sumpta, & haec à sequentibus secundum ipsum emendata, correcta, locupletata esse probare conantur, & ut mihi quidem videtur probant. Academici certe nobilissima Philosophorum natio, imprimis

ſtudioſe teſtimoniis verſuum Homericorum uſi ſunt. Sed in Phyſicis ſemper fuit inter doctos diſſidium, videlicet quod de rebus obſcuris & abſtruſis, neque ad judicium, neque ſenſum communem patentibus atque apertis, cum diverſorum ingenia in exquirendo vero laborarent, idem videri uuiverſis non magis vel potius multo minus potuerit, atque in dubiis cauſſis pluribus advocatis & conſultis, probabilia quiſque ſequebatur, quae alius non iiſdem rationibus ductus, commovere atque impellere, hujuſque mox ſimiliter alius tradita labefactare ſemper aliquis conſuevit. Cum autem poſt primas inventiones quaſi recenter natas adhuc imbecilles & titubantes, multis ſeculis maxima ſummorum virorum ſtudia ſeſe in illis explicandis occupaſſent, extitit tandem acerrimo vir ingenio & promptiſſima induſtria, doctrina incredibili Ariſtoteles, qui tanquam cognitor datus à rerum Natura ipſaque ſapientia, cauſam hanc adverſus alios diſceptaret, ſi quo modo aliquando lis decidi poſſet. In quod ille ita bonam atque laudabilem operam dediſſe exiſtimatur, ut nunc qui praeter hunc alium Philoſophiae auctorem quaerat vel etiam nominet, non audiendus eſſe videatur. Diligentia quidem certe hujus tanta fuit, ut alicubi in tenuitate exquiſitionis offendi ſoleant ii quorum animi à ſubtilitatibus non neceſſariis abhorrent, qua maxima de cauſſa ſcripta ipſius ab ſectatoribus quoque neglecta fuiſſe arbitror, partim quod in quamvis admirabili ſcientia hujus & copia, amplitudinem requirerent Platonis, quo magiſtro uſum Ariſtotelem ſcirent, partim quia vel moleſtia ſtudii fugiebatur, vel animi vis deerat ad intelligendum difficiles & preſſas diſputationes, & indagandos ſenſus callidiores ac remotiores à vulgari captu. Sed de hoc quiſque ſtatuat quod libuerit. Quicquid certe diſſerendo ſapientes illi veteres quaſi celebravetunt, de rerum natura atque vi, hoc totum de Homericis veluti ſeminibus exortum eſſe apparet. Neque nos nunc manifeſta illa omnibus memorabimus. De Numine divino, de Coeli, Aeris, ſtellarum, maris atque terrae, motu, effectione, ſpecie, proprietate atque ſtatu. Et quae alia ſimiliter evidentia & conſpicua ſunt in hoc auctore. Sed quae de ipſius magis reconditis ſignificationibus ſapien-

pientum cura & vestigatio eruit atque proposuit. Ut illa veterum de rerum incertitudine opinio, in qua fuit Democritus, Empedocles, Parmenides, Anaxagoras, cujus etiam quondam celebre dictum ferebatur ad amicum quendam suum: Sic esse cuique res omnes uti ipse arbitraretur. Quod si fieri potest, ut mentis atque animi ratio & intelligentia existimationes diversas admittat, Res scilicet etiam certitudinem & quandam quasi stabilitatem non poterunt retinere. In quo Aristoteles hoc molestissimum esse aiebat, si illi tantopere fallerentur, qui maxime Verum quatenus hoc cerni posset, vidissent. (τῷ. γ μετὰ τὰ Φυσικὰ.) Eos autem esse qui maxime quaererent atque sequerentur. Si enim hi talibus opinionibus tenerentur, & de Vero istum ad modum docerent, quaerebat quonam pacto sperandum esset, ut Philosophi alacriter & sine tristitia in suo studio versarentur? cum Verum perquirere, idem esse quod volucres cursu sectari videretur. Sed nos ad rem redeamus, quam sumptam de Homero demonstremus. Quid enim dicit aliud apud hunc Ulysses? (ὁδ. α.) ut Cicero, sic enim puto, convertit.

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Jupiter auctiferas lustravit lampade terras.

Atque idem de hoc innui Aristoteles visum scribit, quod Hectorem afflictum hostili manu & exanimatum ἄλλο Φρονέοντα jacuisse Homerus fecerit, ut qui in consternatione quidem animi, non careret intelligentia ac ratione, sed ea non similiter uteretur. Illa vero tota historia de anima Platonicorum, sive est Aegyptiaca sive alterius gentis, Homerica est. Quid enim dicit in eo libro quo moritur, Socrates Critoni, à quo rogatus fuisset quemadmodum sepeliri vellet (ut omnia Ciceronis verbis referam, quibus enim possim praeclarius?) Multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi, Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum, neque quicquam me relicturum. Non volebat se videri esse corpus suum, sed animum, rectene an secus, nihil ad nos in praesentia quidem. Sed nunquid Homerum hoc illi subjecisse credibile, qui de anima Thebani Tiresiae hos versus fecerit? (ὁδ. λ.)

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίδος Τειρεσίαο
χρύσεον σκῆπτρον ἔχων.

Ad ipsum enim Tiresiam quod infertur referendum apparet, id est certe hominem qui animus esset. Jam tripartita divisio animae, rationis, iracundiae, cupiditatum, manifeste Homerica est. Neque dubitant plurimi singularum etiam, sive partium illarum, seu naturarum domicilia haec Platonica, de Homero accepta, quasique conducta esse. Quid Mediocritas, quam tantopere extulerunt peripatetici, nonne ab Homero demonstrata? Qui, cum ubique ignavos immoderate & exultare, & quasi prosterni tam animo quam oratione faciat, haec omnia temperata introducit in fortibus viris, cum illos trepidare & palescere atque nimis timere negat. Et Ulysses (λ. v.) plane rejicit nimia, ac mediocria probat, cum se Diomedem valde vel laudare vel vituperare vetat. Menelaus quoque (δδ. ο.) plane dicit se succensere iis qui immodico hospites vel amore vel odio prosequantur, modum enim esse optimum. In quo autem sibi Academici atque peripatetici, sive haec una familia est, vehementer placuerunt, ut in exquirendo vero, à sensibus subjectis rebus cogitationes abstraherent, an non magistrum hunc habuisse credendum, apud quem legissent talia? (λ ο.)

Utque cito humanae vis transvolat impete mentis
Cum secum fuerit quàm multis illa revolvit
Hospita terrarum in regionibus, atque ibi passim
Nunc huc nunc illuc repetendo cuncta vagatur,
Sic celeri in coelum Juno est sublata volatu.

Et simulachrum quidem Herculis apud Orcum comparuisse, cum ipse in divorum consortio delectaretur cum Juventa conjuge. Sed nobis in his modus tenendus, dicendumque fortasse aliquid & de posterioribus. Quorum Zeno Cittiensis, qui videretur multo omnium exquisitissime & subtilissime Philosopari, libros etiam composuit quaestionum Homericarum, unde facile apparet quàm multa ab illo, quem tanta cupiditate legeret, ipse didicerit. Quis vero etiam magistrum quaerit alium Epicurei dogmatis, cui lecti sunt versus Homerici de Odyssea, (δδ. ί.) quibus Ulysses sibi negat quicquam cogitanti videri bea-

beatius, quàm ſi in laetitia publica convivia & carmina frequententur, & pocula plena circumferantur? Cum autem ea pars Philoſophiae, quae de moribus eſt, plurimi fieri propter eximiam utilitatem & ſoleat & mereatur, poſſumus, ut opinor, contenti eſſe in hoc Horatii teſtimonio, ne quid amplius nunc quaerere velimus, qui affirmat eum hunc poetam eſſe,

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicat.

Quorum alter porticum fulcire dictus eſt, alter in Academia primas aliquando tenuit. In hac parte plurimum momenti atque ponderis habent optimarum ſententiarum atque monitorum ſubjectiones, quarum praeclariſſimae quaeque apud poſteriores poetas de hoc auctore derivatae comperiuntur. Quibus etſi omnem quaſi materiam hic ſuppeditavit, unde ſua induſtria diverſiſſima opera effingerent, haec tamen ſententiarum explicatio inprimis declarat, cur Aeſchylus dicere ſolitus fuerit: Sua ſcripta particulas eſſe de magnis coenis Homericis. (*Athen. lib.* 8.) Sed cum hoc genus ſit duplex, unum in quo paucis verbis aliquid breviter quidem profertur, cujus intellectus tamen latius pateat, alterum quod copioſa oratione exponitur, nonnihil exemplorum adducamus de quibus planum fiat, celeberrima dicta poſteriorum ab hoc accepta eſſe. Cum autem illa brevia & contorta, quae Graece ἀποφθέγματα nominantur, Latine ſervata proprietate dici vix poſſe videantur, graeca quaedam memorabimus. Ut hoc, μηδὲν ἄγαν, quod Terentius protulit, *Ne quid nimis.* Nonne ex iis natum, quae ſupra memoravimus ad mediocritatis conſiderationem deduxiſſe peripateticos exiſtimandum? De quo & hoc factum ἄριστον μέτρον. At iſtud ἕπου θεῷ, certe fluxiſſe de Homerico videtur, vel hoc, (*ιλ. ά.*)

Juſſa Deae ſemper mihi veſtra capeſſere fas eſt.

Vel hoc, quod de illo Maro videtur tranſtuliſſe (*ιδ. ί.*)

Ducente Deo, Vel ſane hoc., (*ιδ δ*)

Poſcebant ſemper ſua Dii mandata tueri.

Item καιρὸν φυλάσσε, dubium ne quin de hoc quaſi efflorueri, quod ait Subulcus? Tempus (*ιδ. ό*) eſſe & dormiendi, & au-

ſcultandi jucundos ſermones, neque prius quàm oporteat cubitum eundum.

At ὀργῆς κρατεῖν, unde niſi de hoc? (ὁδ. ύ.)

Sic ait inque domat valido ſua pectore corda,
Ipſa gerit morem quamvis afflicta voluntas.

Sed jam ad verboſiores illas ſententias veniamus, atque notiſſimae ſunt de fato illae, ut haec, (ἰλ. ζ.)

Fati nemo poteſt vim declinare virorum,
Sed forti ignavoque ſimul genito illa ferenda eſt.

Euripides in Herculidis ita fecit,

Haud fatale quod eſt lucet
Effugere, hoc ſapientia
Nunquam reppulerit, neque
Proficiet ſtudio ſuo
Hoc conari auſus.

Idem Hyppolyto.

Fatalis nulla neceſſitas eſt fuga.

Theognis ita.

Cyrne pati cunctis tulerint quae fata neceſſe eſt.

Homerus alicubi dicit ſcelera ſaepe punire Deos ſerius, ſed gravius. (ἰλ. δ.)

Euripides Jone.

Eſt quidem Deûm ira ſaepe tarda, nunquam negligens.

Homerus rurſum ſic: (ἰλ. κ.)

Conjunctis ad iter peragendum forte duobus
Alter ab alterius ſenſu quod proſit utrique
Saepe praeitur, at unius & ſunt pectora tarda
Et leve conſilium, ac acies improvida mentis.

Euripides Phoeniſſis,

Vir unus omnia non videt.

Homerus ita, (ὁδ. ζ.)

Nam melius nihil eſſe poteſt optabiliusve,
Unanimi quàm ſi conjuncti corde jugalem
Foemina virque thorum celebrent.

Euripides Medea,

Felicitas haec & ſalus eſt maxima
Inter virum uxoremque ſi permanet amor.

Ho-

Homerus ita expeditam & agilem introducit Aten, ut per hominum capita ingredi dicat. (ιλ. τ.)

Quid Sophocles? (*Antigona.*)

Nam compendio
Celeres Deûm ſtulto ultiones irruunt.

Homerus eos, qui vereantur in pugna, pleroſque incolumes reverti ait. (ιλ. ο.) Sophocles ita:

Sed ſuperſtitum
Pleroſque ſervat imperii obſervantia.

Dicit Homerus, Non oportere quenquam malo facinore fretum eſſe; Nam veloces à lentis quoque opprimi, ut validum Martem Vulcanus debilior cepiſſet. (ὁδ. θ.)

Theognis ſic.

Conſilio capit infirmus perſaepe valentem,
Jus immortales hoc ſtatuere Dei.

Idem, ſapientes vinum quod immodice hauſerint deformare dicit. Unde? niſi de Homericis verſibus qui ſunt in Odyſſea? (ὁδ. ξ)

Saepe jubet fatuum ſapientes carmina vinum
Accinere, & riſu laetas agitare choreas,
Verbaque promit, quae melius tenuiſſe fuiſſet.

Idem egregie monuit, (ιλ. σ.) cum praeterita non revertantur, ut proſpiciamus futura, ſcilicet de hoc, ut Cicero Verum praeterita omittamus.

Idem Theognis,

Nemo quidem cunctis rebus ubique ſapit.

At Homerus (ὁδ. θ.)

Non uni dant cuncta Dei bona.

Et Polydamas negat unum Hectorem poſſe omnibus rebus praeſtare. (ὁδ ν.) Sophocles Philocteta, dicit ſingularem artem & rationem eſſe eorum, quibus Jupiter tenendum regni ſceptrum commiſerit.

Idem ante Homerus, (ιλ. α)

Namque haud ſceptrigeri eſt vulgaris gloria Regis,
Cui decus ipſe hominum pater addidit atque Deorum.
Non eſt, inquit Sophocles, (Antigona) *ille vir*
Stultus, nec infelice ſorte, qui malo

Forte implicatus ut mederi possiet
Annititur, neque fovet illud pervicax.

Homerus idem elegantissima brevitate dixit: (*Il. ν.*) ἀνεχαί τοι Φρένες ἐσθλῶν. Quo significatur bonos & libenter placare & placari, annitique solere ut priora delicta emendentur.

Ait apud Homerum (*Il. ω.*) Achilles; Duo esse posita in coelo fatalia vasa, de quibus, obscurior enim expositio est, nondum convenit inter Grammaticos; Eum locum Pindarus (*Pyth. γ.*) etiam interpretari non reveritus est, cum dicit, sic dividere bona malaque Deos hominibus, ut singulis bonis gemina mala applicentur.

Homerus (*Il. π.*) Jovis voluntatem praestare semper rationi mortalium affirmat. Et facile illum fortibus etiam viris formidinem incutere & eripere victoriam. Secundum quod Sophocles: (*Electra.*) Si Deus convellat, nullius, inquit, robur tantum est qui periculum effugere possit.

Sed satis demonstratum esse confido quod propositeram, ac fortasse longior in his congerendis fui quàm oportuit. Non enim hoc agimus, ut in hac parte ostentemus quandam singularem memoriam nostram, sed ut indicentur quasi intento digito fontes, unde pleraque dicta bona atque utilia à posterioribus hausta essent, omnia enim colligere & infinitum esset, & vestro studio est relinquenda haec fructuosissima inquisitio atque cura, cum ad artium eruditionem, tum vero culturam vitae.

Ad quam bene atque laudabiliter instituendam, ita multum habere momenti lectionem hujus poetae, sapientissima quondam civitas Athenienſium judicavit, ut lege lata, jusserit quinto quoque anno, cum illa maxima festivitas Panathenaeorum celebraretur, hujus versus solenniter accini, utque praeter eos omnium aliorum recitationem interdixerit. (*Ex Lycurgo κατὰ λεωκράτ.*) Viderunt enim legibus quidem inprimis doctrinam morum contineri, sed eam esse cum breviorem tum inamoeniorem. Ad Poetas & deligere praecipua, & ea sic proponere, ut quasi redimita ornatu verborum & compositionis, gratissima & amabilissima redderent. Quorum principem, Homerum & praestantem in utroque esse scirent. Possem quamvis multa ad hunc modum

alia perſequi, ſed propero ad ipſam rem, hoc eſt, tanti auctoris explanationem. In ipſo etiam opere ſaepe hujuſmodi commemoranda ſeſe offerent. Neque mirum ulli videri debet, in unum hunc, tantam excellentiam conferri, cum ea comperiatur fuiſſe apud veteres ſententiae ejus, quae Homerica diceretur auctoritas, ut hanc defugere non ſecus atque oraculi divinitatem nefas haberetur. Itaque & Piſiſtratus unius verſus inſertione in Odyſſeae librum XI. heroicam opinionem Theſeo confeciſſe exiſtimatur. Is eſt in fine illius libri: (*Plut. in Theſeo.*)

Θησέα πειρίθοόν τε θεῶν ἀριδείκετα τέκνα,

Vel ut alibi ſcribitur, *ἐρικυδέα τέκνα.*

Et Solon calliditate ſimili cauſſam obtinuit de Salamine arbitris captis Lacedaemoniis. (*Plut. in Solo.*) Recitaſſe enim fertur tanquam Homericum ſuppoſitum à ſe de catalogo verſum

Αἴας δ' ἐκ σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας
Στῆσε δ' ἄγων ἵν' ἀθηναίων ἵσαντο φάλαγγες.

Quo ſtatim probatum fuerit arbitris Salamina ad civitatem Athenienſium pertinere. Huc accedit illa quaſi praerogativa antiquitatis, cum Herodoto omnium hic antiquiſſimus, hoc eſt, primus poeta eorum, qui fama doctrinae clari ſint, eſſe videatur. quanquam enim ille conjunctim de Homero atque Heſiodo verba faciat, tamen nos libenter M. Ciceroni aſſentientes, ſic interpretamur, ut multis ſaeculis priorem Heſiodo Homerum fuiſſe intelligamus. Cum non fugiat nos pleroſque Graecorum hos ambos in unam aetatem contuliſſe, & quoſdam tradidiſſe in Euboea hymno victum ab Heſiodo Homerum, cujus quidem ſuae victoriae ipſe mentionem facit, aliquos etiam Heſiodum feciſſe antiquiorem Homero, ſicut & Muſaeum, Orphea, Pamphon. Sic autem Herodotus, nam Graeca recitare libet, *Εὐτέρπη. οἱ δὲ πρότεροι ποιηταὶ λεγόμενοι τάτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕςερον, ἐμοὶ δοκέειν, ἐγένοντο τούτων.* Quamobrem paucos quoſdam, qui Homerica ſcripta carpere ſua cenſura, & vituperare auderent, non ſecus atque impios & ſacrilegos cuncti averſati fuere. Ex quibus Zoilum etiam de ſaxo praecipitem tota Graecia egiſſe legitur. Sed de his ſatis, vel potius nimium, praeſertim aliud nobis agentibus. Nunc ad rem igitur ipſam quam inſtituimus, aggrediamur.

Quae-

Quaeri ſolet ab iis, qui veterum ſcripta ſuſcepere explicanda aliis; priuſquàm incipiant exponere interpretatione ſua: De auctore, de genere ſcripti, de illius titulo, de voluntate & conſilio auctoris. Atque ita deinceps explanationem, diſtincto toto opere, ſingulorumque librorum, ſiquidem illud plures continet, argumentis enarratis, in manus ſumunt. De quibus etiam nos ipſis nunc deinde ſingulatim breviter quidem diſſeremus, ut quam primum ad ipſam explicationem pervenire poſſimus.

DE AUCTORE.

AUctor horum ſcriptorum Homerus eſt. De quo ſi velim memorare quae paſſim prodita ſunt, nimis longum fiat. Hoc nobis ſatis eſſe poterit, propter antiquitatem, & originem & patriam & civitatem, etiam tempus quo vixerit, vitamque adeo & fortunas, ac mortis genus ignorari, & haec omnia, id quod fieri ſolet in ultima antiquitatis hiſtoria, fabulis involuta eſſe. Itaque & alii humillimam originem illius, alii divinam tradidere, nam & ſerva natum, & fluvio Melete, vel Mercurio & Prophetide Thebaea, vel Apolline & Calliopa, proditum eſt. Et alii Graecum, atque horum quidam inſulanum hominem, ut Chium, aut Ithaceſium, aut Cyprium, quod & oraculo proditum Pauſanias ſcribit, nam & oracula de hoc poeta edita fuere, alii Aegyptium, alii Syrum, nonnulli Lydum, quidam Troianum, aliqui Italum atque adeo, quod miremur, Romanum fecere. Septem autem civitates Graecorum, de hoc contendiſſe, cum ſingulae ſibi vindicarent, epigramma teſtatur. (*Gell. lib.* 3. *cap.* 11.)

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, ἴος, ἄργος, ἀθῆναι.

Quae & ſic feruntur. (*Epigr. lib.* 4)

ἑπτὰ ἔριδι μαίνουσι πόλεις δίαν ῥίζαν ὁμήρου,
κύμη, σμύρνα, χίος, κολοφὼν, πύλος, ἄργος, ἀθῆναι.

Et ſic.

ἑπτὰ πόλεις μάρναντο σοφὴν διὰ ῥίζαν ὁμήρου,
σμύρνα, χίος, κολοφὼν, ἰθάκη, πύλος, ἄργος, ἀθῆναι.

Cir-

Circulatorem aliqui & ſuperſtitioſum fecere. Nam & tota ubique Graecia vagantem prope mendicaſſe victum, & umbras Heroum excitaſſe carminibus ſuis, ſunt qui ſcripſerint. Coecum quidem fuiſſe fere omnes fatentur, multi etiam natum coecum tradidere, fuiſſe quidem coecum ipſius judicio conſtat, qui & hoc commemorat, & ſe praeterea habitare in inſula Chio, in hymno quo Apollinem celebrat, quos verſus, & Thucydides lib. 3. hiſtoriarum inſeruit, deque iis unus hic eſt.

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ χίῳ ἔνι παιπαλόεσσῃ.

Vixiſſe ante ſuam aetatem ſcribit Herodotus, cui in temporum & nominum aſſignatione plurimum fidei tribuendum judico, annis circitar. cccc. Sic enim in ſecundo hiſtoriarum illius libro legitur. ἡσίοδον καὶ ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισιν ἔτεϊ δοκέω μεῦ πρεσβυτέρους γενέσθαι καὶ οὐ πλέοσϊ. Idem dicit Trojanum bellum antecedere aetatem in qua ipſe viveret, annis octingentis. Ita reperiretur Homerus Trojanis temporibus inferior annis. cccc. medius videlicet inter illa & Herodotum. Sed haec nimis longe & ab aliorum traditis, & ab iis abhorrent, quae in Homeri vita memorantur, cui auctor praeſcribitur Herodotus, haud ſane falſo, ut opinor. Cicero in quinto libro Tuſculanarum quaeſtionum in Lycurgi hunc aetatem refert. De qua & ipſa minime conſtat. Porphyrius ſcripſit fuiſſe natum Homerum poſt Trojae excidium annis ducentis ſeptuaginta quinque, ante olympiada primam annis centum. xxx. Hanc autem poſt Trojae excidium conditam annis quadringentis accepimus, ad quam rationem omnia congruunt, etſi nonnulli conditam illam poſt Troica tradidere annis quadringentis ſex, nonnulli quadringentis ſexaginta. De quibus ſuſpicio oritur in expoſito Herodoti loco mendum eſſe, & legendum forte pro τετρακοσίοισϊ, ita, ἡλικίην τ' ἑπτακοσίοισι. Sic enim congruerent aliquatenus haec cum iis quae in vita Homeri leguntur, juniorem eſſe illum Trojanis temporibus annis. clxviii. Neque enim refert quod lxviii. ſuperſunt, cum voluerit Herodotus illo in loco conſtituere tempus, quod aetas certe illorum poetarum non excederet, ut inferiores quidem, nullo autem modo ſuperiores duci poſſent. Huc acce-

accedit, quod in eadem vita Homerica manifeste dicit Herodotus inter aetatem Homeri & bellum illatum Graeciae à Xerxe, intercedere annos sexcentos. xxii. quo ipse bello posterior fuit. Etsi reperio & hoc annotatum, Arctinum quendam Homeri discipulum vixisse olympiade. ix. annis post Trojana tempora. cccc. Quapropter in medio sane haec & inexplicata relinquamus. Quid enim facere possimus, non invenio, tanta est in temporibus notatis diversitas & incertitudo. Hoc tamen non dubium est, abesse à nostra aetate Homericam, non paucioribus annis bis mille quadringentis, cum & Plinius (*lib.* 7. *c.* 16.) scribat ante se illum fuisse annis prope. M. Hoc bellum est, quod idem Plinius prodiit, (*Lib.* 30. *c.* 2.) Appionem Grammaticum evocasse umbras ad percontandum Homerum qua patria quibusque parentibus genitus esset, non tamen ausum profiteri quid respondisset. Nos igitur feramus aequo animo ignorationes in hac quasi caligine antiquitatis. De nomine quidem & ipso controversia est, qua de causa impositam huic videatur. Herodotus à fluvio Melete Melesigenem primum, mox Homerum, quo lingua Cumaea caecus significetur, appellatum scribit. Ad hanc causam Grammatici etiam originem nominis accomodarunt, & fecerunt ὅμηρον quasi μήορον per metathesin. Alii datum obsidem fuisse, cum bellum esset Smyrnaeis cum Colophoniis, obsides autem Graece ὅμηροι sunt. Jam & hoc traditum, (*Ex Aethiopico* 3. *Heliod.*) Homerum in Aegypto de quadam sacerdote, Mercurio patre, genitum â primis incunabulis hirsutum femur habuisse, qua nota insignis cum esset, obtinuisse de indicatione nomen putatur, cum propter admirationem ὁ μηρὸς, id est, femur appellaretur, ut apud Latinos Surae & capitones dicti fuere. Caecum alii natum, alii factum morbi vi tradidere. Neque defuerunt qui haud revera caecum fuisse crederent, sed hanc famam extitisse de mirifica continentia & moderatione hominis, qui nullis cupiditatibus se vinci pateretur, quae soleant per oculos penetrare ad animos mortalium. Mortuum quidam animi dolore prodidere, cum griphum piscatorium dissolvere non potuisset. Quod & Philetae accidisse scribunt, quaerenti neque invenienti explicationem argumenti cujusdam ex iis quae ψευδόμενα vocantur. Hoc Herodotus falsum esse

&

& morbo illum interiisse scribit. Sed de his quod quantumque volet assumere quisque, quod credat, poterit. Ejus sepulchro epigramma appositum hujus sententiae.

Condit humus caput haec sacrum, qui versibus arma
Fortia divinis heroum ornavit, Homerum.

De eodem nos quondam adolescentes hoc Distichon lusimus.

Flumina qui magni & ditem miratur Homeri
Venam, de fluvio cogitet esse patre.

Fuere & Grammatici hoc nomine duo, unus Byzantius, alter cognomento Sellius. Ab hoc autem nostro putantur Ὁμηρίδαι denominati posteritas hujus Poetae in Chio, vel qui illius poemata agerent, quod verbum est in Jone Platonis. Sed jam de auctore finem dicendi, & de genere scripti verba faciamus.

DE GENERE SCRIPTI.

EOrum, quae oratione exponi solent, una est divisio compositionis. Nam aut numeris, qui Graece ῥυθμοὶ sunt, concinnata illa ita est, ut μέτρα sint, qui versus dicuntur, aut soluta hac lege fertur libera, quae dicitur prosa oratio, propterea quod procedentem nulla compositionis necessitas retorqueat & convertat. Alia est divisio generalior Platonica illa, cum dicimus omnem expositionem vel esse Narrationem, ipse ἁπλῆν διήγησιν vel δι' ἀπαγγελίαν τοῦ ποιητοῦ nominat, vel Actionem, vel mistam. Atque haec est certior & absolutior quàm quae à Rhetoribus traditur. Narratio est enim omnis oratio, qua aliquid esse aut non esse, quaque, quid ac quale sit vel non sit, refertur, ut omnes disputationes & historiae sive rerum gestarum seu fictarum. In hoc genere nulla agnoscitur nisi auctoris persona. Actio autem tota est in Imitatione, cum auctor sermonem in personas confert à quibus res agi videantur, non narrari. Ubi vero auctor suam etiam personam admiscet, ibi genus mistum est, seu δι' ἀμφοτέρων. Exempla primi generis poterunt esse haec: Urbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui Aenea duce profugi vagabantur.

Item.

Item.

Ruſticus expectat dum defluat amnis, at idem
Labitur & labetur in omne volubilis aevum.

Item,

Poeta cum primum animum ad ſcribendum appulit, & caetera, ſunt enim nota. Item poema Virgilianum, cujus initium.

Sicelides Muſae paulo maiora canamus.

Secundi autem generis poema Virgilianum.

Tityre tu patulae recubans ſub tegmine fagi. Et iſtud:

Cur non Mopſe boni quoniam convenimus ambo. (diae. Ciceronis Cato & Laelius. Omnes tragoediae & Comoe-

Tertii generis exemplum, carmen Horatianum cujus initium

Paſtor cum traheret per freta navibus

Item hoc Maronis:

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Libri Ciceronis de finibus. Item de natura Deorum. Aeneis Virgiliana. Atque hujus etiam generis Homerica eſt Poeſis, compoſita verſibus, hoc eſt certa dimenſione pedum, Graeci μέτρα vocant. Quorum cum formae ſeu ſpecies ſint variae, perfectiſſima haec habetur Dactylica ſenaria id eſt ἑξάμετρος. Senis enim pedibus exprimitur aequalium partium, dactylo & ſpondeo, promiſcue illis quidem poſitis, ſic tamen ut dactylus quintum ſemper locum occupet. Quod ſi quid reperitur aliter factitatum, hoc ut ſingulare & licenter uſurpatum à Poeta, annotari ſolet, quemadmodum verſus qui dicuntur. σπουδαΐζοντες. (*Il.* π.)

Τόνδ' ἐπιπερτομέων προσέφης πατρόκλεις ἱππεῦ.

Aut leves ocreas lento ducunt argento. (*Aen.* 7.)

Item qui ὑπέρμετροι & ὑπερπατάληκτοι, longiores una ſyllaba, quae ſolet plerumque inſidere in ſequentis verſus initialem vocalem, ut (*Il.* θ.)

Τρῶας ἀπώσασθαι καὶ ἐρυκέμεν ἐυρύοπα ζῆν αὐτῶ.

Aliter. (*Od.* ν.)

Τῷ Φέρον ἐμπλήσας ἀσκὸν μέγαν, ἐν δὲ καὶ ἦϊεν κωρύκῳ.
Τρεῖς γὰρ τ' ἐκ κρόνῳ εἰμὲν ἀδελφεοὶ οὓς τέκετο ῥέα (*Il.* ο)
Jactemur doceas, ignari hominumque locorumque

Etia-

Erramus (Aen. 6.)

Quin protinus omnia
Pellegerent oculis. (Aeneid. 1.)

Item qui λαγαροὶ vocantur quasi elumbes, cum in medio neglecta pedum observantia videtur, Ut

Ἠδὲ μέγ' ἰάχησα ἀπὸ ἕο κάββαλεν υἱόν. (ἰλ. ε.
Φαιήκων, μήδ' ἅτῳ φίλον δὶ πατρὶ γένοιτο. (ὀδ. η.
Muneribus tibi pampineo gravidus autumno. (Georg. 2.
Consilium ipse pater & magna incepta Latinus. (Aeneid. 11.

Itemque ἀνέφαλοι μείεροι, qui initio ac fine deficiunt.

Ut Ἐπειδὴ νῆας τε καὶ ἐλλήσποντον ἵκανε. (ἰλ. ψ.
Φθινύθουσιν νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχεούσῃ. (ὀδ. π.
Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον ἀιόλον ὄφιν. (ἰλ. μ.

Fluviorum rex Eridanus, ἀνέφαλος est.

Μείεροι adducuntur de Livio à Terentiano.

Balteus & revocet volucres in pectore sinus.
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Et ipse Homericum ita vertit:

Attoniti Troës viso serpente pavitant.

Genera quidem metrorum & singulatim dactylicas formas exponere, nimis longum fuerit, & illa passim inveniuntur à Grammaticis collecta, has etiam persequi fructum habiturum non videtur.

Heroicos autem versus dixere, hoc genus longorum versuum, ut Ennius vocavit, quod conveniret historiae magnorum & fortium virorum, hoc est τῶν ἡρώων, ut Horatius:

Res gestae regumque ducumque & tristia bella,
Carmine quo possint scribi monstravit Homerus.

Dicuntur & ἔπη à consequentia, ut Etymologicis placet, ὅτι τὰ ἐφεξῆς τοῖς πρώτοις ἕπεται, vel à contextu verborum. Dicuntur & πύθιοι, quia origo refertur horum ad oraculum Apollinis Delphici, quo primus omnium hic versus editus fuerit,

Συμφέρετε πτερὰ ὀιωνοὶ ἄνθη δὲ μέλισσαι.

Est autem hoc genus carminum eorum, quae dicuntur κατὰ στίχον, vel ἀμετάβολα, quod sequentes praecedentibus similes sint, neque carminis modus mutetur.

Carmen quidem Latinis, ᾠδὴ Graecis, est generalis appella-

tio, à canendo, ſicut & camoenae, quae fuere quondam caſmoenae, & carmentis ac camilla, quae priſcis eſſent caſmentis & caſmilla. Sed ὠδὰς & carmina proprie nominarunt ea, quae Graecis ſunt μέλη, à ſuavitate cantus, & λυρικὰ, quia fidibus accinerentur, & χορικὰ, quod chorus caneret. χορὸς autem ἀπὸ τῆς χαρᾶς dictus, ut Platoni videtur. (νόμων. B.)

Eſt igitur Homericorum librorum genus orationis metricae, id eſt carmen, & quidem formae dactylicae, miſtae cujuſdam rationis ἐκ διηγήσεως καὶ δράματος.

DE TITULO OPERIS.

Ποιητὴς proprie dicitur faber quidam Muſarum, nam vox eſt appellativa, κατ' ἐξοχὴν igitur poëtae ſunt Muſici opifices, qui verſus faciunt & carmina componunt, incitati divino quodam impetu animorum. ποίησις totum poëtae opus, ut Ilias, Aeneis. ποιήματα particulae quaedam operis. Homeri igitur poëſis complectitur duo opera, unum cui titulus Ἰλιάς, alterum cui ὀδυσσεία. Sed nos Illiados interpretationem promulgavimus. Hoc igitur nomen factum patronymica forma, in ſignificatione poſſeſſivi Aeolenſium more, ab Ilio quae appellatio urbis eſſet Troianae, ab Ilo patre Laomedontis, cujus eſt nomen apud Homerum foemininum, ut Ἴλιος ἱρὴ. (Ἰλ ζ.) Nam grammatici confixerunt apud eundem Ἴλιον ἀιπὺ ἔλοιεν. (Ἰλ. ὁ.) Sed memorantur etiam alia poëmata, quorum auctor Homerus fuiſſe dicatur. Ut Amphiarai expeditio. Amazoma. Ilias minor. Reditus. ἐπικίχλιδες, quod nomen factum volunt à mercede, quam acciperet à pueris pro illis verſibus, fuiſſe autem turdos. Pugna ranarum cum muribus. Pugna aranearum. Pugna gruum. Margites. Hymni. De quibus relinquamus dubitationes grammaticis, maxime cum praeter ὕμνους quoſdam & βατραχομυομαχίαν, nullum nunc quidem illorum ſuperſit, & Homerica tamen haec quoque credi abſque illius infamia, ut opinor, poſſint, quemadmodum culex & alia ludicra Maronis. Thebaidos etiam quoddam ſcriptum propter praeſtantiam ſuam aliqui ad hunc retulerunt, & verſus Cyprios, quos Herodotus arguit non eſſe Homericos. Inter quae.

quaedam autem parva illius poëmatia, quae ab Herodoto commemorantur, unum perelegans placet, cui nomen εἰρεσιώνη, recitare. Nam & aliqua ex parte cum moribus praesentibus ille, ad quem accommodati illi versus sunt, convenire visus, & nos admodum humanissime veterum consuetudinis cogitatio oblectavit. Nam collectis pueris fertur carmen ad aedes locupletum accinuisse, cum praeferretur ramus oleae lemniscatus. Ipse autem praecinere soleret, versus, quos nunc memorabo.

Εἰρεσιώνη ὁμήρου ποιημάτιον.

Δῶμα προσετραπόμεσθ' ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο
Ὃς μέγα μὲν δύναται, μέγα δὲ βρέμει ὄλβιος ἀεί·
Αὐτὰρ ἀνακλίνεσθε θύραι, πλῆτος γὰρ ἔσεισι
Πολλὸς, σὺν πλήτῳ δὲ καὶ εὐφροσύνη τεθαλυῖα,
Εἰρήνη τ' ἀγαθὴ, ὅσα δ' ἄγπεα μεσὰ μὲν ἔιη.
Κυρβαίη δ' ἀεὶ κατὰ κάρδοπον ἕρπεο μάζα,
Νῦν μὲν κριθαίην εὐώπιδα σησαμόεσσαν.
Τοῦ παιδὸς δὲ γυνὴ κατὰ δίφρακα βήσεται ὔμμιν,
Ἡμίονοι δ' ἄξουσι κρατάιποδες ἐς τόδε δῶμα,
Αὐτὴ δ' ἴσὸν ὑφάινοι ἐπ' ἠλέκτρῳ βεβαυῖα·
Νεῦμάι τοι νεῦμ' ἄυ ἐνιαύσιος, ἔσε χελιδών.
Ἔσηκ' ἐν προθύροις ψιλὴ πόδας. ἀλλὰ φέρ' ἆιψα
Πάτερ σοὶ τῶ δ' Ἀπόλλων' ἀγυιεῖ τι δός.
Κἐι μέν τι δώσεις, ἐι δὲ μὴ, οὐχ ἑξήξομεν,
Οὐ γὰρ συνοικήσοντες ἐνθάδ' ἦλθομεν.

Quod autem mentio fit hirundinis, eo pertinet, quia sub illius aviculae adventum quasi laetiore tempore veris, hae cum carminibus circulationes hilarius agitabantur. Cujus rei & mentio fit ab Athenaeo libro octavo, ubi & jambici versus exponuntur, quae à pueris cantarentur, quorum ultimi.

Ἄνοιγ' ἄνοιγε τὴν θύραν χελιδόνι,
Οὐ γὰρ γέροντες ἐσμὲν, ἀλλὰ παιδία.

Atque ipsum etiam ramum qui praeferretur, ut diximus, hirundinem dixisse, de his videtur intelligi posse. Sed nos etiam Homericos versus translatos in Latinum recitabimus.

LEMNISCI POEMATIUM

Homeri.

Haſce viri inprimis opulenti advenimus aedes,
Qui locuples multumque poteſt vivitque beatus.
Hoſtia nunc pateant, accedit copia dives,
Gaudia quam, dulciſque quies comitantur euntem.
Omnia vaſa bonis multis cumulata redundent.
Pollineae ſemper jaceant in corbe placentae.
Hordea ſed nobis nitidam & nunc ſeſama reddant.
Pulchra nurus molli recubet ſubnixa ſedili.
Quique vehant hanc mula trahat validungula currus.
Ipſa per ingrediens electrum ſtamina ducat.
Annuus ecce tibi redeo annuus, interea iſtic
Veſtibulum exilis poſita ante reſiſtet Hirundo.
Nunc age, ſi quid das, age nunc aſtantibus affer.
O pater Apollinem vialem munere
Afficito, nos tibi gratias habebimus.
Sin das nihil, nos hic tamen non ſtabimus,
Neque tecum enim ut habitemus huc advenimus.

DE CONSILIO AUCTORIS.

CONſilium auctoris atque voluntas fuit, exemplum quoddam ſingulare fortitudinis hoc opere ſuo proponere, & Graecos ornare atque inſectari, planeque infamare barbaros. Denique celebrare praedicatione ſua res Graeciae. Qua de cauſſa plurimum commendationis Homericis ſcriptis acceſſiſſe Iſocrates (πανηγυρικῷ) putat, atque ideo inſtitutum à majoribus, ut hujus poëtae carmina adoleſcentes lectitarent, ut & ad odio proſequendam barbariam, & imitandam virtutem ſuorum populariorum incitarentur. Atque ob hanc etiam voluntatem, non ſolum ob praeſtantiam Muſicae ſive artis, ſive potius furoris ἐνθέου, à Platone appellari Homerus ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν

mihi

mihi videtur, ſed de hoc, atque etiam Platonica rejectione, vel magis ſeductione hujus poëtae, alias diſſeremus.

OPERIS DISTINCTIO.

SEquitur operis diſtinctio. Hoc igitur libris viginti quatuor abſolvitur, inſignibus literarum Graecarum notis. Non quidem ab ipſo auctore ita editis, ſed primum à Piſiſtrato conquiſitis, & deinde ab Ariſtarcho vel Zenodoto ordinatis. Cicero (*de orat.* 3.) quidem utrumque Piſiſtrato attribuit his verbis. Quis doctior iiſdem illis temporibus aut cujus eloquentia literis inſtructior fuiſſe traditur, quàm Piſiſtrati? Qui primum Homeri libros, confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus. Tradidere hoc Graecorum alii multi, & Epigramma ea de re fertur.

Plato (Ὑππάρχῳ) ſcribit Hipparchum filium majorem natu Piſiſtrati, quem Harmonius & Ariſtogiton interemere, cum alia eruditione inſtruxiſſe cives ſuos, tum Homeri poëmata primum in Atticam deportaſſe & curaviſſe ut in feſtivitate panathenaïca à cantoribus, qui ῥαψῳδοὶ dicebantur, alternis illa conjungerentur. Ante haec igitur tempora diſperſa in Graecia carmina fuere hujus poëtae, ut ipſe diverſis in locis aliquam partem illorum ediderat. Neque ego exiſtimo Homerum tam egeſtatem ad illos perpetuos errores, ut multi perhibent, adegiſſe, quam cupiditatem & ſtudium cognoſcendae & totius Graeciae, quam ſuis carminibus illuſtrare cogitaret, & hiſtoriae quoque belli Trojani, quod argumentum tractare propoſuiſſet. Viguiſſe autem adhuc memoriam illarum rerum oportet, ſiquidem non fuit hic, ut fere convenit, poſterior quàm annis ſive xxiiij. ſive viginti ſeptem, ſive etiam ſexaginta ſupra centum. Addit Philoſtratus de rebus geſtis ad Trojam, conſuluiſſe umbram Vlyſſis profectum Ithacam in Pſychomantium, atque de illo omnia comperiſſe, quae poſtea fuerit complexus verſibus, cum quidem pactus eſſet Vlyſſes mercedem commemorationis ſuae, laudem & celebrationem famae atque nominis ſui. Sed hoc ille ſane confixerit, ſive verum attulerit, quid enim refert? Id quidem obſervavit Appion

Grammaticus, primi versus Iliados syllabam primam, duas literas comprehendere, quibus numerus quadraginta & octo designaretur, atque eo probare voluit post omnes Rhapsodias confectas, hunc versum proposuisse Homerum Iliados operi, ut numerum suorum poëmatum definiret atque exprimeret. Quae quidem est perexilis notatio, ita ut aliae aliorum multae. Nam infinita quaedam Grammaticorum turba in hujus auctoris scriptis suam sapientiam conata est ostendere, unde & hoc natum, cum illi audacissime interdum scripturam mutarent, eos Homeri libros esse castigatissimos, qui essent incastigatissimi. Sed similiter & hoc notatum subtiliter, Iliados versum primum & ultimum parem esse numero syllabarum, primo & ultimo Odysseae. Sed haec curiosis relinquantur. Cum autem nominarim in superioribus Rhapsodias Homericos libros, ne ignoretur vocabuli significatio placet & hoc addere. ῥαψῳδὸς dictos quondam eos, qui aliena carmina in publicis conventibus accinerent. Quod cantiones quasi fuerent concinnatione mutua, seu quia collectos aliorum versus consarcinarent. Sophocles Oedipo Tyr. ὅθ' ἡ ῥαψῳδὸς ἐνθάδ' ἦν κύων. quam & paulo ante ποικιλῳδὸν vocarat. ῥαψῳδία carmen. &, ῥαψῳδεῖν verbum. Sunt qui deducant à virgula ὅτι ῥαβδὲχοι ἠγωνίζοντο. Est autem ψ duplex non minus βς quàm πς, ut ἄραψ. Plato in Jone τὸν ῥαψῳδὸν ait esse interpretem poëtae, qui audientibus voluntatem & sententiam illius explicet, quapropter non modo elegantem pronunciationem versuum ab hoc, sed etiam enucleationem poëmatum requiri solere. Et quia potissimum horum studium circa Homerica carmina versaretur, ideo ὁμηριστὰς dictos accepimus, à verbo ὁμηρίζω, quod Homericum studium significat.

Argumenta autem, hoc est, summae librorum &, ut Graeci vocant, περιοχαὶ, ante explanationem singulorum rectissime exponentur. Quae tamen, qui separatim volet cognoscere, de Ausonio poterit sumere, qui utriusque operis Homerici periochas oratione soluta descripsit. Et nos de Iliade versus Graecos, argumenti loco propositos, singulis libris singulos Latine factos subjecimus.

Α. *Alpha preces Chryſae, peſtis mala, jurgia Regum.*
Β. *Somnia Beta refert, coetum populique rateſque.*
Γ. *Gamma ſua pugnat pro conjuge uterque maritus.*
Δ. *Delta Deum fora. Laeſa fides. Primordia pugnae.*
Ε. *Ei Venerem & Martem Diomedis tela cruentant.*
Ζ. *Colloquium Hectoreum narrat cum conjuge Zeta.*
Η. *Ἧτα unus contra vim ſolus it Hectoris Ajax.*
Θ. *Concio Theta Deum. Troum vis. Hectoris auſa.*
Ι. *Fruſtra ad Peliden legatio venit Jota.*
Κ. *Cappa exploratum caſtra egreditur utrinque.*
Λ. *Lambda duces Danaum profligat Troïca pubes.*
Μ. *Ardua, My, Grajum ſubvertunt moenia Teucri.*
Ν. *Clam Jove, Ny, Danaos Neptunus viribus auget.*
Ξ. *Juno ſoporifero, Xi, fratrem fallit amore.*
Ο. *Sentit, O, Neptunus Junoque gravem Jovis iram.*
Π. *Pi, Marte inſignem necat Hectoris haſta Patroclum.*
Ρ. *Rho Danai cumulant & Troës Marte cadaver.*
Σ. *Sigma Thetis nato Vulcania detulit aram.*
Τ. *Tau ruit in pugnas atque iram fingit Achilles.*
Υ. *Hy ſuperum exoritur bellum. Vincuntque pelaſgi.*
Φ. *Praelia. Phi. ripas ad fluminis urget Achilles.*
Χ. *Chi fugiens muros ter circum, caeditur Hector.*
Ψ. *Pſi ludos Danais funebres praebet Achilles.*
Ω. *O Patri Aeacida placato redditur Hector.*

His igitur breviter expoſitis, ad explanationem ipſam accedamus. Quo loco ſciendum antiquiſſimos Poëtas ſuos verſus ad modos, ſecundum quos accinerentur, compoſuiſſe. Itaque minus exquiſita eſſe ſyllabarum tempora, cum vox convenienter omnia modularetur. Quod poſteriores, qui ad artem reſpicerent, non fecere. Neque nunc omnino fieri vel debeat vel poſſit, niſi alicubi hoc ornamento antiquitatis aſſumpto, in qua parte praecipue Maro laudem meritus eſt. Neque etiam haec temere eſſe facta à veteribus crediderim, quamvis Plutarchus eos, prae cura rerum, elocutionem minus curaſſe exiſtimet, adeo ut non caverit Homerus quo minus primum ſtatim verſum ἄμετρον efferret. De quo quidem ipſe viderit

quam ἄμετρον, nam nos illi nequaquam assentimur; Quippe cum studiose consuetos numeros saepe illum mutasse compertum habeamus. Nam quid fuerat negocii hunc versum, (ἐν δημητρίῳ περὶ ἔρ:)

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον ἀιόλον ὄφιν.

Ita facere ὅπως ὄφιν ἀιόλον εἶδον? Nisi ratione & judicio vellet illa novitate numerorum mirificam & terribilem speciem anguis designare? Similiter & aliis in locis plurimis correctiones fuerint perfaciles, quibus etiam dubium non est, quin audacia Grammaticorum multa, quasi augusta loca antiquitatis, profanaverit. Sed nunc libri primi Iliados argumentum narrabimus.

Prius tamen lubet indicare nomina nonnullorum interpretum, quae quidem pauciſſima de plurimis collecta sciendum est. Sed ne horum quidem ipsorum quisquam nunc extat, praeter Eustathium, qui nondum etiam ad nos pervenit, ut nobis etiam non extare videatur. De hoc igitur, & veterum studia atque assiduitas circa hunc auctorem intelligi poterit, & nostri conatus potius quam elaborationes boni consulentur, cum nulla magnopere adjuventur re, nisi voluntatis honestate & promptitudine.

DE INTERPRETIBUS

Homericis.

ZEnodotum igitur primum tradunt, potiente rerum in Aegypto Ptolemaeo Philadelpho, Homericos libros collegisse & correxisse. Qui & auctor fuerit bibliothecae Alexandriae instituendae, & curator etiam illius. Hic Philetam Criticum, postea sunt Grammatici vocati, genus autem ipsum ab Aristotele exortum esse perhibetur. Et Cicero Dolobellae sic. Ego tanquam Criticus antiquus indicaturus sum. Philetam igitur Zenodotus audierat, quo magistro Ptolemaeus uteretur. Huic paulo inferior Callimachus, & qui in Ptolemaica illa tempora incidunt, Sosybius, Eratosthenes, Euphorion, Timarchis, quorum Sosybius Lacon, dictus fuit λυτικὸς, quod solutis & dissectis verbis solveret ea, quae in speciem difficilio-

ra

ra viderentur. Eratosthenes autem πένταθλος, & Quintum Ptolemaeum attigit. Euphorion in Syria cum Antiocho fuit.

Aristophanes Zenodotum & Callimachum audivit, alterum quidem puer adhuc, alterum jam adolescens, audivit & Eratosthenem.

Apollonius & ipse Callimachum audivit, & Eratostheni successit in curatione bibliothecae Alexandrinae. Fuit enim singulare studium & eximia voluntas Regum Alexandrinorum erga doctos & bonas artes; Itaque nullis sumptibus in conducendis illis & his augendis ac amplificandis pepercerunt. Quae honestissima cupiditas quasi haereditate una cum regno pervenit ad omnes, usque ad septimum Ptolemaeum, quem ob immanitatem rapinarum & caedium κακεργέτην vocarunt Aegyptii. Cujus metu multi docti in omni genere scientiarum in exilium concessere, & Graecis retulere suas artes atque disciplinas, quae jam bellis & seditionibus continuis propemodum extinctae fuerant. Sed redeo ad Grammaticos.

Aristophanem audivit Aristarchus celeberrimus omnium qui in Homero interpretando emendandoque operam posuere, hic multos versus ὠβέλισε hoc est confixit, quos non agnosceret pro Homericis, ipse νόθους vocabat.

Hujus auditor fuit Dionysius Thracicae originis, unde & Thrax nuncupatus, & Apollodorus. Eodem tempore floruit Crates Philosophus Stoicus, qui Homericus apellaretur. Composuit libros novem correctionum utriusque operis Homerici. Sed nunc deinceps aliorum promiscue nomina edemus, quos elaborasse in scriptis Homericis explicandis comperimus. Ac primum Ptolomaeus secundus rex Aegypti, qui Euergetes diceretur, correctiones Homericas edidisse traditur.

Ante hunc etiam Zeno Cittiensis composuisse commentarios in utrumque opus Homericum, & insuper Margiten. Itemque hujus discipulus Persaeus explanasse scripta Homerica fertur. Deinde Aristoteles, non ille Stagirites, sed alius quispiam.

Aliorum vero interpretum haec nomina invenimus.

Aristonicus, in Homerum libros sex.

Agathocles grammaticus.

Ammonianus.

Apollonius pater Herodiani dyſcolus, de Homericis ſchematis.

Archebius Alexandrinus.

Apollonius Archebii. F. de vocibus Homericis ſecundum ordinem literarum.

Aſclepiades Myrleanus.

Alexander Coſytaeus cognomento πολυμαθής.

Appion cognomento μόχθος.

Aratus Solenſis.

Artemio clazomenius.

Alexander Mileſius πολυΐζωρ. Item alius Myndius, alius Aetolus.

Archimedes Trallianus, ſcripſit in Homerum commentarios.

Dion Pruſenſis, qui defendit Homerum contra Platonem. extat hujus laudatiuncula Homeri.

Demetrius cognomento Ixion.

Didymus cognomento χαλκέντερος, quaſi aerea inteſtina haberet, quod eſſet illius admirabile ſtudium & aſſiduitas legendi ac ſcribendi. Edidiſſe ter M. quingentos libros traditur. Fuere etiam alii hoc nomine grammatici, poſteriores hoc.

Demoſthenes Thrax, qui ſoluta oratione Iliada explicavit.

Dioſcurides, de inſtitutis apud Homerum.

Epaphroditus Cheronenſis, auditor Archebii.

Hippias Eleus, qui, ut Plato ait, Iliada docuit praeſtare Odyſſeae, & introduci ab Homero Ἀχιλλέα μὲν ἄνδρα ἄριστον, Νέστορα δὲ σοφώτατον, Ὀδυσσέα δὲ πολυτροπώτατον. (*Hippia. 2.*)

Heracleon Aegyptius.

Heraclides Ponticus, auditor Didymi, de aetate Homeri & Heſiodi.

Heraclides Cilix..

Herodianus, Apoll. F.

Haepheſtion Alexandrinus.

Hellanicus grammaticus.

Longinus, magiſter Porphyrii, cognomento Caſſius, quaeſtiones ſcripſit Homericas. Utrum Philoſophus fuerit Homerus. Problematum Homericorum libros duos. de vocib. Home-

Homericis multarum ſignificationum.

Maximus Tyrius. De priſca in Homero philoſophia.

Meleager Gradarenſis.

Mnaſea Berytius.

Metaclides.

Neſtor Lycius, pater Piſandri poëtae, compoſuit Iliada in cujus ſingulis Rhapſodiis non reperiretur litera, illius Rhapſodiae nota. Ad quem modum Tryphiodorus & Odyſſeam confecit.

Naucrates Erythraeus, commentarios in Homerum.

Philoxenus, de gloſſis Homericis, hoc eſt, reconditis vocibus. Item commentarios in odyſſeam.

Plutarchus μελέτας Ὁμηρικάς.

Porphyrius Tyrius. De philoſophia Homerica. De antro Nympharum in Odyſſea. Quam reges capere utilitatem poſſint de lectione librorum Homeri. Libros decem de omiſſis nominibus ab Homero.

Parthenius Nicaënſis, Dionyſii Thracis F. Fit & alterius Parthenii Chii mentio, qui genus ab Homero ducere crederetur.

Poſidonius, neſcio quis, an forte plures, nam pluribus hoc nomen fuit. Sed & Panaetium in Homericis interpretationibus verſatum eſſe traditur.

Ptolemaeus Alexandrinus, auditor Ariſtarchi, cognomento Pindarion. Scripſit libros tres Homericorum exemplorum. De forma orationis Homericae. De Utide Homerico & Aſteropaeo.

Pigres, frater Artemiſiae, reginae Cariae, à Suida traditur, quaſi explanans Iliada ſingulis verſibus ſubjeciſſe Pentametrum. ut poſt ὀυλομένην.

Μῶσα σὺ γὰρ πάσης πείρατ' ἔχεις σοφίης

Ptolemaeus ſectator Ariſtarchi. Commentarios in Odyſſeam. Librum de Ulyſſis plagis.

Ptolemaeus Ariſtonici Filius in Homerum libros quinquaginta.

Ptolemaeus Alexandrinus, Hephaeſtionis, ut opinor, filius, ſcripſit Anthomerum, opus librorum XXIIII.

Ptole-

Ptolemaeus Aſcalonites de accentibus Homericis. De correctione Odyſſeae Ariſtarchi.

Proclus auditor Syriani Commentarios in Homerum.

Atque Platonici fere in hunc Poëtam aliquid compoſuere.

Seleucus Alexandrinus cognomento Homericus.

Syrianus problemata Homerica. Commentariorum in Homerum libros VII.

Soterides Epidaurius ſcripſit quaeſtiones Homericas. Theagenes de Homero.

Tyrannio Phoenix de Homericis accentibus. Diſſentire poëtas recentiores ab Homero. Correctiones Homericas.

Triphiodorus, Comparationum Homericarum explicationem.

Trypho de dialectis apud Homerum.

Hunc tantum poëtam ex veteribus Xenophanes Colophonius non dubitavit inſectari & reprehendere. Cui fertur (*Plutarch. ἀποφ. ϛρα.*) aliquando Hiero Gelonis F. Tyrannus Siculorum, quaerenti quod aegre duos ſervulos alere poſſet, feſtive reſpondiſſe, cur igitur Homero obtrectaret, qui plus mille hominum paſceret, idque mortuus. Eundem & deriſit atque maledictis inceſſit, Deorum quoque contemptor Daphidas Telmiſenſis. Zoilus vero Amphipolites non male dixit ſolum Homero, ſed illius etiam ſtatuam verberibus afficere ſolitus fuiſſe legitur, quamobrem & ὁμηρομάϛιξ appellatus fuit. uterque quidem dignum factis exitium invenit. Nam & Daphidam Attalus rex excruciatum necari juſſit, & Zoilum Graecorum Olympia concio, de rupe Scironide perſecuta praecipitem egit.

ARGU-

ARGUMENTUM PRIMI LIBRI ILIADOS HOMERI.

SACERDOS Apollinis Chryſes, qui expugnatis Thebis amiſiſſet filiam, venit in caſtra Graecorum redemptum illam, quae Chryſeis patronymica voce dicitur, ſicut & Bryſeis, quarum propria nomina traduntur fuiſſe Aſtynome & Hippodamia. Sed non ſolum non impetrat ab Agamemnone ut filiam ſibi reddat, verum minis inſuper etiam repellitur. Itaque ad Dei ſui opem confugit, qui motus ſacerdotis precibus peſtilentiam infligit Graecis: qua ſaeviente Achilles in concionem advocatis Graecis, ſententiam proponit de inquirendo atque avertendo cauſſam mali; Qua prodidita à Calchante, contentio inter Duces oritur. Et paulo poſt remiſſa ſacerdoti filia, eripit Agamemnon Briſeida Achilli, quam, Lyrneſo capta, extra ſortem acceperat Ita ille iratus Graecis ſuadente matre Thetide à praeliis abſtinet. Thetis autem Jovem exorat, ut injurias nati ſui ulciſcatur Trojanorum victoriis. Quod animadvertens Juno jurgiis Jovem adoritur, gliſcente autem contentione, Vulcanus claudicatione ſua riſum Diis movet & matrem conſolatur, inde Muſae in convivio canunt, & fidibus Apollo ludit, & de reliquo die hilariter epulati, noctu dormitum quiſque ad ſe diſcedunt.

HUnc primum librum Illiados & nonum ac ſecundum, utilem maxime & admirabilem eſſe cenſet Fabius. Et ſunt profecto exempla inſignia contentionum & ejus orationis, quae eſt apta judiciis & litibus, ubi animi commoventur, incitantur, ardent. Sed non minus utile eſt exemplum vitae, de leviſſima re tantas iras tantarum cladium extitiſſe, hoc igitur cognoſcere, & ſicut Horatius ait ſtultorum Regum & populorum perſpicere iras, ut pervideamus atque caveamus, utile. Atque id quidem praecipuum in hoc libro. Reliqua autem quae & ipſa mirificam complectuntur inſtructionem vitae & praecepta virtutis, ſuis locis rectiſſime notabimus. In hoc primo libro Homerico nulla comparatio, id eſt, παραβολὴ ineſt.

1. Μῆνιν ἄειδε] Protagoras reprehendit hunc verſum, quod Homerus eſſet imperandi forma uſus verbi in propoſito precum. Jubere enim facere aliquid aut omittere, imperare eſt. Sed ut indicationis forma in verbis non ſolum demonſtrat, ſed etiam definit, interrogat, reſpondet, ſtatuit, affirmat, negat, ita aliae etiam formae ſeu modi ab una aliqua ſignificatione nominantur, quamvis plures habeant, cum omnino nomine carere non oporteat, quas tamen ad decem uſque appellationes aliqui, ſine quidem cauſſa, extenderunt. In hoc verſu in dimenſione numerorum, ηι in πηληιάδεω, una ſyllaba, ut diphtongus impropria eſſe videatur, pronuntiabimus. Voce deducta à proprio nomine πηλεὺς, πηλέως, πηλεΐδης, & ectaſi πηληϊάδης, & Jonica παρεκτάσει, πηληιάδης, & συνιζήσει, ſeu συναιρέσει, πηληάδης. Sicut νηρεΐδες, νηρηΐδες, νηρῆδες, niſi malimus eſſe συνίζησιν τοῦ εω ut χρυσέω ἀνὰ σκήπτρῳ.

GENUS ACHILLIS.

Juppiter. Aegina, Aſopi. F.

Aeacus.
hujus,

Telamon ex Endeide. hujus	*Peleus. hujus*	*Phocus matre Pſamathe.*
Ajax	*Achilles de Thetide.*	

ἀχιλ-

Ἀχιλλεύς autem in verſu unum. λ. amittit. Dictus vel quod Ilienſium dolor, hoc eſt ἄχος ἰλίῳ futurus eſſet, vel de facto appellatus, quod infantum cibum non attigerit, quaſi ἄχιλος τίς ὤν, nam tradunt lac non guſtaſſe, ſed enutritum à Chirone medulla leonina, vel hinnuleorum medullis atque favis.

Hoc loco obſervandum Homeri quidem opus hoc Iliados proponere narrationem rerum geſtarum anno x. belli Trojani, ſed paſſim intexi expoſitionem aliorum ferme omnium, quae novem annis praeteritis acta eſſent. Quod fit laudabiliter & artificio quodam οἰκονομικῷ, quemadmodum & Horatius ait,

Ordinis haec virtus erit & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat & praeſens in tempus amittat,
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.

Haec diſpoſitio & in odyſſea mirabilis cernitur, & Imitationis ſumma arte expreſſa à Marone eſt. Nam ille orſus à ſeptimo anno errorum Aeneae enarrationem omnium, quae accidiſſent, poſt everſum Ilium, atque hujus quoque expugnationem elegantiſſima ſerie pertexuit.

Ἄειδε θεὰ.] Invocat numen Muſarum. Hoc enim ex re facile intelligi poteſt, quia canere illam vult. Muſae autem cantatrices Deae. Et unius mentione invocat univerſas, vel Calliopen κατ' ἐξοχήν deſignat. Fertur autem Rhiani veteris poëtae, verſus, quo dicitur, ſi una Muſa vocata ſit exaudire omnes,

πᾶσαι δ' ἐισαΐσσι μιᾶς ὅτε τοῦνομα λέξεις.

Quod Maro etiam videtur ſenſiſſe, cum ſic fecit

Vos ô Calliope precor aſpirate canenti.

2. οὐλομένην.] Exitioſam, cujus adjectionis cauſſam mox ſubdit, quod innumerabilia mala, hoc eſt ingentem cladem inflixerit Graecis, qui nunc Achaei dicuntur συνεδοχικῶς. Nam Achaei Pelaſgi in Theſſalia, proprie ita dicti fuere, ab Achaco filio Xuthi Aeolidae, ut in Catalogo,

Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί.

3. Πολλὰς δ' ἰφθ.] Ad hunc verſum referri Virgiliana haec poſſunt, *Inve-*

Juvenum primos tot miserit Orco. (Aeneid. 9.) & *Multa virum volitans dat fortia corpora leto.* (Aenid. 10.

Homerus autem dicit demissas orco animas Heroum. Dixit autem ipsos Heroas cibum fuisse avium, sentiens corpora, à quibus jam vita, hoc est, anima recessisset.

Ἀϊδι autem jam fecit, ut Πάριδι à nominativo ἄϊς, ἵαπτω mitto & προιάπτω, quasi ante tempus emitto, ut intelligamus diutius in pace illos vivere potuisse.

4. Ἑλώρια praedas.

5. Οἰωνοῖσί τε] Zenodotus (*Libro primo*) sic scriptum edidit, ut Athenaeus annotavit, διωνοῖσί τε δαῖτα. Sed peream, ut idem ait. δαῖτα enim Homerum vocasse hominum, non bestiarum cibos, ab aequali distributione, unde & δαιτρὸς qui carnes assaret, ἀπὸ τῦ δάιεσθαι, id est à dispertiendo. Unde & δαῖτα ἐΐσην saepe dixit. ὀδ. ὑ.

Μοίρας δασσάμενοι δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα.

5. Διὸς δ' ἐτελείετο βυλή] Ad illam voluntatem & consilium referendum, de quo dicetur postea, quod ceperit Jupiter, ut ulcisceretur injurias Achillis caede Graecorum & Trojanorum victoriis, sicut se facturum esse Thetidi promiserat. Aliqui simpliciter Διὸς βυλὴν accepere fatum, juxta illud. *Sic fata Deum rex sortitur.* & Hesiod. Μεγάλῳ δὲ Διὸς νοὸς ἐξετελεῖτο. Alii consilium fuisse Jovis bello moto exonerare gravatam terram hominum multitudine, quod etsi dixit Euripides quoque, tamen huic loco non videtur convenire, cum certe tam longo tempore belli ante quoque multi interierint, & Homerus ordiatur, ut dictum est, à rebus gestis ultimo anno. Versus Euripidis ex Helena sunt,

Πόλεμον γὰρ εἰσήνεγκεν Ἑλλήνων χθονί
Καὶ φρυξὶ δυςήνοισιν, ὡς ὄχλῳ βροτῶν
Πλήθος τε κυφίσειε μητέρα χθόνα

De his quinque versibus festive lusit Palladas in Grammaticos, qui ordirentur ab Homero doctrinam suam, epigrammate compositio hujus sententiae.

Grammaticae sunt quinque artis primordia dirae,
Unde opus incipiens explicat illa suum.
Quinque canunt istas de libro principe versus,

Pri-

Prima furor quarum eſt, altera pernicies.
Tum poſt perniciem Danaum mala multa ſequuntur.
Sed fortes animas tertia condit humo.
Quarta canes & praeda canum. Mox quinta volucres
Continet, irati eſt conſiliumque Jovis.
Grammaticos igitur quinque inter tanta neceſſe eſt
Eſſe mala, & caſus flebile quinque genus.

6. Ἐξ οὗ] Ex quo, intelligitur autem tempore, ut ἐν βραχεῖ brevi. Τὰ πρῶτα adverbialiter. Neutris vero ſingulariter & pluraliter in adverbiorum ſignificatione utuntur, & additur vel omittitur articulus ſine diſcrimine. Pluto,

Περὶ τούτου σοφῶν ἐθέλω δῆναι λόγον τὸ πρῶτον.

Et Euripides.

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Oedipo Tyr. Τῆ τ' αὐτὸ νῦν μὲ πρῶτ' ἄκουσον.

Sed horum exempla paſſim obvia. Latini etiam ſunt ſaepe neutris abverbialiter uſi, multum, facile, perfidum ridens Venus. Sed & pluraliter Horatius

Inſanire putes ſolennia me neque rides. Et
Stabat acerba fremens.

Διαςήτην.] Diſſidii vox Latinis hoc ſignificat. Et eſt uſus duali numero, quem ſunt qui tum primum inventum eſſe perhibeant. Atriden autem Agamemnona, dicit Atrei filium, qui eſt ſecundum alios Pliſthenis, qui fuit frater Atrei. Sex enim, ut Pindarus ait, Principes de Hippodamia ſuſcepit Pelops, horum nomina exponuntur ita: Atreus, Thyeſtes, Pittheus, Alcathous, Pliſthenes, Chryſippus.

7. Ατρίδης τε ἄναξ.] Homerus Agamemnonem & Menelaum Atridas facit. Aliqui tradidere Pliſthenis, Atrei filios fuiſſe, mortuo patre relictos apud avum, qui illos eduxerit pro filiis, unde & filios Atrei creditos. Sed hoc receptum, fuiſſe filios illius ex Aerope matre Cretica, ut ait Euripides, Oreſte.

Generis ſeries talis.

Jupiter.
Tantalus.
Pelops.

Atreus. *Thyeſtes.*

Agamemno. *Menelaus.*
Oreſtes.

Ἄναξ ἀνδρῶν, celebritatis epiphetum, neque ἄνδρες nunc ſexum, ſed praeſtantiam ſexus ſignificat. Ut

Inter ſe coiiſſe viros & cernere ferro.

7. Καὶ δῖος Ἀχιλλεύς.] Sicut & διογενὲς Λαερτιάδη: Juxta illud Heſiodium, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες.

8. Τίς τ' ἄρ.] Conjuncta cum ſuperioribus. Nam & hoc petit explicari carmine divino. Quodnam illos numen commiſerit, & tantum certamen excitarit. Hactenus propoſitio. Sequitur nunc deinceps narratio, ſeu διήγησις.

9. Λητοῦς καὶ Διός.] Periphraſis Apollinis. Et eſt in ſequentibus ὅ pro ἐκεῖνος in ſignificatione pronominis, Attice. Quo loco ſciendum veterem dialectum Jonicam plane eſſe Atticam. Sed poſtea ſecundum loca, in quae coloniae deductae eſſent, mutatam fuiſſe. Hac eſt, ut praecipua, uſus imprimis Homerus, ſunt & alii veteres, ut Heſiodus, Archilochus &c.

10. Νοῦσον ἀνὰ.] Παρένθεσις Jonica pro νόσον. Κακὴν autem dixit ſicut mala venena & mala peſtis efficiens mali. Sed quomodo auctor fuerit cladium & caedis Graecorum Apollo, dicit; Quia de peſtilentia immiſſa ab Apolline alienatio regum extitit. Ita remotiorem cauſſam malorum re ipſa, ſed uſitato verbo proximam commemoravit.

10. Λαοί.] Λαοὺς dictos ἀπὸ τῶν λαῶν, hoc eſt lapidibus, non ſolum Grammatici, ſed Pindarus etiam dixit. Ὀλυμ. θ.

Κτη

Κτησάσθαν λιθινὸν γόνον, λαοὶ δ' ὀνόμασθεν. Juxta hoc,

Quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati durum genus.

Fertur & de hac re hic versus,

Ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ λαοὶ δὲ καλοῦνται.

Fabulam Ovid. copiose Metamor. lib. 1. descripsit. Alii appellationis hanc caussam tradidere. Cecropa regem Atticae, cupiisse multitudinem civium cognoscere, & jussisse singulos unum lapidem certum in locum deponere, quibus numeratis, inveniisse xx. millia hominum complere civitatem suam. Atque inde λαοὺς de congestis saxis Atticos appellatos fuisse.

11. ὕννεκα.] Jonicum pro ἐπειδὴ. causalis conjunctio, propterea quod. ἀρητῆρα autem sacerdotem dixit, quasi precatorem. Quod hoc genus rebus divinis & precibus ac votis curare soleat. ἀρὰι preces. il. ο. ἀράων ἀΐων Νηληιάδαο γέροντος.

13. ἀπερείσι' ἄποινα.] Ingentem mercedem seu precium maximum. Grammatici faciunt ἄποινα quasi ἄφοινα precium quod pro interfecto pendi soleat. Sed ita nominarunt quicquid pro alterius libertate ac capite solveretur. Herodotus ἐρατοι. ἄποινα δέ ἐςι Πελοποννησίοισι δύο μνέαι τεταγμέναι κατ' ἄνδρα ἀιχμάλωτον ἐκτίνειν. In Oratione contra Aristocratem dicitur veteres sic vocasse pecuniam, unde verbum esse deductum ἀποινᾶσθαι id est, pecuniam exigere.

14. Στέμματα.] Legunt aliqui sic, στέμμα τ' Ἀπόλλωνος, ut peculiaris corona illius intelligatur, id est laurea. Alii ornatus templi & simulacri Apollinis.

15. Χρυσέῳ.] Crasis, pronunciandum enim χρυσῷ. σκῆπτρον scipionem significat, quos Reges gestarent auratos & ebutatos. Ut mox. σκῆπτρον χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Et Virg *Sceptroque innisus eburneo.*

Est autem ita dictum ab innitendo quod verbum est σκιρίπτεσθαι & σκήπτεσθαι. ὀδ. ρ. σκιρίπτεσθ' ἐπειὴ Φατ' ἀριφαλὲ ἔμμεναι οὐδόν. Et paulo post πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον, ἠδὲ γέροντι σκηπτόμενον.

16. Κοσμήτορε.] κοσμεῖν & κόσμος ornamentum & decorare significat. Quid autem ordine pulchrius? transfertur igitur haec vox ad significationem τάξεως & administrationis. ὡς τὸς ἡγεμόνες διεκόσμεον ἔνθα καὶ ἔνθα. & κόσμει σπάρταν ἂν ἔλαχες. & ἀκοσμοῦντες turbulenti. Philocteta. οἳ δ' ἀκοσμοῦντες βροτῶν διδασκάλων λόγοισι γίνονται κακοί.

17. Ἀτρεΐδαι.] Pluralis numerus etiam dualem complectitur. Recte igitur de duobus plurali uti poterimus, sed non è contrario etiam de pluribus duali. Nam hac forma duo de pluralitate secernuntur, quae tamen haec necessario continet, Atque dehinc jam interponuntur τὰ ἀμοιβαῖα, id est expositio in personas spargitur.

18. Ὑμεῖς μὲν θεοὶ.] Quàm breviter, quàm artificiose benevolentiam captat voto illius exitus quem maxime cupiebant.

Πριάμου πόλιν, Troiam περιφραστικῶς dixit.
Simul etiam hoc de affectuum arte expressum, quod ait εὐ δ' οἰκάδ' ἱκέσθαι. Ita enim memoriam renovat conjugum & liberorum ipsorum, ita in impetranda sua, benignioribus utitur universis extra Agamemnonem, cujus animus esset à suis, propter amorem Chryseidos, alienior.

Εὐκνημίδες, proceri & eleganti corpore συνεκδοχικῶς, ut ῥοδοδάκτυλος ἠώς. Vel armis conspicui, ἀπὸ τῶν κνημίδων. ὀλύμπια δώματα, coelestes sedes. Juxta illud γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων καὶ μακρὸς ὄλυμπος. Etymologi faciunt ὄλυμπον quasi ὅλον λαμπρὸν, & οὐρανον, ὁρανον à luce. λύσατε, ἔκτασις. ἰλ θ λύσαθ' ὑπ' ἐξ ὀχέων.

22. Επευφήμησαν.] Hoc est, religioso silentio approbaverunt petitionem sacerdotis. εὐφημεῖν enim significat quod latinis favere linguis. Et ἴσχειν εὐφημίαν Sophocli silere est, Trachiniis. Alii fecerunt, *acclamarunt*. ut ἀνευφημεῖν cum ululatu exclamare, in phaedone.

25. Κρατερόν δ' ἐπὶ] Et dura insuper dicta dedit. ἐπίτελλε increpuit, ingessit, extulit.

29. Πρὶν μὲν.] Sicut. ἰλ. ο. πρὶν γ' ἠὲ κατακτάμεν. Negat priusquam interimant ipsi hostes, aut Ilium capiatur, eminus pugnandum, hoc est, nullum prorsus esse finem pugnae futurum

rum ante victoriam alterius partis. &. *ἰλ σ. οὐδέποτ' ἐκπέρσει πρίν μιν νύνες Ἀργοὶ ἔδονται.* Ita nunc dicit se liberam Chryseiada amissurum esse nunquam.

30. *Ἐν Ἄργει.*] Mycenis fuisse regiam Agamemnonis tradunt, ut *ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivum.* (Virg. Aen. xi. 266.) Et sic fecit Sophoc. *ἠλέκτρᾳ.* Et nunc *ἐν Ἄργει*, in Peloponeso accipiunt. Euripid. Oreste tamen & ipse Argos urbem Peloponesi sedem regiam Agamemnonis fecit. Grammatici ambas urbes utraque appellatione fuisse dictas aiunt.

31. *Ἰστὸν ἐποιχομένην.*] Obeuntem telam, hoc est, texentem, & sternentem cubile, aut curantem, aut assistentem ad lectum. Ita & apud Aethiopas in sacris adest Neptunus, *ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.* & *τηλόθι πάτρης, ἀπὸ πάτρης.*

32. *Ἀλλ' ἴθι.*] Ῥητορικῶς exasperat petitionem leniss. facertis, quasi ejusmodi fuerit, qua commoveri posset. *σαώτερος* autem pro *σῶς*, ut senior, senex. & frater ejus ad rem est attentior. Et, *Tristior & lacrimis oculos suffusa nitentes.*

34. *Βῆ δ' ἀκέων.*] Tacite, aut mussitans *ἡ δ' ἀκέουσα καθῆστο*, paulo post. & *ἰλ θ. ἤτοι ἀθηνάιη ἀκέων ἧν. ἀπὸ τῆς ἀκῆς* quod significat perculsionem & immobilitatem. *ἀκὴν δ' ἐγένοντο σωτῆ. πολύΦλοισβον*, undisonum mare dixit *πεποιημένως.*

35. *Πολλὰ δ' ἔπειτ'.*] Tum deinde solus vehementer deprecatus est Apollinem. Quare imprecatur malum Graecis, qui approbarant petitionem illius? Quia exercitum odit totum, ut auctorem orbitatis suae. Et innuitur hoc loco egregie Hesiodi sententia: *Saepe viri peccata luunt totae unius urbes.*

37. *Ὃς Χρύσην ἀμΦ.*] Locorum sunt haec nomina, quibus praesideret Apollo. *Σμινθεῦ* gentile *ἀπὸ τῆς σμίνθης.* Fuere autem omnia haec in Troade, & poëtis de gentibus & urbibus dicatis Diis illorum compellare nomina usitatum.

Dii patrii indigetes & Romule Vestaque mater,
Quae Tuscum, Tyberim, & Romana palatia servas. Et,
O Venus regina Gnidi Paphique.

Apud Macrobium est *Σμινθεὺς ὅτι ζεῖ θέων.* & *ἀμΦιβέβηκας*, tenes. *ὀδ. δ. μέσον οὐρανὸν ἀμΦιβέβηκε.*

39. *Εἴ ποτε.*] Forma communium precum. Quoties enim

nim habent quasi meritorum suorum fiduciam, veluti debitam gratiam audacter repetere consueverunt, & ut illud εἴ ποτε δή τι ἢ ἔπει ὤνησας κραδίην Διὸς ἠὲ καὶ ἔργῳ. Virgilius,

Si qua tuis unquam pro me pater Hirtacus aris
Dona tuli. Si qua ipsa meis venatibus auxi
Suspendive tolo, aut sacra ad fastigia fixi.

κατὰ πίονα μηρὶ ἔκηα, id est, κατέκαυσα πίονα μηριᾶια ὀϛᾶ.

Ἔρεψα] si inquit sartum tectum praestiti templum tuum, quod tibi gratissimum est. Sic etiam Plato apud quem est hujus loci paraphrasis id tertio πολιτ. καὶ ἀπαιτῶν εἴτι πώποτε ἢ ἐν ναῶν οἰκοδομήσεσιν ἢ ἐν ἱερῶν θυσίαις κεχαριτμένον δωρήσαιτο &c. Significat verbum & redimire & coronare, Oedipo Coloneo. ὧν κρᾶτ' ἔρεψον καὶ λαβὰς ἀμφιϛόμους.

40. Κατὰ πίονα.] Nam contectas adipe aris imponebant, atque illae partes Deorum, quod ab eo observatum, quod Hesiodus scribit ad hunc modum partitum esse hostiam cum Jove Prometheum.

Εν τοῦδ' ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ Φῦλ' ἀνθρώπων
Καίῃσ' ὀϛέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν.

Ita paulo post.

Μηρὸς τ' εξέταμον κατὰ δὲ κνίσσῃ ἐκάλυψαν.

Κρήηνον, ἐπέκτασις. κρῆνον νᾶν καὶ ἐμοὶ. ὀδ. υ. ἀπὸ τοῦ κραίνω.

43. Τοῦδ' ἔκλυε] Φοῖβος traditur dictus à splendore & puritate luminis, ἀπὸ τῆς Φοίβης, quae est avia materna illius apud Hesiodum. Apollinis nomen Plato varie deduxit, ἀπὸ τῆς πολήσεως ἀπὸ τῶν βολῶν, fecit ἀπολοῦντα & ἀπολλύοντα. Plutarchus περὶ τοῦ Ει ἐν δελφοῖς, Appollinis nomina ad unitatem refert. Απόλλων διονεὶ ἀρνούμενος τὰ πολλά. ἰήιος, ἰὸς ἤγουν μόνος. Φοῖβος δὲ ἁγνὸς καὶ καθαρὸς ὡς οἱ παλαιοὶ ὠνόμαζον. Et collegit Macrobius multarum appellationum hujus Dei causas, quae omnia solarem vim & effectionem innuere videntur. Non autem est dubium, quin sol vitae auctor sit & conservator, dum igitur radios suos immittit in terras per aëra subtilem & purum omnia salutari luce complentur. Illis vero in aëris spissi veneno quasi tinctis, morbi omnis generis & maxime vehementes illi, pesti-

len-

lentiae excitantur. Ideoque Homerus dicit grassatum Apollinem similem nocti, & conjecisse telum piceum in Graecos. Neque non verum est hujusmodi in aëre letiferam crassitudinem de terra evaporari ad calorem & aestum solis. Ideoque & canes & jumenta prius sentire Homerus facit, quàm homines. & λοιμικαὶ καταςάσεις, ut vocant Graeci, post caniculam fere incidunt, quo tempore quasi conceptos aestus terra exhalat. De pestilentia ista, haec ferme in Troicis Philostrati leguntur, sive vera seu ficta ab illo ut alia plaeraque. Cum lupi de Ida monte lixas & calones dilacerarent atque invaderent jumenta, quae circum castra pascerentur, censuit Ulysses armis exagitandas feras. Sed Palamedi hoc non placuit, qui diceret Apollinem lupos produxisse quasi primordia quaedam pestilentiae, quos quidem soleret ut inter homines canes & mulas configere sagittis suis, prius tamen immittere, benevolentia motum, hominibus, ut admonerentur futuri mali. Proinde vota nuncupanda Apollini Phyxio & Lycio (quae nomina sunt factâ fuga & vel lupis, vel luce) ut ipse convertat sua tela in bestias & morbos in capras. Nos vero, o socii, inquit, magna cum diligentia valetudinem nostram curemus. Convenit autem ad vitandam pestilentiam victus tenuis, & frequens motus atque vehemens. Medicinae quidem artem ego non didici, sed sapientia complectitur universas. Haec locutus, carnes vendi in castris vetat, & cibos militares dicit: fructibusque & oleribus vesci milites jubet. Neque illi quisquam refragabatur, quod illius vocem omnes sibi audiendam tanquam divinam oraculi arbitrarentur. Atque illa quidem pestilentia invasisse de Ponto dicitur in oppida Hellesponti, & Trojanos etiam attigisse. Graecos autem non laesit. His addit & navalia certamina, quibus & imprimis conservarint sanitatem corporis. Sed haec utrum ipse confinxerit, an aliunde sumpserit, dicere non possum. Pestilentiam vero extitisse in bello nihil mirum, cum propter victus nonnunquam inopiam & difficultatem, tum periodico etiam illa impetu potuit ingruere.

44. Βῆ δὲ κατ' οὐλ] De olympi verticibus, vel ad olympi vertices, κάρηνα enim vertices & ardua loca & arces dicuntur.

Vergit autem sol ad vertices cœli, qui vocantur Poli, unde & Plato Ἀπόλλωνα quasi ὁμοπολοῦντα appellatum ait. Ad illos igitur ab Aequinoctiali circulo deflectens sursum & infra sol abire cernitur. Et, graditur nunc iratus, hoc est infestus & exitiosus Graecis. κῆρ Crasi de κέαρ. Acharnensibus. ἐγ' ᾧδ' ἐφ' ᾧγε τὸ κέαρ εὐφράνθην ἰδών.

45. Τόξ' ὤμοισιν] Arcum, sed pluraliter τὰ τόξα fere dicunt Graeci, Sagittator autem est Apollo propter radiorum solis penetrabilitatem.

46. Ἔκλαγξαν δ' ἄρ.] Vel communi σωματοποιΐα infecti sideris damna exponit. Vel intelligendum in tali aëris statu fragores quoque & tempestates existere. Itaque tum videmus creberrimas esse mutationes coeli, ipsum etiam arcum argenteum facit propter retusiorem & albescentem tali tempore aciem luminis. Macrobius generalis appellationis hanc causam reddit, quod sol enascens per summum orbis ambitum velut arcus quidam figuretur alba & argentea specie, ex quo arcu radii in modum emicent sagittarum.

48. Ἀπάνευθε νεῶν.] Ita significatur pestilentiae immissio in Graecos. Apollo enim de coelo se contra naves in insidiis collocat.

49. Μετὰ] adverbialiter, *post*. Βιοῖο *arcus*, vel sane nervus, hoc quidem loco arcus accipiendus, sed Βίοιο esset *vitae*. haec forma genitivi Jonici non ignota est.

50. Οὐρῆας] à nominativo ὀρεύς. Jonice significantur Mulae. Αργοὺς κυνὰς à celeritate, vel nitidos. Unde & ἀργῆτι κεραυνῷ & ἀργέτι δημῷ. & ὀδ. ἀιετὸς ἀργὴν χῆνα φέρων.

51. Αὐτοῖσι.] Ipsis nimirum Graecis aut hominibus. Et crebris arsisse dicit rogis mortuorum corpora. Hi enim apud veteres fuere ritus funerum, Et nunc justa quidem faciunt sociis, licet enim, neque praelia obstant, postea vero dum pugnatur non nisi pactis induciis hoc facere conceditur. Tum igitur illi interea heroes, ut initio dixit, à canibus & volucribus dilaniantur

53. ἐννῆμαρ.] Pestilentiam saeviisse dicit dies. ix, quo numero dierum potuit intelligere Achilles de doctrina Chironis esse malum non leve, sed stabile, cum tempus horarum CLXXX.

qui-

quibus luna quadrantem ſigniferi peragrat, nihil remitteret peſtilentia, ſed jam de nono die plane confirmaretur, qui eſt numerus eximius. Nam & compoſitus impar, & in prima ſchemata dividitur, & primus de imparibus exiſtit Tetragonus στερέος numerus, inque cubum triplicatur & luna tum in conficiendo triente verſatur. Itaque morborum judicia fieri ſolent ſeptimo, nono, & decimo ſeptimo die. Sed τῇ δεκάτῃ intelligendum ἡμέρᾳ.

55. τῷ γὰρ ἐπὶ Φρεσί] Ἦρην ἀέρα eſſe volunt. Et Plato ſignificaſſe nominatorem primum id ipſum putat, hocque poſſe ita intelligi, ſi quis ſaepe pronunciet illud vocabulum ἦρ, ἀ ἦρ, ἀ. Sed mihi dubium non eſt, poſtquam ſententiam legi apud Herodotum quam ſubſcribam, quin & haec & alia ferè mentio omnis numinum referenda ſit ad aſtrologicam rationem, & eam quidem Aegyptiorum, quam Graeci maxime probarunt. Quae à nobis quibus illa ſcientia barbarie & ſuperſtitione prope tota erepta fuit, quamque nunc veſtigantes vix adhuc è longinquo quaſi per nebulam conſpicimus. Haec igitur à nobis plane intelligi atque cognoſci non poſſunt, praeſertim cum illa ratio, amiſſis Graecorum ſcriptis, penitus ignoretur. Etſi alicubi ita ſunt illa manifeſta, ut coecus etiam διαιρίνειε ἀμφαφόων ut hic Poëta ait. Quale eſt adulterium Martis, & geneſis Herculana, & nonnulla alia de quibus fortaſſe alias diſputabimus. Huc referenda igitur illa cura Junonis & ſtudium erga Graecos, ſimiliter & aliorum numinum, quae Graecis favent, itemque eorum, quae faciunt cum Trojanis. Nec non & heroici partus, qui eſſent aut Deorum aut Dearum filii. Eſt enim illa vis effectionum coeleſtium aut maſcula aut foeminina. Sed haec non admiſcebimus huic loco. Sententia autem, de qua dixi, Herodoti haec eſt. Euter. Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισίν ἐςι ἐξευρημένα, μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάςῃ θεῶν ὅτευ ἐςί. καὶ τῇ ἕκαςος ἡμέρῃ γενόμενος ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔςαι, καὶ τούτοισι τῶν Ἑλλήνων ὁι ἐν ποιήσει γενόμενοι ἐχρήσαντο. Quae ita convertimus. Sunt praeterea & haec inventa Aegyptiorum. Primum, quorum numinum quique menſis atque dies proprius ſit. Deinde, quae fata de certis

diebus partus exceptura genitos, qui finis vitae, qui mores futuri sint. Atque haec Graeci poëtae ab illis sumpserunt & usurparunt. Nihil potuisset dici manifestius quàm Graecos poëtas similiter ut Aegyptii fecisse, naturae scientiam fabulis involvisse, neque prophanare voluisse sanctissimam doctrinam, qui mos veterum sapientum proprius fuit. Atque utinam libuisset Platoni magis interpretari & exponere haec, quàm verbis ostentare & proclamare inexplicata tanquam mysteria. Sed progredimur, ut sentio, longius cupiditate divinae scientiae, cujus neglectio & contemptus maximum crimen barbariei & inhumanitatis inustura est seculo nostro. Redeo igitur ad rem. λευκώλενον Ἥρην formosam dixit synecdochice, *candidis lacertis.*

58. Τοῖσι δ' ἀνὶς.] Tum surgens Achilles ita dixit. Est autem deliberatio. Ideoque compellat Agamemnonem Imperatorem consulens in medium, quo facto opus esse videatur. Et Homerus quidem facit ipsos Reges quoque stantes agere cum populo. At Virgil. sic. *Solio Rex insit ab alto.*

59. Παλιμπλαγχθέντας.] formandum ἀ πλάγγω, ad similitudinem τῦ τέγγω. Unde & πλαγκταὶ rupes. & ὀδ. Φ πλαγκτέ inter convicia dictum. Erro. Nunc esse igitur periculum ait, ne rejecti in reditu erroribus agitentur. Quod autem dicit πάλιν., referri potest ad difficultatem navigationis, vix enim tandem post varios errores ad Trojam classis Graecorum appulsa fuisse fertur.

62. Μάντιν.] Vel est haec ἐπεξήγησις, quod dicit sacrificum aut somniatorem consulendum, ut haec duo genera divinationum proponi intelligantur. Vel tria memorantur: Μαντεία augurium, ἱεροσκοπία sacrificia vel extispicina, & ὀνειροκριτική, id est, visa somniorum. Hippocrates quidem plane μάντιν appellat aruspicem, his verbis, ἀ. περὶ διαίτης ὀξέων νόσων. ὅτι καὶ οἱ μάντιες τὸν αὐτὸν ὄρνιθα εἰ μὲν ἀριστερὸς εἴη ἀγαθὸν εἶναι νομίζουσιν, εἰ δὲ δεξιὸς, κακόν. Secundum igitur hunc & antiquissima & Jonica dialecto usum, interpretari Homericas voces rectissime poterimus. Nam quod Plato (*in Phaedro*) facit μαντικὴν quasi μανικὴν, & οἰωνιστικὴν quasi οἰονοητικὴν, lusit ut solet. Plane enim factam esse dictionem

nem apparet ἀπὸ τῶν οἰωνῶν, quae ſunt ὄρνεις, vel ſimpliciter, vel ut aliqui malunt, grandiores, id eſt praepetes. Unde & Homerica vox τῶν οἰωνοπολῶν. Verum ut Latinis auſpicium quaecunque obſervatio, & ariolari praedicere atque praecognoſcere de quacunque ſignificatione intelligitur, ita οἰωνίζειν & οἰωνὸς & ὄρνις notat quaslibet divinationes. Ut il. ω.

μὴ δέ μοι αὐτὴ
ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλευ.

Euripides Oreſte de lacrimatione.

οὐκοῦν ὅυτος οἰωνὸς μέγας.

Et Phoeniſſis.

οἰωνὸν ἐθέμην καλλίνικα σὰ ϛέφη.

Ariſtophanes ὄρνισι.

Ἔσμὲν δ' ὑμῖν ἄμμων. δελφοὶ. δωδώνη Φοῖβος ἀπολλων.
Ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνεις, ἔτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε
Πρός τ' ἐμπορίαν καὶ πρὸς βιότε κτῆσιν, καὶ πρὸς γάμον ἀνδρός
Ὄρνιν τε νομίζετε πανθ' ὅτα περ περὶ μαντείας διακρίνει,
Φήμη γ' ὑμῖν ὄρνις ἐϛὶ πταρμόν τ' ὄρνιθα καλεῖτε,
Ξύμβολον ὄρνιν. Φωνὴν ὄρνῖν θεράποντ' ὄρνιν ὄνον ὄρνιν.

Quamvis autem non improbem accipi μάντιν in ſignificatione οἰωνιϛοῦ, quo genere maxime uterentur & confiderent, tamen nihil vetat quo minus appellative poſitam vocem ſequentia interpretentur, ut il. quoque ὠ.

ἢ οἱ μάντιες εἰσὶ θυοσκόοι ἢ ἱερῆες.

Sed ἱερῆα vocat nunc, qui alio nomine θύτης dicitur, qui extis caeſarum pecudum inſpectis futura praediceret, aut occulta aperiret.

65. Εἴτ' ἀρ ὅγ'.] Utrum ob votum neglectum, aut ſacrificium non rite factum ſuccenſeat, & an placari poſſe videatur. Cauſſam igitur quaerit mali & opem. Solent autem in ſaevitia peſtilentiae deſperantes, ab humano auxilio confugere ad Deorum implorationem, à quibus etiam haec mala immitti & puniri humana ſcelera arbitrantur. De hecatomba, & pecudes, quae eſſent mutilae, aut vitioſae, mactari Diis nefas fuiſſe, cum alibi, tum in Trachiniis diximus.

67. ἀν-

67. Ἀντιάσας.] Quia exuri cum adipe ossa à veteribus consueviſſent, quo nidore quasi pascerentur numina, quibus res divina fieret. *il.* δ.

Οὐ γάρ μοι ποτὲ βωμὸς ἐδέυετο δαιτὸς ἐΐσης
Λοιβῆς τε κνίσσης τε τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς.

Ex his lusit Aristophanes ὄρνισι, cum dicit illas fame Deos facile necaturas, si non patiantur evaporari τῶν μυρίων τὴν κνίσσαν.

68. Τοῖσι δ' ἀν.] Tum in medium illorum progressus est Calchas; vel ἐπὶ τοῖσι hoc est μετὰ ταῦτα. Sed Κάλχαντα dictum volunt de cogitationum & consiliorum profunditate, ἀπὸ τῆς κάλχης quae sit concha purpurae & in profundo mari degat, Sed emersa suavissimum colorem tingendis vestibus suppediter.

Ὄχ' ἄριστος per aphaeresin ἔξοχα ὀδ. ο. ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέησιν ἔξοχα δ' ἐχθαίρησιν. Dixerunt autem & Latini nimium pro admodum. Calchantis genus hoc traditur. ὁ Κάλχας τῦ Θέστορος, τῦ Ἰδμονος καὶ Λαοθόης τῦ Ἀπόλλωνος αἱ Ἀστερίας τῆς Κορώνε.

70. Ὅς ἤδη] *Quae sint, quae fuerint, quae mox venturа trahantur.*

76. Σὺ δὲ σύνθεο] Vel audi, vel vide, hoc est complectere animo tuo, ut ὀδ. ρ. ἐμεῖο δὲ σύνθεο μῦθον. vel fidem da. unde & συνθῆκαι conventa.

77. Ἦμεν.] Particula affirmationis, usitatius est ἦμην, quod in jurejurando & aliis asseverationibus ponere consueverunt.

80. Κρείσσων γὰρ.] Memorabiles sententiae κατ' ἐξοχὴν γνῶμαι vocantur. Quae sunt ejusmodi ut omnium judicio & assensione comprobentur, propterea in argumentationibus demonstrationum loco assumuntur. καταπέψη Metaphoricos concoxerit. Et significat χόλος indignationis furorem. κότος acerbitatem & amarulentiam, καὶ τὸν ζηλὸν. θεοπρόπιον vaticinium.

88. Οὔτις ἐμεῦ.] Hoc omnes, qui eloquentiae studuerunt semper observarunt, ut idem aliis verbis dicerent vel explicantes dictum, vel augentes rem, vel etiam exornantes hac copia

pia orationem. In quo praecipua facundiae laus ineſſe ſolet. Atque hae ſunt illae ἐξηγήσεις & ἐπεξηγήσεις & αὐξήσεις ut Grammatici nominibus deſignant, magna cum cura obſervandae & exprimendae ſtudioſis eloquentiae. Sed de his nunc non eſt diſſerendi tempus: viſum tamen locum notare. βιήσας infeſtas vel violentas manus afferet. & eſt δερκομένοιο dum aſpiciam vel aſpiciat.

90. Οὐδ' ἦν Ἀγαμ.] Et haec figura eſt excellentiae, ideſt, τῆς ἐξοχῆς. Sed Agamemnona Plato dictum vult à manendo & perdurando, propter longum illud obſidionis Trojanae tempus. Ἐλικωπίδα κόρην, nigris oculis decoram puellam, ajunt enim ἕλικα nigrum ſignificare. Πεπίθοιμεν, forte moverimus placatum animum illius, aut placato illo ſpem conceperimus. Ut ιλ. ξ.

Τεῖχος μὲν γὰρ δὴ κατερήριπεν ᾧ ἐπέπιθμεν.

hoc eſt, quo freti fuimus.

102. Ἥρως Ἀτρείδης.] Plato ἥρωας ἀπὸ τῦ ἔρωτος deducit quod progenies eſſet Deorum Dearumve amore captarum mortalium. Vel quaſi εἴρωας eſſe vult, id eſt ῥήτορας eloquentes & oratores. Atrea vero ἀπὸ τῆς ἄτης, quam originationem cum hiſtoriis illius congruere ait.

103. Ἀμφιμέλαιναι] Commotos animos, nigros vocat, ut mare nigreſcit de atris nubibus tempeſtatum. Ut ὀδ. μ.

Σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμῦ καὶ πόντον.

Et Virgilius. Aen. 1. 97. *Ponto nox incubat atra.*

Contra autem tranquillum mare albidum videtur. Ut ὀδ. κ.

Λευκὴ δ' ἦν ἀμφὶ γαλήνη.

Significant & μέλαιναι Φρένες Homero conſtantem atque gravem animum, cujus contrarium improbum & levem Pindarus appellatione albedinis notavit. Tranſlatione ducta ab imis fluctibus & ſupernatante ſpumea albedine. Deinde dicit micantibus & quaſi inflammatis oculis acerbe intuentem in Calchanta, dixiſſe Agamemn. Tale & Virgilianum hoc, libro xij.

Totoque ardentis ab ore
Scintillae abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

106. Μάντι κακῶν.] Vocat per ſummum convicium vatem

ſce-

sceleratum, qui odio sui, non amore veritatis illa prouiderit. Haec figura solet communiter ἐνάρθρως efferri ut Σωκράτης τῶν ἀγαθῶν. i. ἀγαθὸς Σωκράτης. Sed Poëtae saepe ad hunc modum protulere. Sophocl. Philoct. Τοῖσι σώφροσι βροτῶν. Et Antig. οὐδεὶς φίλων ξενάζει. Nec non etiam Thucyd. β. τὰς βοηθήσαντας λοιρῶν μάχη ἐκράτησε.

106. Τὸ κρήγυον.] *Verum, idonenm.* οὐδὲ κρήγυοι διδάσκαλοί εἰσι τούτων. Plato, Alcib. ά. *Neque idonei doctores sunt*, hoc est vere dicere nequeunt.

113. Προβέβουλα.] pluris hanc, inquit facio, quàm Clytemnestram, dotatam conjugem. Sic enim dixere μνηζὰς & νουριδίας ἀλόχους quae filiae familiarum legitime viris desponsae essent. Dicitur & ἀνὴρ κυρίδιος. Legitimus maritus. Itaque Herodotus conjunxit in quinto, παλλακὰς καὶ τὰς κυριδίας γυναῖκας.

117. Βούλομ' ἐγώ.] Alii aliter explicuere hunc locum, sed dupliciter fere ut dicat Agamemnon, se cupere suo interitu redimere salutem exercitus. Ita ἢ positum pro καὶ, quasi sic loquatur: Se vivere nolle, aut praestare incolumes suos. vel ut hic sensus sit: Malo ego certe salvos esse meos quàm perire, quod & verius. Sic enim etiam posuit, ιλ. ρ.

Ἡμῖν δὲ Ζεὺς μὲν πολὺ βούλεται ἢ Δαναοῖσι.

Ε ὁδ μ.

Βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανὼν ἀπὸ θύμον ὀλέσθαι,
Ἢ δῆθα στρεύγεσθαι ἐὼν ἐν νήσῳ ἐρύμῃ.

Et illud vulgatum,

Θέλω τύχης ξαλαγμὸν ἢ Φρενῶν πίθον.

116. Ἀλλὰ καὶ ὥς.] Sed quamvis ita sit, nihilo tamen minus illam remittere volo. Et deinde λεύσετε vel est: Date igitur operam universi, ut aliunde praemium mihi comparetur. Vel, videbitis enim aliunde mihi praemium inventum iri, ἀπειλητικῶς. Verum ὔμοι volunt esse per Apocopen ὅτι μοι.

122. Ατρείδη κύ.] Haec sunt primordia jurgiorum, quae procedente contentione glisscunt, donec furore quodam, ut solet, concluduntur. κύδιστον vocat ut imperatorem. Φιλοκτεανώτατον ut notans & reprehendens avaritiam ipsius.

Sed

Sed hujus orationis caput est, Aequum. Quamvis de novo dividi collata praeda possit, tamen fieri non oportere, quod iniquum esse videatur, cogi in commune referre singulos, quae sorte illis obvenerint.

124. Ξυνήϊα.] ξυνά, communia, id est nondum distributa. ξύνεια & diaeresi atque ectasi ξυνήϊα.

125. Τὰ δέδαςαι.] ἐκεῖνα, illa, distributa sunt. δαίζω, δεδάϊζαι & δέδαςαι.

126. Λαὸς δ' οὐκ.] Iniquum est postulare multitudinem referre ad se, quae dudum sortito acceperint.

131. Θεοείκελ' ἀχιλλεῦ.] Veteres epithetis laudis quasi propriis usi sunt. Itaque ne inimicos quidem atque adeo hostes suos illis fraudarunt, ut alibi quoque monuimus. θεοείκελος autem cum Dis comparandum notat, vel forma vel etiam virtute, utraque enim re praestantem facile reliquis omnibus Achillem Homerus introduxit.

132. Κλέπτε νόῳ.] Ne, inquit, fallere te posse me speres. κλέπτειν enim regere quasi καλύπτειν significat, unde & κλέπται, qui clam alienas res auferunt, qui & φῶρες. Sed ut figura haec sermonis melius perspiciatur, aliquod similes ascribam. Trachiniis. ἐμὲ συμφοραὶ κλέπτουσί με, id est, fallunt me. ἠλέκτρᾳ. δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκου φυγάς. Justam caedem fraudibus tegere. Et mox. ὅπως λόγῳ κλέπτοντες ἡδεῖαν φάτιν φέροιμεν αὐτοῖς. ut oratione simulata seu ficta, laetum illis nuntium afferamus. Pindarus πυθίων. δ. κλέπτων δὲ θυμῷ δεῖμα, occultans metum animo. Sic igitur & hoc loco. Nihil, inquit, dolo agas, non enim me falles. Παρελεύσεαι, hoc est, non praeteribis, sed deprehendere in fallacia tua. Vel, non vinces me in hoc stadio. Qui enim à tergo relinquunt alios cursores, palmam obtinent.

133. Ἠὲ θέλεις] εἰρωνικῶς. Scilicet hoc tibi placet te frui tuo praemio, at me spoliatum meo, sic inanem residere ad naves. Irridet enim Achillis sententiam hoc nomine, quod sibi ille consuluisse videretur, neque laboraret quid aliis accideret, si ipse modo suam retineret Briseida.

135. Ἀλλ' εἰ μὲν.] Oratio est imperfecta, attice deficien-

ciente fine, quod vocant ἀναντιπόδοτον. Tale est apud Aristoph. Pluto.

Κἂν ἀποφήνω μόνην
Ἀγαθῶν ἁπάντων ἔυσαν αἰτίαν ἐμέ
Τιμῶν, δι' ἐμέ τε ζῶντας ὑμᾶς:

Intelligitur enim, missam me facite, aut vicero. Et Thucididem lib. 3. καὶ ἦν μὲν συμβῇ ἡ πεῖρα. εἰδὲ μὴ, Μιτυληναίοις εἰπεῖν, νᾶυς τε παραδῦναι καὶ τείχη καθελεῖν, hoc est. Si quidem processisset inceptum, intelligendum, futurum ut vellent. Sin aliter jubere Mityleneos, naves tradere, & muros demoliri. Tale est & hoc. Si quidem dederint aliud praemium hoc non vilius Graeci, ego quidem nihil praeterea acturus sum, aut facile ego quidem patiar. Sin nullum dederint. At ego ipse sumam. Regia haec vox est. Cum volentibus nolentibus illis, habiturum se aliam amicam dicit.

138. Ἦ τέον ἠ Αἴαντος.] Aiacis quidem Tegmessam fuisse, & Achillis Briseida, notum est. Ulyssis etiam traditur Laodice Cygni filia.

142. Ἐπιτηδὲς ἀγείρ.] *Apte legamus remiges*, id est, aptos & idoneos. ἀγείρομεν autem pro ἀγερῦμεν aut ἀγείρωμεν, mutato modo. Ut ιλ θ. Τώδε δὲ νῶϊ

Τρωσὶν ἐΦ' ἱπποδάμοισιν ἰθύνομεν. Et
Νηυσὶν ἐπὶ γλαΦυρῇσιν ἐγείρομεν ὀξὺν ἄρηα.

143. Ἂν δὲ καὶ.] Interrupta est compositio, & ἄν pro ἀνὰ dorica apocopa. ut παρὰ, πὰρ. πὰρ δέ μοι αὐτὴ ϛῆθι. ut sit verbum ἀναβήσομεν.

146. Ἐπαγλότατ'.] *Pervicacissime*, aut *vehementissimi animi.* Nam in utramque partem vehementia hac voce significatur. ιλ. γ. ὡς νῦν ἔπαγλ' ἐΦίλησα.

147. Ὄφρ ἡμῖν.] Ironicos & hoc dici videtur. Sentit enim illam totam indicationem causae morbi esse compositam & falsam.

Ἐπάεργὸν autem dixit Apollinem, vel qui ad se accedentes de procul repellat, ἀπὸ τοῦ πόῤῥωθεν εἴργεσθαι, non enim fert sensus illam tantam vim flammae. Vel, quod verius, idem valet haec vox quod illa τῷ ἑκηβόλῳ, cujus opera in longin-

qui-

quitatem exerceantur. Superne enim ſol radios ſuos in terras immittens, illas fovet & calefacit ignea vi ſua.

148. Τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα.] Frequens dictio apud Homerum, ſignificat contorſionem oculorum in eum, cui iraſcimur. Hunc igitur torvum intuitus, ſic alloquitur Achilles.

Et impudentia plenum, & avaro animo eſſe dicit Agamemnonem, quorum eſt utrumque magnum convicium atque Imperatori inprimis, quem nihil magis decet quàm gravitas & liberalitas. *Indutum impudentia* eſſe ait, hoc eſt totum impudentem, ſicut ferae quaedam forma hominum indutae.

150. Πῶς τις τοι.] Τοι pro σοῦ, *Tuis verbis*, hoc eſt juſſis & imperio. Talia multa ſunt paſſim in ſcriptis veterum, ut hoc ἐσθίεταί μοι ὄινος. & ἰλ. ὁ. 87. Θέμιςι δὲ καλλιπαρήῳ δέκτο δέπας, hoc eſt παρὰ τῆς Θέμιδος. Atque hujuſmodi alia qui volet de ſcriptis auctorum utriuſque linguae colligere poterit. Tale enim eſt & hoc Ciceronianum. ad Attic. lib. v. *Quae mihi ſunt incluſa medullis*, id eſt, incluſa medullis meis. Et hoc pro Quintio. *Ei miſero, abſenti, ignaro fortunarum ſuarum, omnia vitae ornamenta, per ſummum dedecus & ignominiam diripi convenire.* pro, ejus.

151. Ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι.] *Obire deſtinatum iter*, vel ad occupandum aliquem locum, vel agendam praedam, vel obſidendum oppidum hoſtium, vel denique inſidias faciendas.

152. Οὐ γὰρ ἐγὼ Τρώων.] Cur nemo Agamemnoni, ſi ſic agat, parere volet? Quia illum eſſe dicit ſecutos ſe, & hanc operam dare ipſi ac fratri, gratia illorum non odio Trojanorum excitatos. Itaque ipſorum injuriis alienatos, nequaquam futuros eſſe ait ſimili voluntatis promptitudine & obſequio.

Ἀιχμητάων] *Bellicoſorum συνεκδοχικῶς* ἀιχμὴ enim cuſpis dicitur haſtae. ut ἰλ θ. 494. πάροιθε δὲ λάμτετο δουρὸς ἀιχμὴ χαλκείη.

154. Οὐ γὰρ πώποτε.] Bellorum cauſſas commemorat, quae ſunt vaſtationes agrorum, abactioneſque pecorum & armentorum.

153. Αἴτιοι] Nihil est cur illos accusem, à culpa omni erga me absunt. αἰτία enim significat *crimen* quidem potius quàm facinus. & αἴτιος in quem crimen aliquod confertur. Sed & *causſam* αἰτία simpliciter, & αἴτιος *auctorem* notat, id est, qui in causſa esse dicatur, cur aliquid acciderit. Plato πολιτ. β. Οὐδὲ ἄρα ὁ Θεὸς ἐπειδὴ ἀγαθὸς πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς ὑπὸ πολλοὶ λέγουσιν, ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος, πολὺ γὰρ ἐλάττω τἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν. *Proinde cum bonus sit Deus, non potest ad illum vere causſa omnium referri, ut vulgo faciunt. Sed non quidem multorum in rebus humanis auctorem esse illum perhibebimus, multorum autem causſas ab eo removebimus. Multo enim certe pauciora sunt bona in terris, quàm mala.*

155. Φθίαν.] appellat ἐριβώλακα, id est, fertilem à pinguibus glebis. & βωτιάνειραν, quae alat viros, id est, foecunda sit. Fuit autem Phthia Thessalica urbs maritima, patria Achillis,

156. Ἐπειὴ μάλα.] Nam inter vicinos, maxime bella & contentiones oriuntur, his de causſis quae dictae sunt. Hanc sententiam expressit alicubi in tristibus Naso his versibus.

Innumeri montes inter me teque, viaeque,
Fluminaque & campi, nec freta pauca jacent.

Et Cicero Philipp. XIII. *Sed si maria, montes regionum magnitudines interessent, odisses eum, quem non videres.*

159. Τιμὴν ἀρνύμενοι.] Vendicantes tuum honorem à Trojanis, sive ultionem expetentes à Trojanis, & poenas, quas persolvant Menelao & tibi. ὀδ. α. 5.

Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων.

Dum suam vitam asserit & reditum parat sociis. Trachiniis. ὧν ἐγὼ μεθύστερον ὅτ' οὐκέτ' ἀρκεῖ τὴν μάθησιν ἄρνυμι, *horum nunc intellectum compare*, id est, nunc demum intelligo cum nihil prodest. Plato νόμων. Ζωὴν αἰσχρὰν ἀρνύμενον. Unde & verbum compositum μισθαρνεῖν *mercedem capere*, quod duabus vocibus Plato dixit πολιτ. α Τὸν μισθὸν ἀρνυμένους. τιμὴ autem τὴν τιμωρίαν hoc est, *poenam* quoque significat. Ut ἰλ. γ. 286.

Τιμὴν δ' ἀργείοις ἀποτινέμεν ὡς ἐπέοικεν.

160. Τῶν

160. Τῶν ὄυτι.] Referendum ad illud quod dixerat ἀλλά σοι ὦ μέγ' ἀναιδὲς ἑσπόμεθα. Neque enim inusitatum est, ut singuli, de se loquentes, plurali numero utantur, Nos te sumus secuti & nunc contemnimur neque respicimur.

161. Καὶ δή μοι.] Hoc est caput irarum Achillis, quod ab Agamemnone ita parvi fieret, ut non dubitaret hic illi minari, se ipsius rem esse vi erepturum. Ut igitur Briseida non tanti faceret, possetne ferre hanc tam superbam injuriam fortissimus heros & virtutis tantum laude celebris? Tales enim simpliciter & furenter irascuntur, atque facilius mortem quàm contumelias tolerare possunt.

162. Ὅν ἔπι.] ἀναστροφὴ, ἐφ' ᾧ, *pro quo multum laboris pertuli.*

Τιες Ἀχαιῶν] περίφρασις, id est, *Graeci.* Ut παῖδες ἰατρῶν, Medici. Et ὀδ. λ. 546.

Παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν,
Judices autem Trojani erant.

165. Πολυαΐκος πολ.] A verbo ἄΐσσω quod significat impetum & turbulentiam. Οδ ν. 495. Τοὶ δὲ, σὺν ἀΐσσοντι, impetu feruntur, seu temere feruntur. Bellum dixit turbulentum.

169. Νῦν δ' εἶμι.] *Nunc eo;* sed intelligitur futurum. Discessurum enim se minatur domum. Naves autem κορωνίδας dixit, vel *rostratas*, ἀπὸ τῆς κορώνης, vel nigras ut ajunt, ἀπὸ τοῦ κόρου *nigro.* Unde & κόρην *pupillam* deducunt.

171. Ἐνθάδ' ἄτιμος ἐὼν.] Mutatus est casus, ut fit, vel nominativus pro genitivo. Ut illud:

Ἄμφω δ' ἐζομένω γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς.

λ. γ. 211. id est, ἀμφοῖν ἑζομένοιν. vel, quod mihi magis arridet, pro accusativo. Quale est illud λ ζ. 510.

Ὅ δὲ ἀγλαΐηφι πεποιθὼς ῥίμφα ἐ γῆνα φέρει. id est: τὸν δὲ πεποιθότα. Ex hoc loco ἄτιμον ἐόντα. Non arbitror, inquit, te opes magnas comparaturum relictum desertione mea inglorium. Est autem cognatio inter hos casus, unde & in duali numero & in neutris semper, & apud Latinos alicubi, in plurali numero una illorum forma est, ut τὼ λέγω, τὰ ξύλα. fortes viri, & fortes viros. Similiter & ge-

nitivi cum dativo videtur esse affinitas, quorum & ipsorum casuum una est in duali numero terminatio. Ut τοῖν λόγοιν.

Simile est, ἰλ. β 350.

Φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
Ἀσφάπτων ἐπιδέξια. Et Aristophanis hoc:

Nebulis. Τοὺς κριτὰς ἃ κερδανέσιν ἤν τι τὸν δὲ τὸν χορὸν
Ὠφελῶσ' ἐκ τῶν δικαίων βελόμεθ' ὑμῖν φράσαι.

Et ὀδ. ά. 275.

Μητέρα δ' εἴ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσθαι
Ἂψ ἴτω εἰς μέγαρον πατρός. pro eo quod est κριταὶ & μητήρ.

171. Ἄφενος καὶ.] Volunt esse ἄφενος Grammatici annuos reditus. Vel quantum in unum annum satis sit copiarum atque facultatis. Sed Hesiodus pro copia & bonis simpliciter videtur posuisse, εἰς ἄφενον σπεύδοντα.

Itemque ἰλ. ψ. 298.

Μέγα γάρ οἱ ἔδωκε Ζεὺς ἄφενος. id est, *magnas opes*. Et est geminatio ista, de qua dixi, vocum, ἐξηγητικὴ veteribus usitata, ut tales differentias exquirere vel potius invitis verbis extorquere, nihil necesse esse videatur.

173. Φεῦγε μάλα.] Quantopere nunc irritatum iri Achillem existimandum, cum non discedere, sed fugere illum Agamemnon jubet, ut non modo se discessionem illius nihil morari, sed formidinem ipsi exprobrare videatur? Non enim deserere sese, sed hostes fugere. Quae autem sequuntur à superbo & à Rege dicuntur. Cicero hinc quaedam aptissime inseruit epistolae cuidam ad Appium, hoc modo. *Tu autem sic agis, ut minus mea causa, dum ego absum, debere videaris, quàm ego tua laborarim, libero te ista cura*, παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι οἵ νέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. In hoc autem μητίετα Ζεὺς casum aliqui mutatum ajunt, ut illud: Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι. Aliqui Boeo icam esse dialectum, secundum quam nominativus hoc modo proferatur, ut ποιητὴς, Poëta.

178. Εἰ μάλα καρτερός.] Non enim sunt haec τῶν ἐπαινετῶν, quae

quae noſtro ſtudio, opera, labore, non acquiruntur bona, ſecundum Peripateticos. Quid igitur, inquit, te vires ſuperbum faciunt, divinum donum, non bonum proprium?

181. Ἀπειλήτω.] Mutatum tempus, nam in praeſentia minatur, ſed ſignificat ſe perſecuturum interminationem. Ita mox ἄγω pro ἄξω dixit. Haec autem ſunt ἐλλειπτικῶς poſita, & intelligenda comparationis particula ἕτως, id eſt, Sic auferam tibi tuam, ut Apollo mihi meam aufert. Et eſt παρεντεθέν

Τὴν μὲν ἐγὼ σὺν νηΐ τ' ἐμῇ καὶ ἑμοῖς ἑτάροισι.

Ἑέμψω. ιλ. α. 184. Ut totum tale quaſi fuerit. — Ἀπειλῶ δέ σοι ὧδε ποιήσειν, ὥςε ἀπάξειν τὴν σὴν Βρισηίδα ἕτως, ὥστερ ἀφαιρεῖται τὴν ἐμὴν Χρυσηίδα ὁ Ἀπόλλων, ἣν δὴ ἐκείνῳ προτέμψω ἐν τε τῇ ἐμῇ νηῒ καὶ σὺν ἑμοῖς ἑταίροις. Iam τὸ σὸν γέρας appoſitum eſt ad Βρισηίδα.

189. Στήθεσσιν λασίοισι.] Et Πατροκλῆος λάσιον κῆρ. Hirſuti enim animoſi putantur. Vel virile hoc eſt, eſſe hirto pectore.

190. Ἧος.] *An ipſe*, pro αὐτὸς, quod & mox πλεονάζει repetitum ὁδ' Ἀτρείδην, id eſt, Ἀτρείδην δέ. χόλος & χόλη bilis, cui ira, furor, omniſque acerbitas commotionum adſcribitur.

193 Ἕως] συνίζησις, una enim ſyllaba pronuncianda, ut, *ſcepiroque innixus eburneo*, Ovid. Metam. 1. 178.

193. Κατὰ Φρένα καὶ.] Φρένα *mentem*, θυμὸν *animum commotum*, interpretantur. Sed videtur idem bis dixiſſe ἐξηγητικῶς. Non enim dubium eſt, quin Homerus mentem, cogitationem, conſilia, rationem, in pectore collocarit. Quamquam qui hanc vim, ut Plato fecit, in capite conſtitutam probare de Homericis etiam verſibus voluere, uſi hoc loco maxime ſunt. Minervam enim ideo ajunt, apprehendentem capillum hujus, introduci ab Homero, quod ſenſerit rationem, ἡγεμονικὸν vocant, in cerebro reſidere. Et fieri ſane poteſt, ut vel Platoni, vel ante hunc Pythagorae hinc occaſio data ſit iſtius dogmatis. Sed non ſunt iſta hujus loci, praeſertim cum breviter explicari nequeant, itaque fortaſſe alias à nobis tractabuntur copioſius.

194. Ἕλκετο δ' ἐκ.] *Jamque enſem educebat de vagina*, cum

cum Minerva advenit: significatio activa verbi medii. Et est δὲ conjunctio supervacua παραπληρωματικῶς, vel ἀντὶ τοῦ δή. Quae dialectus attica est.

195. Πρὸ γὰρ ἧκε.] Τμῆσις, προῆκε γὰρ. Istae Numinum σωματοποιΐαι, aut ἠθικῆς, aut ἀστρονομικῆς, aut quod mihi quidem videtur utriusque considerationis sive allegoriae sunt.

196. Φιλέουσά τε κηδομένη.] Incongrua constructio, quales apud auctores veteres passim occurrunt. Ut Virgilianum hoc Aen. XI. 280.

Nec veterum memini, laetorve malorum.

Non enim dicitur κήδομαί σε, sed σοῦ, neque *laetor malorum.*

197. Ξανθῆς δὲ κόμης] Facit enim formosiss. quoque Achillem, non solum fortiss. Ut Il. β. 673.

Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλέϊωνα.

Nam quod innui quidam volunt τὸ τοῦ ἥρωος ξανθόχολον, probetur sane & ipsum, quamvis, ut videtur, nimis exquisitum.

200. Παλλάδ' Ἀθηναίην.] Ἀθήνη Minerva, Ἀθηνᾶ & Ἀθηναία, quoniam non sit nutricibus usa. Ut γαλαθηνὸς, qui lac fugit. Nam cum Μῆτις, qua voce *consilium* significatur, gravida esset, devorata à Jove traditur, atque ita postea grandis virgo de ipsius capite cum armis erupisse. Verum Plato facit in Cratylo Ἀθηνᾶν quasi θεονόην vel ἠθονόην. Minerva autem, quae minaretur vel minueret, ut ait Cicero, epithetum magis interpretari videtur τῆς Παλλάδος, ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι, quod vibrari significat, ut bellicus gestus intelligatur. Cognoscit autem numen de fulgore eximio oculorum, qui etiam maxime illustres in corpore sunt. Il. N. 72. Aiax Oilei F. Numen de gressu noscitat. Sed omnino, ut ibi dicitur, ἀρίγνωτοι δὲ Θεοί περ. Mox, ἔπεα πτερόεντα, *velocia dicta.* μεταλήψει. Magna est enim celeritas volucrium, juxta hoc; *Volat irrevocabile verbum*, Horat. lib. I. Epist. 18. 73.

202 Αἰγιόχοιο.] *Qui aegidem teneat.* Quo scuto poetae Jovem armant, fabricato à Vulcano. Il. O. 308. ἔχε ἀιγίδα θέσπιν
Δεινὴν ἀμφιδάσειαν ἀριπρεπέ', ἣν ἄρα χαλκεὺς
Ἥφαιστος Διὶ δῶκε, Φορήμεναι ἐς Φόβον ἀνδρῶν.

Merito autem Jovem fulminantem & tonantem armat Ἥφαι-

στος

ϛος ὁ τῦ Φάεος ἵςωρ, ut Plato ait. Et quidem princeps atque dux, hoc enim valet ἡ craſſum, ut intelligatur ille Deus Mulciber ἡγησίΦαιςός τις ὤν. Quid enim illorum ſine vi ignea fieri poſſet? Et revera ἀιγὶς ſignificat *turbulentiam tempeſtatum*, unde & καταιγὶς procella grandinoſa, ἀπὸ τῦ ἀίσσω. Unde & ἄιξ ſaltatrix beſtia videtur deducta. Sed fabulam ita expoſuere. Cum eſſet Juppiter conſilio Rheae ſervatus, quae pro eo ſaxum objecerat devorandum patri Saturno, defertur tum in Cretam. & traditur educandus Themidi & caprae Amaltheae. Inſidiabantur autem Dii Saturnini, qui Titanes vocantur, Jovi puero, ſed fatali quadam illis formidini erat Amalthea. Cum autem jam manifeſtum bellum ſuſcepiſſent adverſus Jovem, ſuaſu Themidis detractam Amaltheae pellem ſcuto obduxit Juppiter, ita territis conſpectu & victis Titanibus Aegiochus perhibetur appellatus. Ἐιλήλυθας Jonice protulit pro ἐλήλυθας, producta prima & penultima per παρένθεσιν. Quale eſt ξεῖνος & μῆνος, κεινὸς, νῆϛος.

205. Ἧ ϛ ὑπεροπλίῃσι.] Ταῖς ἀυτῆ, pro ἑαῖς Jonice. Significat autem ὑπεροπλία poëtica vox, faſtum & ſuperbiam & immanitatem.

207. Τεὸν μένος.] Hac voce *animoſitas*, hoc eſt vis animi ſignificatur. *Il.* ζ. 261. Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει. Maro violentiam videtur dixiſſe. Aen. XI. 376.

Talibus exarſit dictis violentia Turni.

210. Λῆγ' ἔριδος.] Talia Horatiana haec lib. 2. Carm. *Deſine mollium Tandem querelarum.* & 3. *Mox ubi luſit ſatis, abſtineto Dixit irarum.*

211. Ὡς ἔσεται.] ὅπως ἔϛαι δὴ τῆτο. *Verbis*, inquit, *ut lubet, contende. Utcunque hoc abiturum*, id eſt, qualecunque tandem futurum hoc eſt.

213. Τρὶς τόσσα.] Sic propemodum dixit Plautus Pſeudolo. II. 2. 37. *Quaſi mihi non ſexcenta tanta ſoli ſoleant credier.*

216. Εἰρύσασθαι.] *Cuſtodire*, & ἐρύματα *munitiones*. Firma igitur & valida oportere dicit apud omnes Deorum juſſa, ſibique adeo quamvis irato capeſſenda eſſe. & addit cauſſam, eos eſſe Dijs caros, qui ipſis libenter obediant. χεῖρα βαρεῖαν nunc *ingentem* aut *robuſtam*.

223. Ἀτρυτηροῖς.] Compellavit rursum Atridem contumeliosis seu atrocibus dictis. Interposita enim est haec deliberatio, in qua consilium potius illi divinum fuit rationis, impetu irae. Sed ad jurgia tamen redit.

225. Οἰνοβαρὲς.] Ingentia convicia praesertim in regem, quem & sobrium & gravem & animosum esse maxime decet. Dixit autem nunc pluribus, quod paulo ante una voce, κυνώπα, κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Cervum autem formidolosiss. animal esse omnibus notum. οἰνοβαρὲς, vel *ebrium* vel *ebriosum* vocat. Sic autem & ipse Agamemno, cum jam poeniteret hujus facti, loquitur. Il. ι. 119.

Ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην Φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας,
Ἢ οἴνῳ μεθύμων ἢ μ' ἔβλαψαν θεοὶ ἀντοί.

Nam ita pronunciasse traditur hunc locum Dioscurides auditor Isocratis. Ubi hoc praeclarum, quod nullum sit inter ebrietatem & insaniam discrimen, ut Athenaeus ait libro primo.

228. Τὸ δέ τοι κήρ.] Cum acutum tonum habet haec vox, *Mortem* significat, circumflexa *Cor*, id est κέαρ. Morte, inquit, pejus times periculum adire & adoriri hostes, vel cum illis acie decertando, vel locandis insidiis.

229. Ἢ πολὺ] Nimirum multo est hoc satius. εἰρωνικῶς. & ὅσις intelligitur ejus, qui contra voluntatem tuam aliquid loqui ausus fuerit.

231. Δημοβόρος] Acerbe & seditiose hoc dicit, exercitui exprobrando ignaviam, aliorum quoque animos adversus Agamemnonem studens concitare. Illa autem vox significat peculatorem & vexatorem Reipublicae, quique subditos bonis evertat.

232. Ἦ γὰρ,] affirmativa particula. Certe enim, inquit, si esset in illis, quorum tu imperium usurpas, ulla virtus, nunc postrema hac injuria tua afficeremur.

233. Ἦ τοι ἐρέω.] Τμῆσις. ἐξερεῖν autem Poëtæ *confirmare* seu *affirmare* significat. Simiiliter & ἐπομόσμαι conjungendum est. Sed ναὶ μὰ pleonasmus pro eo quod esset νὴ τὸ δὲ σκῆπτρον. Virgiliana quidem interpretatio est nota libro duodecimo:

Ut ſceptrum hoc, dextra ſceptrum nam forte gerebat,
Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
Cum ſemel in ſylvis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro.
Olim arbos, nunc artificis manus aere decoro
Incluſit, patribusque dedit geſtare Latinis.

235. Τομὴν ἐν ὄρ.] περιφραστικῶς. id eſt, *poſtquam in montibus caeſum fuit.* Et mox,

236 Περὶ γὰρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε Φύλλα τε καὶ Φλοιὸν.] Tmeſis. περιέλεψε γὰρ αὐτὸ χαλκὸς κατά τε Φύλλα καὶ Φλοιόν. id eſt, *Aes nudavit foliis & cortice.* Aeramentis enim antiquiſſimi, non ferramentis utebantur. Quare & in Virgiliana interpretatione illud dignum notatu, quod ferro fecerit. λέπος autem teſtam aut corticem ſignificat. Unde λεπὶς ſquamam. Et Herodotus de ovis crocodilorum in ſecundo ἐκλέπειν dixit, id eſt, *nudare teſta incubando.*

239. Πρὸς Διὸς εἰρύαται.] Jonice, εἰρύαται, *cuſtodiunt.* Sanctiſſimo ſenſu antiquitatatis facit legitima imperia divini juris.

240. Ἦ ποτε] Hoc jurejurando affirmat futurum ut requiratur opera ſua in bello. & dixit Ἀχιλλῆος, ἐμφατικῶς. Ut illud

Æneneae magni dextra cadis. Et
Nulla mora in Turno eſt.

243. Σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν.] Conficietur intus animus tuus & diſcerpetur dolore & indignatione, ob contemptum fortiſſimi viri: rurſumque ſe ſignificat in veritate atque etiam ira glorioſe loquens.

245. Ποτὶ δὲ.] Dorica praepoſitio, & eſt τιμῆσις. Προσέβαλε τῇ γῇ τὸ σκῆπτρον, *Inflixit terrae.*

248. Ἀνόρουσε.] Ut in re magna & periculoſa, non placide aſſurgentem facit, ſed prorumpentem ſenem quoque. Et eſt haec eximia oratoris imago dulcis quidem illius & lenis, hoc enim aetati Neſtoris conveniebat.

250. Τῷ δ' ἤδη δύο.] Cum Hercules coepiſſet Pylum patriam Neſtoris, qui illo tempore adoleſcens eſſet, ut Ovidius quoque metamorphoſ. XII. cecinit, interfectis ſenibus & viris, duae aetates perierant hominum, ita tertiae relictorum puero-

rum Neſtor princeps fuit. Sed Ovidius fecit eo libro, quem indicavi, aetatem annorum centum. Sic enim illum loquentem introducit. *Vixi*

Annos bis centum, jam tertia vivitur aetas.

Herodotus autem libro ſecundo ita ſcribit: Γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν, ἑκατὸν ἔτεα ἐσί. Quod non multum diſcrepat ab eorum ſententia, qui aetatem faciunt annorum XXX. Atque ita intelligetur Neſtorem eatum fuiſſe aetate, ut excederet aliquantum annos LXIII. Μέροπας autem homines dictos volunt propter diverſarum gentium diſtinctum ab alijs ſermonem.

251. Ὅι οἱ πρόσθεν.] Hoc quo magis veriſimile videatur, ſic diſſolverunt interpretantes Grammatici, οἱ ἅμα οἱ ἐτράφησαν, ἢ δὲ οἱ πρόσθεν ἐγένοντο. Ut ſit quoſdam ante interiiſſe, & quoſdam deinde, qui una cum Neſtore adoleviſſent. Sed nos ſimpliciter accipimus ut poſitum eſt. τριτάτοισι forma eſt ſuperlativi, ſed nihil niſi tria ſignificat.

254. Ὦ πόποι.] σχετλιαζικὸν, quale hoc: *Dii immortales.* Aut, *Heu mihi.* Ἀχαΐδα γαῖαν, figura quam Rhetores ὑπαλλαγὴν vocant, quia quaſi ſummutantur verba pro verbis, Grammatici μετωνυμίαν, ut Cicero ait. Ut

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

257. Εἰ σφῶϊν τάδε.] Id eſt, περὶ σφῶν μαρναμένοιν. Jonice enim utrumque ἐντέταται. Et ἀρείοσιν ἢ ὑμῖν idem quod ἀρείοσιν ὑμῶν. Conſtructio enim comparativi eſt aut cum genitivo aut conjunctione quàm.

261. ἀθέριζον.] *Neque unquam illi me neglexerunt aut ſpreverunt.* Apollonius cum genitivo poſuit.

Οὐδέμεν οὐδὲ βίην πρατερόφρονος ἡρακλῆος
Πευθόμεθ' ἀισονίδαο λιλαιομένω ἀθερίζαι.

263. Οἷον Πειρίθοον.] Pirithous filius Ixionis de Dia Eionei filia, cum centauris cognatus, qui & ipſi eſſent procreati ab Ixione de ſimulacro Junonis, Lapitharum fuit rex, populorum in Theſſalia, quos ita dictos perhibent à Lapitha, vel Apollinis & Stilbes nymphae, vel Periphantis filio, quorum proceres hoc loco aliquot nominantur. Geſſere autem bellum cum vicinis & propinquitate generis adjunctis Centauris, orta

orta rixa inter pocula in nuptijs Pirithoi, cum duxiſſet domum ſuam Hippodamiam, Butadae ſive Adraſti filiam. Hoc crimen veſanæ ebrietatis in Eurytionem contulit Homerus, ὁδ. Φ. 293.

Οἶνός σε τρώει μελιηδὴς, ὅςε καὶ ἄλλες
Βλάπτει, ὃς ἄν μιν χανδὸν ἔλῃ μηδ' ἄισιμα πίνῃ.
Οἶνος καὶ κένταυρον ἀγακλυτὸν Ἐυρυτίωνα
Ἄασεν ἐν μεγάρῳ μεγαθύμε Πειριθόοιο,
Ἐς Λαπίθας ἐλθόντ'. ὁ δ' ἐπὲι Φρένας ἄασεν ἄνῳ,
Μαινόμενος κάκ' ἔρεξε δόμον κάτα Πειριθόοιο.
Ἥρωας δ' ἄχος εἶλε, δὶ ἐκ προθύρε δὲ θύραζε
Ἕλκον ἀναίξαντες, ἀπ' οὔατα νηλέϊ χαλκῷ
Ῥῖνάς τ' ἀμήσαντες. ὁ δὲ Φρεσὶν ἦσιν ἀασθείς.
Ἤϊεν ἦν ἄτην ὀχέων ἀεσίφρονι θυμῷ.
Ἐξ ὃ κενταύροισι καὶ ἀνδράσι νεῖκος ἐτύχθη·
Οἵ τ' ἀυτῷ πρώτῳ κακὸν ἔυρετο οἰνοβαρείων.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

Quorum verſuum hic ſenſus eſt.

Scilicet inſtigare mero, ſolet omnibus illud
Immodice & nulla potum ratione nocere.
Vinum inter cunctos quondam Eurytiona bimembres
Eximium, ſcelera & veſanas egit in iras
Pirithoi acceptum Lapitharum principis aede.
Non tamen Heroes furias impune tulere
Inſultuſque feri, magno incenſique dolore
Protraxere foras uno ſimul impete cuncti
Veſanum, mox aere metunt cum naribus aures.
Nec tulit Eurytion tacitus mala tanta, ſuoque
Inſuper illa animo exagitans augenſque querelis
Aeternum excivitque ſuo generi atque virorum
Bellum, ac ebrius ipſe malum ſibi flebile primo.

Hinc occaſione data, poëtae poſteriores pugnam illam copioſe deſcripſere, ut Ovidius quoque lib. XII.

268. Φηρσὶν] Φῆρας volunt Centauros dictos, id eſt *feros*, quaſi θῆρας per μετάληψιν ſive ἀντίθεσιν. Pindarus Pythiorum quarto. Φῆρ δέ με θεῖος Ἰάσονα πικλήσκων προσήυδα. De Chirone. ὀρεσκώους autem poëtica voce ὀρεινοὺς *ſylveſtres* dixit.

263. Πει-

263. Ποιμένα λαῶν.] Sic translata voce à custodibus pecorum appellare reges & principes Homerus solet, significans illorum officium idem esse quod pastorum. Nam ut illi de pabulis prospiciunt pecudibus, ut curant atque enutriunt, ut omnem vim ab illis propulsant: ita principum officium est, omnibus commoditatibus augere subditos, & ab omnibus injuriis defendere.

268. Ἐκπάγλως] audacissime & atrociter. ἐξ Ἀπίης γάιας de longinquo. Fuit enim Nestor Peloponesius, illi vero Thessali. Itaque nonnulli Ἀπίας voce significari Peloponesum hoc quoque loco putarunt. Ita quidem dictam ab Apide Phoronei filio. Sic etiam ἰλ. τ. ἐξ Ἀπίης γάιης potest intelligi de Peloponeso. Sed terra longinqua est ὀδ. ή. 25.

Καὶ γὰρ ἐγὼ ξεῖνος ταλαπείριος ἐνθάδ' ἱκάνω
Τηλόθεν ἐξ ἀπίης γάιης.

271. Κατ' ἐμαυτόν.] *Pro mea virili.* Neque est omnium quisque eorum, qui hodie vivunt, qui cum illis auderet manus conferere. Atque illi meis consiliis obtemperarunt. Ita exemplo praestantissimorum virorum illos quoque sibi recte monenti obsequi vult, ne hoc inhonestum ducant. Et addit etiam mentionem utilitatis, cum ait multo satius esse parere eos consilio suo, quàm scilicet illud repudiare. Πηλείδη θέλε vel Πηλείδ' ἤθελε, Crasi, pro Πηλεΐδα ἔθελε.

279. Ὅτε ζεὺς κῦδος.] Dupliciter accipi hoc potest: vel generaliter, ut omne regnum divini muneris esse intelligatur & gloria praestans: Vel, illud tantum praestare honore, quod divinitus collatum sit in aliquem: quasi teneant aliqui non acceptum à Deo regnum, ut occupatum vi & oppressione civium, jurique & legibus contrarium. Sed prior sententia & verior est, & Ὀμηρικωτέρα.

286. Κατὰ μοῖραν.] *Ita ut res est, pro vera parte locutus es.* Significat haec vox: *quod res, verum, debitum est.* Significat *officium*, ut Trachiniis, ἀνὴρ ὁδ' ὡς ἔοικεν οὐ νέμειν γ' ἐμοὶ θανόντι μοῖραν, *non videtur*, inquit, *facturus officium neque beneficium daturus mihi quod peto.* Significat & *fatum* κατ' ἐξοχήν. Intelligitur enim pars divinitus destinata. Quod totum Herodotus dixit τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἐκ ἐστὶν ἀποφυγέειν οὐδὲ θεῷ. lib. 1.

290. Θεοὶ

290. Θεοὶ ἀιὲν ἐόντες.] Id est ἀθάνατοι, *Dii immortales.* Et est sententia. Ideone si divino beneficio bellator est, convicia etiam ad maledicendum suppetunt, hoc est procacem & contumelioſum esse oportet?

292. Ὑποβλήδην.] Interpellato Agamemnone. Hoc est, Ad haec subito responsionem ille subjiciens, ita inquit. Sic dixit *il.* τ 80. οὐδ' ἔοικε ὑϐϐάλλειν, id est, ὑποβάλλειν dorice, *Non oportet interpellare dicentem.*

296. Σήμαινε.] Noli imperium posthac usurpare in me. *il.* β. v. 805.

Τοῖσιν ἕκαστος ἀνὴρ σημαινέτω, οἷσί περ ἄρχει.

Quorum quisque dux est iis imperet quid facere oporteat. ἕ-τέ τῳ, attice τινί.

298. Χερσὶ μὲν.] *Non decertabo manibus*, hoc est, non tecum manus conseram ob puellam.

302. Εἰδ' ἄγε μὴν.] Hortantium voces, atque ita irati solent ferociter provocare verbis adversarios. *Age*, inquit, *fac periculum.* Ut hoc,

Ἄσσον ἴθ, ὡς κεν θᾶσσον ὀλέθρῳ πείραθ' ἵκηαι. *il.* ζ. 143.

304. Ἐρωήσει) *manabit*, & mox ἀνςήτην ἀναςήτην dualiter, dorica praepositionis apocopa.

306. Νῆας εἴσας.) Consentiente ratione operis aedificatas aequales naves vocat.

309. Ἐς δ' ἑρέτας.) Vel ἐλλειπτικῶς praepositiones accipiendae sunt, ut sit ἐς δ' ἀυτὴν τὴν νῆα & ἀνὰ αὐτήν: vel conjungendae cum verbis, ut fiat ἐσέηρινε & ἐσέβησε & ἀνεῖσε.

314. Καὶ εἰς ἅλα λύματα.) Mos fuit veteribus in pestilentiae, & famis, & squalidis temporibus, usurpare certos ritus ad avertendum malum. καθάρσεις & καθάρματα & καθαρμοί dicebantur, atquae etiam περιψήματα, quae nunc λύματα. Qua voce in significatione sordium simpliciter usus est *il.* ξ. 171. λύματα πάντ' ἐκάθηρε. In quos ritus aliquando ea superstitio invasit, ut hominem talari veste indutum & obvolutum jugularent, & in mare abjicerent. Nam ut est apud Euripidem Iphig. Taurica, θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά, *Hominum universa scelera diluit mare.* Apud Romanos quoque vivi homines terra defossi simili opinione leguntur, nisi fortasse

taſſe λύματα luſtrales victimas vocat. Ut & concio Atheniensium caeſo porcello luſtrari ſolita traditur, quod ipſum κάθαρμα nominabatur, ut Acharnenſibus.

Ὡς ἂν ἐντὸς ἦτε τοῦ καθάρματος,

quia ſanguis victimae circum ſubſellia ſpargeretur.

316. Ἀτρυγέτοιο.) Vel immenſi maris, vel indefeſſi, vel ſterilis, vel ſtridentis. Horum enim omnium ἔτυμα in voce reperire poſſunt. ἀπὸ τοῦ τρύω, τὸ καταπονῶ. ἀπὸ τοῦ τρυγητοῦ καὶ α ςερητικοῦ. ἀπὸ τοῦ τρύζειν καὶ ᾶ αὐξητικοῦ.

317. Κνίσσῃ.) Nidorem nunc ſignificat, qui de adipe evaporatur, cum adoletur. Sed πένοντο *elaborabant*. Unde ſervitia Theſſalorum πενέσται, *laboratores* dicti. ὀτρηρὼ, *ſeduli*. δυϊκῶς.

323. Χειρὸς ἑλόντ' ἀγέμεν.) Vel eſt attico more infinitivum in ſignificatione imperativi. Quale & hoc, ιλ. β. 10.

Πάντα μάλ' ἀτρεκέως ἀγορευέμεν.

Nihil eſt omnino hoc apud Graecos uſitatius. Priſciano quidem ἐλλειπτικῶς dici videtur, ut deſit verbum finitum, jubeo, volo, impero; ſed poteſt etiam ſic accipi, ut infinitivus apponatur ad verbum finitum ἔρχεσθον ἀγέμεν, *Ite ducere*. ſicut hoc paulo poſt. δῶκε δ' ἄγειν. Et ſimili figura Terent. Hecyra. *introjit videre*. Et Phormione. *Vultis eamus viſere*. Uſitatior eſt poſterior ſupini vox in hac forma Latinis, ut fieret illud, *eamus viſum*. ἔρχεσθον κλισίην pro κλισίηνδε *ad tabernaculum*.

330. Οὐδ' ἄρα τώγε.) ἀντίφρασιν vocant hanc figuram Graeci. Virg. Aen. VI. 392.

Nec vero Alciden me ſum laetatus euntem
Accepiſſe lacu. Significatur enim ſummus dolor.

334. Χαίρετε κήρυκες.) Praeconum genus ſacroſanctum habetur, quos violari nefas putatur omnium gentium, id eſt, ipſius naturae, judicio. Neque hi ſolum humanarum, ſed etiam divinarum quondam rerum interpretes & promulgatores erant. Ob eam magis cauſſam poëta nuntios Jovis & hominum apellat, quam quod genus illorum referretur ad Κήρυκα quendam, filium Mercurii, ſuſceptum è Pandroſo Cecropide, Jovis nepotem. Eſt autem oratio Achillis elegans & diſerta.

diſerta. Jam enim ira reſederat & redierat mens atque ratio ad ſeſe. Itaque non accuſat praeconcs, neque miniſterium ſibi triſtiſſimum illorum iniquo animo fert, ut in furore Hercules Licham in pelagus & petras intorquet inclamans, ut eſt apud Ovidium Metam, IX. 214.

Tune, Licha, feralia dona tuliſti?

Sed benigne compellat & ultro tradi jubet puellam, quam abductum venerant, teſteſque illos facit de vi & injuria Agamemnonis. μάρτυροι ut Φύλακοι, pro μάρτυρες, Φύλακες mutatione Jonica.

342. Τοῖς ἄλλοις.) Non enim ipſum curat Regem. ἦ γὰρ ἂν ὃγ' ὁλοῇσι Φρεσὶ θύει. Quippe veſania & furore animi correptum. Verſus eſt de iis unus, qui λάγαροι, id eſt elumbes vocantur. In medio enim minus ſtabiles numeri ſunt. θύει hoc loco furit, unde Θυάδες, quae & Μαινάδες, famulae Bacchicae.

343. Οὐδέ τι οἶδε.) Periphraſi hac dicit illum deſipere, neque ſcire conſulere Reipublicae. Nam prudentis eſt de priorum conſideratione, facere futurorum judicia. Ita de prudentiſſimo viro Alitherſe ait: ὁδ. ω. 451.

Ὅ γὰρ οἷος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Et Cicero Caeſari ſcribens (ad Fam. lib. XIII. Ep. 15.) ſapienti hanc laudem attribuit, his verbis: *Quem verſum ſenex Praecilius laudat egregie, & ait poſſe eundem ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω videre.*

349. Λιασθείς.) Mox, inquit, declinatis ſociis, in littore & ſolitudine conſedit proſpiciens mare canum, ut *canum fluctum* Virgilius dixit lib. VIII. Pontum οἰνοπα dicit nigricantem de vini colore, cui maxime ſolet hoc apponere epithetum ut appellet αἴθοπα οἶνον, id eſt *nigricans*, ut aduſta apparent.

351. Χεῖρας ὀρεγνύς.] Geſtus hic enim eſt obſecrantium maxime Deos, ut manus attollant.

353. Ὀλύμπιος.] Juppiter coeleſtis & tonans. ἐγγυαλίξαι, praeſtare. ἀπέρας erepta noſtra praemia Agamemnon poſſidet. Et in tantis inimicitiis illum tamen honoris praefatione non fraudat, ea eſt magnitudo excelſorum animorum, ut verbis injurias ulciſci non velint. Hoc in Homero ubique animadverti poteſt, ut alibi diximus copioſius.

358. Ἐν

358. Ἐν βένθεσιν.) *In imis locis pelagi apud ſenem parentem*, id eſt Nerea. Hujus enim quinquaginta filiae numerantur ab Heſiodo, ſuſceptae ex Doride, filia Oceani. Quarum praecipua nomina etiam ponuntur *il.* σ. Vocant autem ſenem ἄνεπα νημερτής τε καὶ ἤπιος, ut ait Heſiodus, θεογ. 235.

361. Χειρὶ κατέρεξεν.] *Contigit, blandius attrectavit, & nominatim compellavit.* εἴδομεν, mutatus modus pro ἴνα εἰ. δῶμεν.

366. Ὤχόμεθ' ἐς Θήβην.] Thebas nunc dicit Cilicias, quae & Hypoplaciae, ubi rex Eetion fuit, pater Andromaches. Hanc eſſe urbem, quae poſtea dicta ſit Adramyttion ſeu Arramyttion, aliqui tradidere. Sed Plinius Adramyttion olim dictam, Pedaſum fuiſſe ſcripſit & in Troade collocat. Fuit autem juxta & Chryſa, ubi ſacerdotio fungeretur Chryſes, vel, ingruente bello, cum ſuis Thebas, in munitiorem videlicet urbem, confugerat.

383. Ἐπασσύτεροι.) Accumulata fuiſſe dicit funeribus funera.

388. Ὃ δὴ) ἐκεῖνός τε ἤδη. Vel ὃς δὴ, liqueſcente. σ. Ut,

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐπίδνατο πάσαν ἐπ' αἶαν. *il.* θ. pr.

Et κλῦθι ἄναξ ὅστ' ἐσσί. *od.* ε. 445. ἐλίκωπες., *Nigris oculis conſpicui.*

390. Δῶρα ἄνακτι, victimas Apollini afferunt, quibus mactatis illius ira placari poſſit. Regem autem Apollinem proprie dixere. Quid enim lumine ſolis excellentius. Ut illud Ὦ ἄνα Λητῷς υἱέ, & Φοῖβε ἄναξ, apud Theognidem.

393. Περίσχεο παιδός.) *ſuſcipe curam filii.* Ἑῆος vel eſt ἑαυτῆς, id eſt, tui filii, vel ἑῆος praeſtantis & chari, ut accipiunt *il* τ. 342. Τέκνον ἐμὸν δὴ πάμπαν ἀποίχεαι ἀνδρὸς ἑῆος. vel etiam unici metaplaſmo ab εἷς ἑός.

396. Πολλάκι γὰρ σέο) σέο adjungendum ad ἐυχομένης, ut ſit, *patris mei in aedibus audivi.* Hoc enim ita ſolet ferè intelligi, cum pater aut mater tantum dicitur. Ut Terent. Andr. 1. 5. 25. *Tum patris pudor.* Et, *Tum matrem me ea re, aut uxorem in culpa inventurum arbitror*, Id. Hec. III. 1. 19.

400. Παλλὰς Ἀθήνη.) Pro hoc annotatur in aliquibus Homericis exemplaribus lectum καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων, quod ſane ſive

quis

quis ad fabulam, sive etiam allegoriam referat, videtur esse aptius.

403. Ὃν Βριάρεων.] Apud Homerum quae διώνυμα reperiuntur, eorum quod ad Deorum appellationem nomen refertur, antiquius putandum, recentius autem quod ad hominum. Ut ὃν Ξάνθον καλέσσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον λ. ὑ. 74. Ἀγαίονος autem Poëta ipse etymon exponit à praestantia virtutis & gloria, ut sit αι incrementi vel ἀεὶ γαίων, id est, γαυριῶν. Hesiodus autem θεογ. v. 150. Briareum, Cotton, Gygen, terrae & coeli filios facit.

Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δ' ἑκάστῳ πεντήκοντα.

Hos esse illos Deos, aliqui Graecorum tradidere, qui τριτοτάτερες dicerentur, & quibus Athenienses vota nuncuparent in nuptiis, ob sobolis foelicem proventum: Insidiatos autem fuisse Jovi Deos, cum occupato regno inclementius in ipsos uteretur, fabulae quidem tradunt; sed Homerus & hoc ipso quasi involucri certe aliquid naturalis historiae texit atque occultavit, sive de rerum coelestium contrariis motibus & actionibus, sive etiam effectionibus in terris. Sed nos de his cogitare possumus, dicere nondum possumus. Pergamus igitur ad alia.

407. Λάβε γούνων.] Supplicum gestus, de quo paulo post copiosius dicemus.

409. Ἕλσαι.] Intra naves & ad mare cogere morientes Graecos. Apollonius 1. de ovibus:

Πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ καθμοῖσι νομῆες ἔλσαν.

& ιλ. λ. 413.

Ἕλσαν δ' ἐν μέσσοισι μετὰ σφίσι πῆμα τιθέντες.

412. Ὅτ' ἄρισον,] ut perturbatus animo arrogantiam non vitat. Vel vult suam virtutem calamitate aliorum innotescere, juxta hoc:

Σωὸν ἀτιμήσαντες, ἀποφθίμενον ποθέσσι.

Hoc est:

Spernebant vivum, nunc cassum luce requirunt.

416. Αἶσα μίννυθα.] Fatum inquit impendet tibi paulo post.

Nam fatale erat, poſt interemptum Hectorem mortem illum quoque oppetere. Quod tempus hac ira Achillis urgebatur. Jovem vocat τερπικέραυνον, *fulgentem*, quique mittendis in terras fulminibus delectetur. Fulmina autem & tonitrua ad auctorem Jovem referri, notum.

420. Ἀγάννιφον.] ἀγάννιφον, ſi eſt ἄγαννιφόμενον, *nivoſum* ſignificat. Quomodo autem nivoſum dicit nunc olympum, & alibi ſemper eſſe ſerenitate nitidum, neque ventis concuti, neque imbribus madeſcere? Ergo vel unde nives decidant, vel etiam unde nives abſint, ut ſit ἄνευ νιφετῶν, vel *niveum*, id eſt, candidum & ſplendidum, ut nunc hac appellatione αἰγλήεις, ut alibi dicitur, olympus accipiatur.

423. Σεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν.] Hic quoque locus mihi quidem, quin ad Aſtrologiam referendus ſit, ut dubium non eſt, ita nihil habeo quod ad explicandum illum afferre poſſim. Obſtat aliqua ſcilicet vis coeleſtis voluntati Achillis, neque poteſt ſtatim hic compos reddi voti ſui, Juppiter quidem illa putanda, ſed qui ſunt Aethiopes? ad quos etiam removetur Neptunus è conſilio Deorum faventium ſaluti Ulyſſis. Ego quidem, ut dixi, qualia haec ſint ignoro, & Aſtrologica tamen eſſe pro certo habeo. Neque impeditur haec perſuaſio mea Platonicorum interpretatione, qui neſcio quas Theologias excudunt de his omnibus. Ut de Aethiopibus ajunt, eſſe lucem illam divinitatis, cum ſe Numen ad quaedam convenientia principia recipiat, & in ſuo intellectu quaſi epuletur intellectilia, ubi impleatur eximiis quibuſdam & uniformibus bonis. Atque illum eſſe Oceanum manantem de fonte intellectus, unde mens illa rerum opifex, omneſque de hac veluti pendentes Dii exundent. Quae quidem, ſunt enim mirifica, non contemnimus; ſed profecto in hunc Poëtam inculcari, non de illo exoriri videntur. Nobis quidem ſunt & erunt haec ſemper Aſtrologica, quamvis, ut ajebam, ignorata & obſcura. Nunc igitur haec quaſi in Muſarum quibuſdam latebris relinquentes, reliqua percurramus. μετὰ δαῖτα dixit, tanquam ἐπὶ δαῖτα. Et mox τότ' ἔπειτα, quaſi πλεοναζικῶς, ut, quid tum poſtea, & tum deinde.

429. Ἐϋζώνοιο γυναικὸς,] ſynecdoche, gracilem & pulchram

chram enim intelligemus, de elegantia ejus partis in corpore, qua praecingi ſolent, quae eſt in virginibus in primis conſpicua.

430. Αὐτὰρ Ὀδυσσεύς.] Nunc redit ad ſuperiora, & exponit quid de navigio illo factum ſit, quo veheretur Legatus Ulyſſes cum Chryſeide & donis, quae Apollini offerentur. Dum enim hi navigant, interea colloquia iſta inter matrem & filium fuere celebrata. Nunc igitur pervenere Chryſam, quo miſſi fuerant. Atque deinde exponit, ut ſolet, copioſe quid, ibi, & quo quidque ordine modoque geſtum ſit. Ornat autem τῆ πολυβενθέος epithetum, portum. Nam in vadoſo haererent naves. Vela inquit ϛείλαντο, id eſt, συνέϛειλαν, ſimplici uſus pro compoſito, *legerunt*, id eſt, *collegerunt*.

434. Ἰϛὸν δ' ἰϛοδόκῃ] Reclinaſſe dicit malum, & repoſuiſſe in quendam locum ſuum, ut compoſitum verbum τῆϛ ἰϛοδόκης indicat, ut ὀδ. α. δεϛοδόκη, quae haſtas caperet. Ἰϛός autem textorum telam ſignificat, & malum in navi. Ἰϛία autem vela, quae eadem & ἄρμενα. Πέλατην *repoſuere*, ut ὀδ. κ. 424. Κτήματα δ' ἐν σπήεσσι πελάσσομεν. Πρότονοι autem ſunt funes, quibus utrinque malus intenditur, ut ὀδ. μ. 409.

Ἰϛὸν δὲ προτόνας ἔρρηξ' ἀνέμοιϕ θύελλα
Ἀμϕοτέρους.

436. Ἐκ δ' ἐυνὰς ἔβαλον] Id eſt, ἐξέβαλον δὲ τὰς ἐυνὰς ἤγαγον τὰς ἀγκύρας. Verbum compoſitum diſſecuit, quae τμῆσις dicitur. Sed ἐυνὴ ancoram ſignificat, quod ad hanc navis conſiſtat & conquieſcat, cum ἐυνὴ cubile ſit. ἰλ. ί. σύ δ' ἀυτόθι λέξεο μίμνων ἐυνῇ ἐνὶ μαλακῇ. Sunt autem continuae τμήσεις quatuor in verſuum principiis.

437. Ἐπὶ ῥηγμῖνι.] Littus dicit ſimili ratione, qua Cicero de Juriſconſultorum doctrina tradidit, littus eſſe quod fluctus elideret, à verbo ῥῆτται quod frangere & allidere ſignificat.

449. Χερνίψαντο.] Facta eſt vox ἀπὸ τῶν χειρῶν καὶ τοῦ νίπτω. Unde & χέρνιψ aqua, quae manibus affunderetur, ut Odyſſ. α. 136.

Χέρνιβα δ' ἀμϕίπολος προχόῳ ἐπέχευε Φέρουσα.

& χέρνιβος vas ipſum ſive pelvis, ut ἰλ. ω. 304.

Χέρνιβον ἀμφίπολος πρόχοόνθ' ἅμα χερσὶν ἔχωσα.

Ibid. Καὶ ὐλοχύτας.) Hordeum, ut ajunt, ſale conſperſum, quod ſolebat in hoſtias mactandas conjici, ob memoriam priſci victus, quum nondum repertis molis integris frugibus veſcerentur: itaque volunt dictas οὐλὰς quaſi σάας, id eſt integras, ut ὁδ ὠ. 401. Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε. Interpretatur autem ipſe Homerus ὁδ. μ. ubi dicit decerptas frondes applicuiſſe bobus ſocios Ulyſſis.

Οὐ γὰρ ἔχον κρῖ λευκὸν ἐϋσσέλμῳ παρὰ νηΐ.

Apud Latinos etiam nulla ſacra ſine mola ſalſa, id eſt farre molito, ut interpretantur, peragi moris fuit. Unde & verbum immolo factum eſſe apparet. Virgiliuſque Eclog. 8. ſic fecit.

Sparge molam & fragiles incende bitumine lauros.

Et Aeneid. 2. *Mihi ſacra parari,*

Et ſalſae fruges & circum tempora vittae.

Sunt autem οὐλόχυται, καταχυθεῖσαι ὐλαί. ὁδ. γ. 441.

Ἑτέρη δ' ἔχεν ὐλάς. Et mox

Χέρνιβά τ' ὐλοχύτας τε κατήρχετο.

458. Αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἔυξαντο.) Nunc deinceps totius rei divinae rationem & peractionem deſcribit, & deinde etiam epulas, omnia percenſens atque explicans. Ita enim facere ſolet in quarumcunque rerum expoſitione hic poëta, ut minuta etiam & exilia perſequatur, ut & illuſtris haec ſit & illarum certa cognitio.

459. Αὖ ἔρυσαν.) Fuere qui αὖ particulam hoc loco nihil ſignificare, ſed numeros tantum explere traderent. Sed alii multo rectius ritum mactationis hac innui docuerunt. Eſſe enim ἀυερύειν, ἐυχενίζειν, hoc eſt *cervicem incidere.* Quod & Gellius innuere videtur, qui ut compoſiti hujus verbi exemplum iſtud adduxit lib. 15. cap. 3. Et quidem ita factum fuiſſe antequam jugularent victimam, planius dicit ὁδ. γ. 449.

Πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας ἀυχενίδας. & deinde.

Οἱ μὲν ἔπειτ' ἀνελόντες ἀπὸ χθονὸς ἐυρυοδείης

Ἔσχον, ἀτὰρ σφάξεν Πεισίστρατος ὄρχαμος ἀνδρῶν.

Addunt & hoc, conſueviſſe colla victimarum retorquere veteres, ut in coelum intuerentur, earum quidem, quae mactarentur

rentur Dis ſuperis. Nam quibus manes & inferos placarent, eas depreſſo capite caedi ſolitas, id eſt ἀποδειροτομεῖσθαι. Et haec ἱερεῖα nominarunt ἔντομα, ut Apol. primo, dicit argonautas Dryopis manes veneratos combuſſiſſe ἔντομα μήλων.

460. Μηρούς τ' ἐξέταμον.) *Coxas*, ut diximus, quae & μῆρα, & μηρία ὀδ. γ. κνίσσῃ autem adipem nunc ſignificat. notatur eodem verbo & nidor, qui de aſſatione carnium exiſtit. δίπτυχα, duplicaſſe adipem ſive omentum dicit, ut undique oſſa contegerentur.

461. Ὠμοθέτησάν.) Exponunt ita, ut ajunt, crudas carnium particulas de ſingulis membris reſectas, impoſuiſſe omento, ut Diis tota victima incendi videretur. Exta autem, quae σπλάγχνα ſunt Graeco verbo, de hoſtia guſtare ſolemne erat, ut apud Plautum, *Poenul. De extis ſum intus ſatur.* & Maro. *Aeneid.* 8.

Veſcitur Aeneas ſimul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis & luſtralibus extis.

Et paulo ante.

Viſcera toſta ferunt taurorum.

462. Καὶ δ' ἐπὶ σχίζης.) σχίζας ſiſſa lignorum vocat. πεμπόβολα volunt certam veruum formam ſignificare, quorum acies quinae exirent de manubrio uno. Sed Herodotus in vita Homeri quina verua interpretatur, & probat hoc etiam argumenti fuiſſe Aeolenſem Homerum, qui ſoli omnium Graecorum neque lumbos in ſacrificiis comburere, & exta quinis verubus torrere ſoleant. πέμπε enim illos dicere, quod alii Graeci πέντε.

464. Κατὰ μῆρ' ἐκάη) τμῆσις, κατεκάυθησαν οἱ μηροί.

465. Μίσυλλον) Ἐμίσυλλον, *In fruſta ſecuerunt*, hinc enim Maro fecit,

Pars in fruſta ſecant verubuſque trementia figunt.

Luſit feſtive hoc verſu Martialis in ambitioſum quendam & oſtentatorem Homericae lectionis, qui inepte verbali voce in coco nominando uſus eſſet, quem Miſtyllum vocaret, ſic enim inquit lib. 1. Epigr. 51.

Si tibi Miſtyllus cocus Aemiliane vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

467. Αὐτὰρ ἐπεὶ.) Virg. Aen.

Poſtquam exemta fames epulis menſaeque remotae,
Crateras magnos ſtatuunt & vina coronant.

470. Ἐπεξέψαντο ποτοῖο,) potu compleverunt, ut vinum in ſummo poculo quaſi orbiculum facere videretur, vel ut attingeret labra poculi, quae & σεφάνη: vel revera coronata frondibus, ſeu implicita ſertis pocula circumlata dicit. Δαῖτα autem εἴσην, τὴν ἴσην καὶ ἰσομοίρως διανεμηθεῖσαν. Etiam fuere qui interpretarentur τὴν ἀγαθήν. Cum ſit in ἰλ. ι. 225. Δαίτὸς μὲν ἐΐσης οὐκ ἐπιδευεῖς. Videtur enim negare Ulyſſes lautas epulas ſe requirere. Sed unde Virgilius fecit, *Menſaeque remotae?* Quaerunt enim Grammatici, utrum veteribus menſae de coena ablatae fuerint, & plerique hoc factum fuiſſe non arbitrantur, neque obſtat huic opinioni ferè quicquam apud Homerum, niſi illud ἰλ. ω. 476. Ἔσθων καὶ πίνων, ἔτι καὶ παρέκειτο τράπεζα, quod ſonat, quaſi nondum ablata menſa fuerit. Sed & huic nodo cuneum repererunt. Nam diſtincte ajunt hoc legendum, ad hunc modum,

Ἔσθων καὶ πίνων ἔτι, καὶ παρέκειτο τράπεζα.

Athen. lib. 1. Verum Maro, ineptias iſtas nihil moratus, veterum conſuetudinem libere expreſſit ſuis verſibus, praeſertim aſtipulante ſuae gentis more, Plautus Aſinar. *Ponite pueri menſulam.* Et Xenophon quoque συμποσίῳ plane dixit, ὡς δ' ἀΦηρέθησαν αἱ τράπεζαι. ἐξ ἔρου ἔντο, τιμῆσις, & ἔρου τὸν ἔρωτα dixit.

473. Παιήονα.) Hymnus, quo Apollo celebraretur παιὰν & παιών, & hoc loco aucto verbo παιήων dicitur. Unde παιανίσαι, quod ſignificat & ante conflictum, clamorem, & fuſis hoſtibus, victoriae exultationem. Vel ipſum Apollinem, ut Apollonius β. voce compoſita: Καλὸν ἰηπαιήον' ἰηπαιήονα Φοῖβον μελπόμενοι.

475. Ἦμος δ' ἠέλιος.) χρονογραΦεῖ & noctem & diem. Illam enim relinquit ſol occidens, hanc reddit exoriens. Καὶ ἐπὶ νέΦας ἦλθε, καὶ ἐπῆλθε τὸ νέΦας. Caligo noctis, quaſi κινοῦν τὰ νέΦη.

476. Πρυμνήσια) Rudentes, quibus de puppi, quae eſt πρύμνα, religarentur naves ad terram. De his Ovidius luſiſſe iſta videtur Faſt. 4.

Nox

Nox aderat querno religant de ſtipite funem,
Dantque levi ſomno corpora functa cibo.
Lux aderat querno ſoluunt de ſtipite funem,
Ante tamen poſito thura dedere foco.

477. Ἠριγενέια.) Auroram roſeam vocat. Maro luteam, quae roſeis bigis inveheretur, quo ſpecies coeli ante ortum ſolem illuſtris ſignificatur. Ἠριγενέια autem *matutina*, quae vel tum oriatur, vel id potius, quod mane dicimus, gignat. Matutinum quidem Latini à ſplendore nominarunt, cum de tenebris jam luceſcit. Matuta enim eſt his, quae Graecis Λευκοθέα.

478. Καὶ τότ' ἔπειτ' ἀνάγοντο) ἀνήγοντο ἢ ἀνήχθησαν, quod verbum nauticum eſt, deque navibus ipſis & nautis uſurpatum reperitur. Xenophon Ἑλληνικῶν. α. Ὅτι ἀι τῶν Πελοποννησίων νῆες ἐξ Ἀβύδε ἀνηγμέναι εἶεν. Idem. ἐπ' αὐτὰς ἀναχθέντες. Ἴκμενον ἔρον, ſecundum ventum. ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν, ἐνέπρησε δ' ἄνεμος, verbum eſt πρήθω, τὸ Φυσῶ, dicit igitur velum de vento intumuiſſe. σεῖραν, Carinam, quae firmior ſit, quaſi σερρὰν dictam volunt. Διαπρήσσουσα πέλευθα, currens perfluctus, quae alibi (ὁδὸν ἰ) ὑγρὰ πέλευθα. Verbo autem etiam de equis utitur, ἰλ ψ. Ῥίμφα πρήσσοντε πέλευθον. ὑπὸ δ' ἔρματα μακρὰ τάνυσσαν, ὑπετάνυσσαν, ἔρματα autem dicit trabes, quibus fulcirentur erectae in littore naves.

488. Αὐτὰρ ὁ μήνιε.) Nunc revertitur ad Achillem & cauſam ipſius, quam mater apud Jovem ageret, qui & ipſe poſt diem jam duodecimum ab Aethiopibus in coelum revertitur. Ἀϋτήν *praelium* dixit, unde clamores non abſint. πτόλεμον autem παρεμπτώσει τοῦ. τ. pro πόλεμον. ἐκ τοῖο pro τότε, id eſt, *ex eo tempore*, hoc eſt poſtea. ἠέρι *ante lucem*, hoc eſt mane.

499. Πολυδειράδος οὐλύμποιο.) Δειρὰς *cervicem* ſignificat, & ad eminentia loca transfertur. Quae autem ἔξοχαὶ ſunt coeli, quo nihil levius eſt? Significare videtur Homerus diſtinctionem coeli, & in illas partes ſignorum duodecim, & fortaſſe etiam in cingula, quae deſignantur iis circulis, quos παραλλήλους vocant. Quibus quidem re ipſa quaſi inſignitum coelum non eſt, ita tamen quaſi coelatam haec quandam ſpeciem il-

lius nobis repraesentant, unde & latinam appellationem factam esse verisimile sit.

500. Καὶ λάβε γένων.) γοῦνα, τὰ γόνατα, γόννα, & μεταθέσει γοῦνα, unde & γούνασι. ἀνθερεὼν imum mentum est, quod barba inde efflorescat. Atque hoc loco gestum supplicantium expressit. Nam prehendere genua, hoc est ad genua advolvi solebant supplices, unde & γνοῦμαι verbum *supplico*. Et Plinius lib. XI. c 45. dicit religionem his quandam gentium inesse, & causam affert quodam quasi cavo nodorum in genu spiritus vitae inesse. Idem & antiquos in supplicando mentum attingere solitos scribit. Quod & de hoc Homeri loco manifestum fit. Sed de genibus alibi saepe apud hunc. ἰλ. ζ. 45.

Ἄδρηστος δ' ἄρ ἔπειτα λαβὼν ἐλλίσσατο γένων. ἰλ Φ. 64.

—— Ὀδέ ὁι σχεδὸν ἦλθε τεθηπὼς,
Γένων ἅψασθαι μεμαώς.

Addit & in supplicatione Priami osculum manus, cujus & ipsius Plinius meminit, his versibus (ἰλ. ω. 478.)

Ἄγχι δ' ἄρα σὰς,
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα καὶ κύσε χεῖρας.

ὀδ. ζ. 149. γνοῦμαί σε ἄνασσα. Atque ita dicit cum ad conspectum virginis resistendum, neque tangenda sibi genua illius putasset. Item ὀδ. χ. 310. ἐπεσσύμενος λάβε γένων, & 312. γνοῦμαί σ' Ὀδυσσεῦ.

508. Τῖσον Ὀλύμπιε.) At tu illum, ab Agamemnone spretum, o Juppiter honore affice. Et mox dicit quo honore.

515. Ἐπεὶ οὔ τοι ἔπι.) Neque enim, inquiunt, quisquam est, cujus formido tibi obstare possit. Quem enim, inquit, metuis? Sed mihi magis εἰρωνεύεσα sic loqui communi quodam usu sermonis videtur, ut dicat se nihil vereri, neque laborare etiam si ille suas preces repellat, ne magis dubitare possit se esse omnium Deorum contemptissimam. Et mox μετὰ πᾶσιν, inter omnes Deos, vel, ut alii maluerunt, apud omnes mortales. Λοίγια, (518.) ἀπὸ τοῦ λοιγοῦ, pernicie & exitio. Est autem oratio significans cum quanto periculo exauditurus illam esset: Profecto, inquit, hoc pessimum est

nego-

negocium, cum ad inimicitias cum Junone ſuſcipiendas me impellas. *αὕτως*, *ſic etiam*, id eſt, quamvis non irritata ſit. Quemadmodum & Latini hac particula ſunt uſi. *νοήσῃ*. Ne ſentiat te affuiſſe, ne videat.

524. Εἰ δ' ἄγε τοι) ut ſupra, *εἰ δ' ἄγε μὴν πείρησαι*, quaſi dicatur: *Si lubet, ſi vis.* *τέκμωρ*, certiſſimum ſignum, quod *τεκμήριον*.

528. Ἦ καὶ κυανέῃσι) ἦ, *inquit*, Atticum, ſaepiſſime apud Platonem, ἦνδ' ἐγώ. ἦδ' ὅς, *inquam* & *inquit*. Virgilius Aen. IX. 106.

Annuit & totum nutu tremefecit olympum.

531. Διέτμαγον] *digreſſi ſunt à ſe.* Dii autem adverſum Jovi eunt, vel contra illum reſiſtunt. Nam feruntur orbes, qui ſunt ἕδη Deorum, contra illam coeli converſionem, quae ſcilicet Jovialis eſt.

539. Αὐτίκα κερτομίοισι.) ἐλλειπτικῶς, *κερτομίοισι ῥήμασιν* aut *λόγοις*, *verbis iratis*, *immitibus*, quaſi *τὸ κέαρ*, id eſt, *animum τέμνουσιν*, ut Grammatici *ἐτυμολογοῦσι*. Significantur & convitia & maledicta, & irriſiones hoc verbo. *Διακαζέμεν*, *διακάζειν*, *ſtatuere*, *decernere*.

546. Χαλεποί τοι ἔσονται) *Graves*, hoc eſt, non poſſis ſuſtinere. Et mox ὃν δ' ἂν ἐγὼν, & quae ſequuntur, habent conſtructionis verborum incongruitatem. Tranſit enim à maſculino ad neutrum plurale, *μήτι σὺ ταῦτα*. Sed hujuſmodi apud veteres, & in hoc poëta inprimis, plurima occurrere ſolent.

550. Μετάλλα] *ſciſcitare*, *curioſe exquire*. Unde fortaſſe magis veriſimile factum eſſe nomen *τὰ μέταλλα*, quàm quod, ut Plinius, quemadmodum puto, ait, *μετάλληλα* eſſe videantur. Videtur autem verbum factum ex eo, quod percontatores unum de alio veſtigent atque eliciant.

554. Εὔκηλος] id eſt ἔκηλος, placide, hoc eſt, imperturbatus.

555. Δέδοικα κατὰ Φρένα] *πλεοναζικῶς*, ubi enim metuimus niſi animo? Tale eſt: *cogitate cum animis veſtris.*

Παρίπτῃ] *blandimentis ſuis circumvenerit.* Eſt enim *παρειτεῖν* blande colloqui, ſuadere, denique orationis ar-

tibus aliquem aggredi. Ut ιλ. λ. 792.

Παρειτὼν, ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐσιν ἑταίρῳ. & rurſus ιλ. ξ. 217. Ἐν δ' ὀαριζὺς

— Πάρφασις.

562. Ἀλλ' ἄπο θυμοῦ.) *Magis es odioſa mihi futura*, id eſt, alienior erit à te animus meus. Demoſthen. κατὰ Τιμοκράτες: ἔσαι δὲ τοῦτο οὐκ ἀπὸ τᾶ πράγματος. Trachiniis, καὶ γὰρ οὐκ ἀπὸ γνώμης λέγεις. In his omnibus praepoſitio abhorrentiam ſignificat. ῥίγιον. Triſte, luctuoſum. Comparativa forma, non apparente poſitivo, ut ἄλγιον, λῷον, βέλτιον, Φέρτερον.

569. Ἀλλ' ἀνέεσα κάθησο.] Nunc fecit quaſi foemininum ab ἀνέων, quod paulo ante poſuit de Jove. Sed & veluti adverbialiter hoc eodem eſt uſus, ut Odyſſ. Φ 89. ἀλλ' ἀνέων δαίνυσθε καθημένοι. & ιλ. θ. 459. ἤτοι Ἀθηναίη ἀνέων ἦν. Et paulo ante εἰ δ' ἕτω τᾶτ' ἔσι, & caetera, ſuperbe dixit: Quid tum poſtea ſi ita eſt, ut ſcilicet ſuſpicare de Thetide, mihi quidem certe placiturum eſt. Quale hoc Juvenal. Sat. VI. v. 223. *Sic volo ſic jubeo.* Ἄσσον ἰόντε, *congreſſi mecum.* Ἀάπτες *violentas*, ad quas offendere exitiale ſit. Ut *inacceſſa regia Circes*, quo non ſine pernicie accedi poſſet.

Ἐπιγνάμψασα.] *Reflectens animum ſuum*, in timore ſcilicet, qui paulo ante in ferocia exultaſſet.

570. Ὤχθησαν,] *commoti ſunt animis, ingemuere.*

572. Ἐπίηρα Φέρων.] *Gratificans, gratiam inire volens apud matrem.* ὀδ γ. 164.

Ἅυτις ἐπ' Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἦρα Φέροντες.

575. Κολωὸν ἐλάυνετον.] *Turbam datis, tumultum concitatis.*

580. Ὀλύμπιος.] Epithetis ſignificatur Juppiter, ut cum tonans & hominum pater atque Deûm rex, dicitur. Atque is, inquit, ſi videatur, funditus facile everterit omnia. ut ſit ϛυφελίξειεν ἄν, Vel te proturbet de ſede tua. Καθάπτεσθαι ἔπεσι μαλακοῖς, περιφραϛικῶς, id eſt, *placato vel delenito verbis.*

584. Δέπας ἀμφικύπελλον.] Δέπας Jonicum verbum *poculum* ſignificat, ἀμφικύπελλον formam demonſtrat, ut illa genus,

nus, hac ſpecies appellatione indicetur. Eſt autem & κυπέλλα nomen alibi apud Homerum poſitum. *il. ι. 666.*

Τὰς μὲν ἄρα χρυσέοισι κυπέλλοις υἷες Ἀχαιῶν
Δειδέχατ' ἄλλοθεν ἄλλος ἀναςαδόν.

Volunt autem dicta ἀπὸ τῆς κυφότητος, quod gibbera eſſent. Atque idem intelligendum de compoſita voce ἀμφικυπέλλου, ut ſi dicatnr κυρτὸν & ἀμφίκυρτον. Alii maluerunt vel anſatum, vel quaſi opere & caelatura redimitum, ut ἀμφίθετον φιάλην. De qua & ipſa dum quaerunt Grammatici, quaſi in ſalebris diverſas vias exequuntur. Etiam nos aliquid vel ſuſpicemur, vel ſi placet ſomniemus, ut accipiamus ἀμφικύπελλον poculum, quod eſſet duplex, cujuſque partes ſibi ipſis imponi ſolerent, ita ut utraque illarum poculi formam uſumque haberet. Qualia ſunt nunc etiam principum & opulentorum & oſtentatorum magnificentiae.

588. Θεινομένην,] *vapulantem.*

589. Ἀργαλέος ἀντιφέρεσθαι] Tenuius dixit, quod ſit difficile atque grave ſeſe Jovi opponere, cum ſentiat in re perniciem & malum maximum eſſe, ut ſuo mox exemplo probat. Eſtque graeca figura, quale hoc. Θαῦμα ἰδέσθαι, & γεγωνέμεν ἀμφοτέρωσε & ſimilia plurima.

591. Τεταγὼν] Jonica forma eſt praeteriti indefiniti ſecundi, pede inquit vibratum deturbavit de coelo. Sic enim dixit περιφραςικῶς, βηλὸν θεσπέσιον *limen divinum.* Κάππεσον, κατέπεσον.

593. Κάππεσον ἐν Λήμνῳ.] De caſu Vulcani φυσικῶς placrique ἀλληγοροῦσι. Volunt enim hunc eſſe ignem, qui in materia adhaereſcere ſoleat, & ab aetherei ignis integritate longe abſit. In Lemnum autem defertur, ubi fuiſſe officinae quondam praeclarae feruntur, in quibus arma bellica potiſſime excuderentur, de quibus & Σίντιας populos aliqui dictos tradunt. Alii malunt colonos Tyrrhenorum, qui piratae eſſent, cum Lemnum occupaſſent, ſic vocatos fuiſſe, ἀπὸ τοῦ σίνεσθαι, ὃ ϑ. quod nocentes eſſent. Ideoque & alibi hos appellari ἀγριοφώνους. ὀλιγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν, περιφραςικῶς inquit, ἐλειποψύχων, *cum jam animo linquerer, affuere in tempore Sinties, qui me refocillarent.* Plato etiam Ἡφαι-

ςὸν

ςον quasi Φαῖςον praeposita litera η. ἐτυμολογεῖ in Cratylo.

595. Ὡς Φάτο μείδησεν] Risum Deorum Platonici de alacri & quadam veluti hilari effectione divinorum operum, ad conservationem universitatis rerum interpretati sunt. In qua, veluti propria naturae suae occupatione, jucundissime versarentur. Ad quae Proclus duos versus adducit, hos.

Δάκρυα μὲν σέθεν ἐςὶ πολυτλῆμον γένος ἀνδρῶν,
Μειδῆσαν δὲ θεῶν ἱερὸν γένος ἐβλάςησεν.

597. Ἐνδέξια.] *Ordine*, id est dextre, quod inde dicimus quia Graeci dextra omnia fausta esse ducebant. Orsus igitur Vulcanus de dextris partibus poculum circumtulit.

598. Ὠνοχόει,] verbum significat pincernam agere, hoc est vinum haurire, vulcanus autem Nectar Dis de cratere haurit, quae & ipsa vox vini misturam innuit. Non enim merum bibebant, sed temperatum conveniente mistione seu κράσει. Cui rei apta vasa κρατῆρες & Jonice κρητῆρες dicebant.

599. Ἄσβεςος γέλως,] *Immensus*, translatio ab igne, qui ita invaluerit ut restingui nequeat.

600. Ποιπνύοντα,] *ministrantem*. Sedulitatem illam Vulcani Diis risum movisse dicit. Sed quomodo occidit illis sol? Ad ea hoc quae nobis accidunt referendum. Nam tum Di in sua quasi domicilia se conferunt, hoc est sydera hominibus quaeque de suis locis apparent, quae interdiu nulla conspicerentur. Jovem autem & Junonem conjuges, poëtae introducunt, qui consanguinei essent, ambo uno patre & matre editi. Narrant autem fabulae, Jovem amasse Junonem sororem suam, quam cum sciret esse tetricam atque severam, non fuisse ausum solicitare animum illius. Tandem hac ratione tentasse. Cum enim forte esset tempestas atrox nimbis & grandine, mutatum se in formam cuculi obtulisse Junonis conspectui, madidum & trementem. Cujus misertam Junonem, statim prehensum illum gremio fovisse, qua occasione Juppiter ipsam compresserit. Hoc credo inter aniles fabulas ita olim celebratum fuisse. Nam & Theocritus alicubi sic ait:

Πάντα

Πάντα γυναῖκες ἴασι καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥρην.

Habetis explicationem primi libri Iliados Homericae, ut noſtro quoque judicio non magni faciendam, ita neque omnino abjiciendam atque contemnendam, ut ſperamus. Ad quod quidem exemplum, niſi quid noſtro ſtudio obſtiterit, ſequentes etiam libros, quàm licebit plurimos, vobis & interpretabimur & explicabimus, ac nunc deinceps ſecundum, cujus lectio & voluptatem & utilitatem ſtudioſis artium atque literarum bonarum maximam eſt allatura.

FINIS.

COM-

COMMENTARIUS

IN

HOMERICAE ILIADIS

LIB. II.

Petro Collatino ad Oenipotentem Muſarum antiſtiti, amico, S.

CUm viſum eſſet emittere ſecundum librum Homericae Iliados, hoc tempore à nobis feriarum diebus, & converſum latine, & explicatum in ſchola noſtra, hortata me fuit, Petre, voluntas ſumma erga me & ſtudium maximum tuum, ad te peculiariter ut hunc laborem operae noſtrae mittere vellemus. Nam non modo de literis tuis humaniſſimis ad me ſcriptis, ſed ſermone etiam communium amicorum, facile intellexi, & quanti me facere, & quàm praeclare de ingenii noſtri, quantulumcunque, id eſt, opuſculis ſentire ſoleas. Ego vero his literis & iſti doctrinae tantum tribuo, quantum ſaepe numero verbis oſtendere ſum conatus, & me, ſi quid in hoc ſpacio laudis, in me vel judicio vel ſaltem benevolentia eruditorum confertur, ut vere dicam, admodum delectat. Sed animadverto, mi Petre, & fortunam noſtrorum ſtudiorum fieri in dies deteriorem, & me in quadam deſperatione non jam dignitatis, ſed ſalutis illorum, ſaepe animo conſternari & frangi. Quid enim calamitatis impendeat virtuti & ſapientiae, de his, quae fieri cernimus, exiſtimare non eſt difficile. Non autem ſolummodo externam quaſi impreſſionem barbariae vix jam eruditio literarum atque doctrinae ſuſtinere poteſt, ſed ſua etiam infoelicitate laborat, cum, quae ad hanc conſervandam & augendam interdum praeclarae rationes iniri comperimus, illae perceleriter, modo perturbari, modo ſubverti conſueverint. Nullus ſucceſſus laboribus reſpondet, nulla

la fortunae benignitas, conatus adjuvat. Itaque mihi ſaepe ſubit vereri, hoc ſaeculum non eſſe id, in quo bonae res atque artes fundari inſtituique poſſe videantur, ut peſſime propemodum nobiſcum agi putandum, qui illas nunc colimus & excercemus, nati, ut apparet, vel uno ſeculo prius, vel uno poſterius, quàm oportuerit. Nam recordari licet quantus paulo ante fuerit eruditionis honor, quanta exiſtimatio, quanta etiam praemia, in non maximis laboribus doctorum illis temporibus, & facilis via famae ac celebritatis. Noſtra vero aetate, qui verſantur in literis, & quorum omne tempus omniſque occupatio in optimarum artium atque diſciplinarum ſtudiis conſumitur, ſine re, ſineque laude, ſi quid forte eſt ad poſteritatem excellentis doctrinae futurum, ſuis vigiliis & ſudoribus apertum & patefactum iter Muſarum relinquent ſecuturis, ſua diligentia & aſſiduitate perpurgato atque complanato loco, vepribuſque & dumis reciſis atque deſectis. Sin, quod Deus omen avertat, barbaria oppreſſerit omnia? ſi non honoratiores illi poſteri, at certe quietiores ſunt futuri, qui ad quaevis potius animos applicabunt ſuos, quàm ad haec extincta & deſito Muſarum ſtudia, quorum nos revocandorum adhuc ſpes tamen vel fovet vel etiam ludit. Sed plaeriſque noſtrum, ut opinor, idem nunc uſu venit quod ſaepe mercatoribus ſtrenuioribus, ut quemadmodum hi in negocia quaedam ita nonnunquam inplicantur, ut non ipſi jam haec agant, ſed ab iis agantur, ſic nos non tam voluntate, quàm neceſſitate in his ſtudiis haereamus. Sint ſanè aliqui (ut de noſtro grege loquamur etiam ſplendidius) tanta animi magnitudine praediti, ut in veritate propoſiti, & in recto quodam curſu perſeverandum, & contra omnes adverſantis fortunae quaſi reflantes ventos, pergendum ſibi putent, tamen hujuſmodi & pauci reperientur, & in opinione ſimili erunt miſeriae. Quem tamen locum, quia eſt honeſtiſſimus, nos tenere velimus, ut quamvis beati iſti noſtram infoelicitatem rideant, conſolemur tamen nos illis ſpecioſiſſimis ſententiis de pulcritudine & divina forma Φρονήσεως, quae certe extra haec ſtudia

eſſe

esse atque subsistere nequit, & Stoica quadam pervicacia, tam despiciamus contemtores Musarum, quàm ipsi spernunt atque insectantur culturam illarum, nostrasque res contra indoctorum potentiam & opes, augeamus ipsi praeclarissima persuasione magnitudinis & excellentiae, ut nobis saltem haec splendidae, inque primis expetendae, denique cujusdam in terris beatitudinis efficientes esse videantur. Sed nescio quo pacto, dum tecum jucundissime quasi colloqui coepi, huc sum delapsus & in hac mentione fui longior, nisi forte, ut fit, de quibus maxime scirem atque nossem, quaeque ipse facerem & exercerem disserui etiam copiosius, juxta veteris Poëtae versus:

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Et apud te haec potissimum peritum ejusdem quasi artificii, & in hoc proposito istaque cura conjunctum nobis. Revertamur igitur ad rem. Ac de auctore quidem, quem explicandum suscepimus, ea est fuitque semper omnium doctorum persuasio, ut qui hunc laudare jam velit, actum, ut ajunt, agere videatur. Utinam reduci in scholas & studiorum tractationem sic possit, ut meretur is, cujus tanta est bonitas, nihil enim dicam amplius. Nostram autem operam, etsi meo ipsius judicio perennem, non prorsus tamen inutiliter consumtam esse confido; sed navatam amatoribus horum studiorum, quae pulcerrimo humanitatis nomine appellantur. Nam & multis cum verbis tum rebus expositione nostra illatum quoddam lumen est, ante quidem aliquanto obscurioribus, & quaerendi de nonnullis amplius viam demonstravimus & patefecimus. Nihil dicam arroganter, neque enim decet: nihil etiam dolose, nam non est necesse: sed diligentiam possum vere praedicare, quam in hoc potissimum genere, ego multique alii saepe numero solemus desiderare. Itaque non multa in multis explicatoribus reperiunt paulo doctiores, quae nesciant, cujusmodi certe in nostris inesse nonnulla spero. Accessi enim huc non de subito proposito neque χθεσινῷ ut dicitur studio; sed post mul-

torum annorum assiduam hujus auctoris lectionem & sedulam annotationem eorum, quae ad illius scripta intelligenda facere viderentur. Neque me fugit hoc scriptionum genus esse humile & abjectum, poteramque, si vellem, jactitare me in quibusdam eximiis locis singillatim tractandis, ut fecere quondam Graeci, qui ζητήματα & προβλήματα Homerica edidere, qualia & nos collecta quaedam repositaque habemus, verum studiis nunc puerilibus consulere voluimus, & servire utilitati discentium bonas literas, non existimationi nostrae. Itaque & carmina convertimus Graeca in Latina, quàm bene non curo, quàm fideliter & studiose facile apparebit utriusque linguae non imperitis. Alligavi autem me ad legem quandam traductionis talem, ut, si possem, verba verbis annumerarem, qua nusquàm nisi numeris cogentibus, solutum me esse volui. Atque in hoc & profuisse me plus aliquanto discipulis nostris, & suscepisse non minus bonum laborem arbitror, quàm quosdam & gentis & eruditionis fama tumentes, quorum nuper allatae versiones ad nos fuere, Aristophanicae atque Homeritae, tales quidem profecto, ut me vehementer illorum in hoc conatu puderet, cum legerem. Quod ego non dicerem, qui nunquàm ex aliorum depressione eminentiam quaerendam esse putarim, nisi perspexissem, quàm magno & praesenti cum damno talia scripta volvi frequentarique necesse esset. Primum enim, quod & ipsum, in his quidem, de quibus loquor, aliter se habet, ut bene reddita sint latinis, bona verba graeca singula, quid hoc prodest? vel quanto potius opere nocet, si non illa in bonas etiam atque aptas latinae linguae formas componantur? Id autem nullo modo tali ordine interpretationis servato, fieri potest. Cum non solum plurima in his linguis proprietate diversa sint atque discrepent, sed multa etiam in latinis saepe redundent de graecis, saepe deficiant. Ita fit igitur ut qui de hujuscemodi conversionibus graece discere velit, is neque graeci sermonis cognitionem adipiscatur, & latinitatem corrumpat atque depravet. Nam videat haec obsecro

aliquis

aliquis : Et Sunium altum Athenienſium, Καὶ Σούνιον ἀκρὸν Ἀθηνῶν, *& hoc :* Nil cura confidens gratia horum etiam fabrum ferrarium praeberem. Ἀμέλει θαῤῥῶν ἕνεκα τούτων ἐπιχαλκεύειν παρέχοιμ' ἄν. *poſtea :* Quid igitur hoc tumultuavit Aeſchylum, Τί δῆτα τοῦτ' ἐθορύβησεν Αἰσχύλον. *Etmox :* Parvum bonum eſt ſicut hic, Ὀλίγον τὸ χρηστόν ἐστιν ὥσπερ ἐνθάδε. *Item*, Legibus nos impedis, quae poſuit civitas, Τῶν νόμων ἡμᾶς ἀπείργεις, ὧν ἔθηκεν ἡ πόλις, *& ante :* Malus es longe arte & ſtolidus. Πονηρός εἶ πόῤῥω τέχνης καὶ παράβολος. *Sed quid ago ? una poteſt ſatis eſſe annotatio totius illius converſionis, non aliquarum partium. Et audent tamen iſti inſuper etiam profiteri ſe poëtarum lineamenta & figuras expreſſuros eſſe. Quos ferre poteramus ſi non verba & res cum corrumperent atque diſperderent, tum obſcurarent ac depravarent. Quapropter, ut à talibus ſcriptis, qualia nos quidem illa legiſſe diximus, nam alii fortaſſe in ſimili re verſati forte ſint laudabilius, refugiendum tanquam lue & peſte quadam utriuſque linguae cenſeo, ita multum conferre, vicinam quandam & quam minime fieri poſſit longe abductam verſionem initiis doctrinae judico, ut perſpicere quàm proxime ac certiſſimè diſcentes poſſint, quid de quo factum ſit. Sed non modo verba verum etiam totam formam bonam inculpatamque eſſe volumus. Neque tamen non docendi ſaepe cauſa audacius aliquid vertere ſolemus. Verum hoc cum in ſcholis fit, diligenter auditores monendi ſunt, non tradi hujuſmodi ut vera, ſed quo melius quale id ſit, quod ita vertatur male, cognoſci & intelligi poſſit. Ut verbi cauſa, ſi dicam,* μέλλω ποιήσειν, ſum futurus facere, *interpretabor ut graecam figuram, ſed addam latinum eſſe,* facturus ſum. *Item* χρείαν ἔχω opus habeo, *ſed latinum eſſe,* opus mihi eſt. *Item* Φέρεται χαλεπῶς τῷ πράγματι, fertur graviter hac re, *cum latine dicatur,* fert hanc rem graviter. *Herodotus ita :* Τὰ τοῦ Θεοῦ πρεσβύτερα ἐποιεῦντο, ἢ τὰ τῶν ἀνδρῶν. *Fecerunt antiquiora, ſed antiquio-*

ra aliis fuere, latinitas ſubjicit. Ὀφλειν δίκην, *debere ſonat poenam, ſed dare aut pendere poenas recte vertemus. Sed inepte haec tam multa congero, cum tibi ſcribam, fuit tamen demonſtranda ratio quaedam ſententiae de converſionibus meae, & judicium probandum. Quod ſupereſt, te, mi Petre, oro, ut quemadmodum nullo meo merito beneficiove invitatus tua ſponte me diligere coepiſti, ita vel conſtantiae cauſſa benevolentiam erga me tuam velis cuſtodire. Vale Tubingae XV. cal. Decembris.* AN. M. D. XL.

ILIA-

ILIADOS LIBRI

Secundi converſio in latinum.

Somnia beta refert, populi coetumque rateſque.



Am Divum genus ac hominum turba inclyta bello
Perpetua placidam carpebant nocte quietem:
At te pervigiles agitant Saturnie curae,
Sollicitis dum tecum animis promiſſa revolvis,
Coeleſti Divae nutu firmata marinae,
Quam rationem ineas crebris navalia propter
Argivorum ut funeribus decoretur Achilles.
Optimaque haec dubiae viſa eſt ſcientia menti,
Mirificum regi Grajorum immittere ſomnum.
Ergo hunc in coeli pater ad ſe templa vocatum
Nomine compellans verbis celerantibus infit,
Mirifice ito age ſomne rateſque inviſe Pelaſgum,
Et pete Tantalidae tacitus tentoria regis
Cui memori mandata refer coeleſtia lingua.
Ut jubeas totis Grajos educere caſtris,
Armataſque acies periturae advertere Trojae.
Nunc etenim capiendae advenit terminus urbis,
Cum veteres iras concordi mente, repulſis
Coelicolae poſuere odiis. Nam ſupplice cunctos
Sermone & precibus flexit Saturnia blandis.
At mala jam miſeris impendent plurima Teucris.
Sic ait, at Jovis imperio diſcedere ſomnus
Audito properat, celereſque inviſere naves,
Et petere Argivae ductorem Agamemnona claſſis.
Quem dulci ut reperit reſolutum membra ſopore

Neſtoris in faciem verſus, rex omnibus unum
De ſenibus quem praecipuo obſervabat honore,
Huic ſimilis coeli Somnus delapſus ab oris
Atridae ſupra caput aſtitit, atque ita fatur,
Jamne etiam dormis Atreo ſate bellipotente?
Stertere perpetuam non dignum eſt principe noctem,
Cui populiſque ſalus & tanta negocia curae.
Nunc mea, quae juſſu porto Jovis, accipe dicta,
Abſentem quem cura tui & miſeratio tangit.
Totis te jubet Argivos educere caſtris,
Armataſque acies periturae advertere Trojae.
Nunc etenim capiendae advenit terminus urbis,
Cum veteres iras concordi mente, repulſis
Caelicolae poſuere odiis. Nam ſupplice cunctos
Sermone & precibus flexit Saturnia blandis.
At mala jam miſeris impendent plurima Teucris
A ſoue. Tu, quae dico, animis retinere memento,
Ne cum mellito fugiant elapſa ſopore.
Haec ubi dicta dedit, diſceſſit, at ille relictus
Spem cupida dubiam concepit mente, quod illo
Poſſe die everti Troum confideret urbem,
Cum ſtolido Jovis eſſet inexplorata voluntas,
Qui mala Dardaniis decreverat atque Pelaſgis
Plurima, lugubris per dira pericula belli
Seſe immiſſurum. Tum pulſo dicta ſopore
Sollicitas reſonare ducis divina per aures.
Atque ille erecto conſedit corpore, textus
Inducens tunica molli ſua membra recentis,
Deſuper & chlamydem ſibi rex accomodat amplam,
Et nitidas circum nectit talaria plantas.
Tum lateri argento diſtinctum ſubligat enſem.
Et patrium dextra ſceptrum immortale capeſſit:
Atque ita per Grajum ingreditur claſſem aere nitentum.
Jam Dea coeleſtes aurora inviſere ſedes
Ut Saturnigenae & Diis immortalibus almae

Orta

Orta ferat lucis venturi nuntia ſolis,
Cum jubet Atrides praecones voce valentes
Cogere Grajorum coetum, praeconia totis
Tum fiunt, populique coit mox concio, caſtris.
Neſtorea ille ſenum juxta navalia primum
Magnanimum, Pylii regis, venerabile tantis
Conſilium de rebus habet, ducibuſque vocatis
Res dubias regnique oblata negocia tractat.
Accipite non proceres, quae per mihi viſa tenebras,
Et placida capto fuerint oſtenſa quiete,
Neſtoris in facie & procero corpore Divi,
Quem mihi tum verbiſque ſuis geſtuſque decente
Ad caput aſtantem dare talia dicta putavi.
Jamne etiam dormis Atreo ſate bellipotente?
Stertere perpetuam non dignum eſt principe noctem,
Cui populique ſalus & tanta negocia curae.
Nunc mea, quae juſſu porto Jovis, accipe dicta,
Abſentem quem cura tui & miſeratio tangit.
Totis jubet Argivos educere caſtris,
Armataſque acies periturae advertere Trojae.
Nunc etenim capiendae advenit terminus urbis,
Cum veteres iras concordi mente, repulſis
Caelicolae poſuere odiis. Nam ſupplice cunctos
Sermone & precibus flexit Saturnia blandis.
At mala jam miſeris impendent plurima Teucris
A Jove, tu quae dico animis retine, iſta locutus
Avolat ille, quieſque ſimul me grata relinquit.
Nunc agite, armandi belli ad diſcrimina Grajos
Conſilium inveniamus, ego ſermonibus omnes
Aggrediar fictis, regem ut decet, & celeri illos
Funeream ſuadebo fuga relinquere Trojam,
Remigio inſtructis cum navibus. Aſt aliunde
Vos alius, revocare bonis incumbite verbis:
Dixerat Atrides, illo reſidente Pyli rex
Surgit arenoſi Neſtor, cupidoque ſalutis
Communis, gravibus fatur de pectore verbis:

O Danaum imperio & virtutibus inclyta turba,
Toto alius si quis narraret ab agmine Grajum
Talia visa, fidem sibi non acquireret auctor,
Cum vero ille, penes tanti quem gloria regni est
Videret, armandi bella ad discrimina Grajos
Consilium capiamus, ait. Tum sede relicta
Ipse sua primus surgit solvitque senatum.
At regis, coetu dimisso, fida capessunt
Sceptrigeri consulta duces, magnoque catervae
Concursant fremitu, & densatur concio plebis.
Ac veluti quondam laevi de rupe racemi
Conglomerantur apum, volitantque examina caelo
Crebra, per ambrosiis vernantes floribus hortos,
Atque aliae huc, illuc aliae, conferta reflectunt
Agmina, discurrit totis excercitus agris;
Sic populi à ratibus legiones ire frequentes
Cernere erat, littusque vagas complere cohortes,
Hos gressum instigans studiis flagrantibus inter
Nuntia fama Jovis mediam se laeta ferebat.
Conveniunt ipsi & confertum per fora magno
Agmen inhorrescit strepitu, resonatque sedentes
Subter terra, novem populi cohibere furorem
Instant praecones, mandantque silentia turbae,
Auribus accipiant ut regum dicta loquentum.
Repressi tandem sua quisque loca occupat, inque
Conventu taciti residunt, tum rex Agamemno
Procedit, sceptrum gestans memorabile dextra.
Fecerat ignipotens hoc donaratque tonanti
Jupiter ipse fato Maja fidoque ministro,
Acceptum Pelopi dederat Cyllenius, idem
Rectori ille Pelops populorum tradidit Atreo,
Cujus rellictum locuples sibi morte, Thyestes
Jussit decedens Agamemnona ferre potentem,
Inque mari & totis late dominarier Argis.
Hoc tunc innitens celeri est sic ore locutus:
O socii heroes Danai, Mavortia turba,

Jupi-

Jupiter ingenti turbat mea pectora luctu,
Qui prius, heu nunc infestus, clarissima signa
Ipse dedit reditus Troum capta urbe secundi,
Cujus erat promissa mihi victoria nutu.
Idem triste agitans fallaci in pectore versat
Consilium, & jubet ut patrios inglorius Argos
Reducam accisas hostili clade cohortes:
Scilicet ista Jovi excelso sententia regi
Mente sedet, cujus munitas excidit urbes,
Excindetque manus immensa potentia Divae.
Ista quidem turdis nos olim fama sequetur,
Audiet & nostrum juniorum dedecus aetas,
Agmina tanta viris collecta è talibus, arma
Necquicquam longo diuturni tempore belli
Movisse, & numero multo inferioribus esse
Hostibus haud potuisse pares, inireque pugnas.
Nam nec adhuc dubii sors est manifesta duelli.
Quod si jam nos & percussio foedere Teucri,
Quotquot habent ipsi urbe pares numeremur, ut horum
Quique unus denis dispenset pocula Grajis,
Crediderim multas carituras esse ministro
Nostrorum, tanto est magis ingens copia, turmas,
Et superat cives Trojae. Verum undique multis
Auxilia hos virtute levant de gentibus, & me
Speque bona frustrantur & illos Marte tuentur,
Delendaeque meis obstant conatibus urbis.
Praeteriere novem jam nunc magni Jovis anni
Exesaeque trabes carie, fluxique rudentes
Dissolvere rates: at turba domestica nostros
Sollicitae uxores & dulcia pignora nati
Expectant reditus. Nos cujus venimus ergo
Frustra exercet opus, nec habet dilatio finem.
Nunc concordi omnes, quae dicam, mente sequamur,
Scandamus naves & rura paterna petamus.
Non etenim Iliacam magis expugnabimus urbem.

Sic ait, at faciles movet haec oratio mentes
Vulgaris turbae, quibus illa ignota voluntas
Regis erat, dudumque habiti consulta senatus.
Ergo ruunt quanto fluctus maris impete quondam
Icario in pelago, quos Eurus & humidus Auster
Excitat insurgens coeli de nubibus atris.
Ac veluti in densas Zephyri violenta feruntur
Flabra procelloso segetes cum turbine, & urgent
Insultu graciles atque infectantur aristas,
Tota gravi quatitur sic horum concio motu.
Tum magno clamore rates vaga turba peteſſit.
Currentumque pedes subter vis pulveris exit.
Inter seque vocant ad agendas in mare naves
Communi studio atque opera. Mox tergere fossas
Suppositasque trabes rectis subducere proris.
Tendentum in patriam ferit aurea sidera clamor.
Atque ita fatali tunc obsidione relicta,
In patriam pubes Grajorum forte rediisset,
Ni compellatam Tritonida Iuno moneret.
Heu mihi nata Jovis bello inclyta virgo tonantis,
Siccine lata fuga repetent maris aequora Graji.
Inque revertentur sedes sine laude paternas?
Quodque optat Priamus, quod caetera copia Trojae,
Argivam tanto frustra sudore petitam
Hic Helenam, pro qua tot mortem obiere, relinquent,
Occisi à patria longe distantibus oris.
Nunc age belligeras Grajorum invise catervas,
Eque fuga revocare bonis incumbito verbis,
Neve agiles patere in pelagus deducere naves.
Dixerat, at dictis paret Tritonia virgo,
Labitur & coeli de vertice concita summo,
Et tendit celeres Grajum ad navalia gressus.
Atque ibi consiliis praestantem cernit Ulyssem
Littore, vehementi perculsum corda dolore
Stare, nec aeratas manibus contingere puppes.

Quem

Quem mox assistens propter Dea talia fatur.
O Laërtiade, Divum genus, inclyte Ulysses,
Ergo fuga patriam jam dilectosque penates,
Intra fluctivagas fusi per transtra carinas,
Immemores longo repetetis tempore belli?
Quodque optat Priamus, quod caetera copia Troiae
Argivam, tanto frustra sudore petitam
Hic Helenam, pro qua tot mortem obiere pelasgi,
Occisi a patria longe distantibus oris,
Linquetis dubii tanto in discrimine Martis?
Ergo age belligeras Grajorum invise catervas,
Eque fuga revocare bonis incumbito verbis,
Neve agiles patere in pelagus deducere naves.
Sic ait, ille Deae percepta voce locutae
Ad turbam celeri cursu fertur, chlamydemque
Abjicit, hanc tulit Eurybates Ithacesius, illum
Qui fuerat famulus fidus praecoque secutus.
Ac primum ad regem properans Agamemnona
currit,
Deque illo sceptrum patrium inviolabile sumit,
Quod gestans Danaum classem petit aere nitentum.
Hic quos in strepitu proceres, turbaeque videbat
Sese immiscentes, verbis objurgat amicis:
Non decet haec formido viri fortem improbe mentem
Ignavusque timor. Quin tu primum ipse quiescis,
Deinde aliud cohibes vulgus, neque eum tibi plane
Atridae quae sit notum est sententia regis,
Qui nunc tentatis mox iram obvertet Achivis.
Non interfuimus consultis scilicet omnes,
Et mala ab illius nobis metuenda furore.
Et gravis esse solet ducis indignatio summi,
Cui Deus ipse additque decus cumulatque favore.
At quos de grege militiae cernebat ovantes,
Hos sceptro feriens dictis incessit amaris:
Hic scelerate fede ac aliis dicentibus aures
Praebeto, tibi qui virtute & robore praestant.

Nam

Nam neque te vires ornant, neque gloria belli,
Qui nullo in pugnae numero es, nulloque ſenatus.
Nunquid in his autem caſtris regnabimus omnes?
Non bene turba regit. Rex gentibus imperet unus,
Unus & acceptas rerum moderetur habenas,
Qui Saturnigenae tenet iſtud numine donum,
Ut ſceptro populos & jure coërceat aequo.
Sic ille imperio turbatum compulit agmen.
Tum ratibus repetit fora concio tota relictis
Cum ſonitu: qualis quondam aequoris editur undis
Turbine commoti reſilit cum littore fluctus,
Et pelagus fremitu reboat, pontuſque remugit.
Ac repreſſi alii loca jam ſua quiſque tenebant,
At non Therſites tacito fert ore, feroxque
Obſtrepit, & Danaum coetum clamoribus implet.
Non huic multorum deformis copia deerat
Verborum, apta duces vanis inceſſere rixis,
Et riſum facere Argivis. Hoc turpior alter
Nemo ſub Iliacam Grajorum venerat urbem.
Lumine erat ſtrabus, atque uno pede claudus, in arcto
Pectore gibbi humeris extantes poene coibant,
De capitis rarus volitabat acumine pilus.
Nec quiſque Aeacidae magis aut infeſtus Ulyſſi
Alter erat, male quos dictis lacerare ſuetus.
Tunc ſtrepera Atridae fecit convicia lingua.
Illi tota cohors irata mente Pelaſgum
Succenſere, ipſe ingenti clamore malignis
Increpitat, regem inceſſens Agamemnona dictis.
Quid nunc Atride vis amplius atque requiris?
Aere tua excuſo tentoria plena refulgent,
Innumerae tibi ſunt, Grajorum dona, puellae,
Exemtae e praeda, ante alios quas accipis omnes
A nobis, ſi quam bello expugnavimus urbem.
An tibi deeſt aurum? genitor pro corpore nati
Quod ferat, ipſe ego ſive alius quem traxero denſa

Teu-

Teucrorum ex acie vinclisque oneravero captum.
Aut etiam tibi nunc mulier juvenilibus annis
Quaeritur ad Veneris secreta cubilia? Verum
Non hoc regis erat, damnis affligere cives.
O fatui, nam quae vobis opprobria dicam
Digna, nurus Danaum vere non mascula proles,
Nunc saltem inscensis ratibus patria arva petamus,
Solus hic in Phrygiis aliorum ut praemia campis
Devoret, & Martis nostros intelligat usus.
Ipseque utrum à nobis multumve parumve juvetur,
Qui dudum, at quanto majori laude celebrem,
Aeacidem affecit probris, cui dona puellam
Eripuit Danaum violentis publica jussis.
Ac quam sit placido Pelides corde videre,
Quamque animo miti, nisi enim foret, hoc tua jam nunc
Atride furor & staret vis ultima fine.
Sic ille in regem vesana Agamemnona lingua
Invehitur. Mox hunc Ithacus cum propter Ulysses
Astitit, inque tuens Thersiten lumine torvo,
Saevo exultantem temere sermone retundit.
Thersita immodica verborum copia abundans,
Quamvis tinnula vox tibi sit, tamen ore protervo
Desine principibus lites intendere solus.
Nam neque mortalis te quisquam ignavior alter
Tantalidum quotquot fratrum venere secuti
Auspicia Iliados pugnatum ad moenia Trojae.
Ergo tuae non te decet improbitate loquelae
Nomina contemerare ducum, atque aspergere probris.
Nec tibi tam magnae sit vestra reversio curae,
De qua etiam quid fiat adhuc scit nemo. Secunda
Num Danaum excipiat fors an contraria pubem.
Proinde tona in regem saevis Agamemnona dictis
Plurimaque exprobra, quae dant huic munera Graji
Invidia, & levibusque intendito crimina verbis.

At tibi praedico & dictis facta insuper addam,
Si post hac simili rabie te forte furentem
Videro, qua coram nunc desipis, haud mihi salvum
Posthac sustineant juguli caput, haudque ego post-
hac
Telemachi genitor sim, nomine dictus Ulysses,
Ni vestimentis spoliatum te, chlamydemque
Exutum & tunicam, quibus & pudibunda tegun-
tur,
Indignis misere caesumque redegero naves
Ad celeres plagis, lacrimantem & multa querentem.
Sic fatus sceptrum inflixit dorsoque humerisque
plorantis seque incurvantis verbere, de quo
Suffuso exoritur liventi sanguine vibex
Aurati adflictum sceptri, mox ille resedit
Perculsusque metu magno tactusque dolore,
Et turpes tristi lacrimas detersit ab ore.
Hic Danai quamvis moerenti pectore risum
Non possunt tenuisse, aliquisque ita in agmine fatur.
Pro superi! quae jam bona conciliavit Ulysses
Argivis, dum consiliis communia princeps
Commoda procurat, sopitaque suscitat arma.
Vix aliud tamen hoc facto est praeclarius ullum,
Garrula cum jurgatoris compescuit ora.
Quem posthac, ut credo, minus petulante juvabit
In proceres jacere & reges convicia lingua.
Haec inter vulgo se mutua verba ferente,
Murorum in medium procedit terror Ulysses,
Assistitque tenens sceptrum. Quem caesia propter
Ingreditur Pallas, mandatque silentia turbae,
Ultimus ut simul audiret primusque loquentem.
Perciperetque suo dictorum pectore sensum.
Ille infit, verbisque fidelibus ora resolvit.
Nunc te rex inter cunctos Agamemno Pelasgi
Mortales opplere parant, & inurere probris,
Nec praestare fidem, quam quondam tota dederunt

Agmi-

Agmina, & inſtructus patriis exercitus Argis,
Non ante hoſtili ſe velle excedere terra,
Quàm ſubverſa cadant direptae Pergama Trojae.
Qui jam ceu pueri infantes, muliebris & expers
Turba maritorum, queſtus lamentaque fuſis
Ingeminant lacrimis, redituſque cupidine tabent.
Nec tamen ipſe nego miſerum eſſe, dolore reverti
Affectos longo. Siquidem prohibentibus undis
In pelago hibernis, ſaevaque urgente procella
Aura rates uno ſi menſe adverſa moretur,
Corde aliquis dilecta arcetur conjuge triſti.
At nos jam vertens hic novus detinet annus.
Haud igitur deſiderio juſtiſque querelis,
O Danai, hic intra naves ſuccenſeo veſtris.
Attamen & manſiſſe diu, vacuoſque reverti
Turpe nimis fuerit. Quare hanc vos pectore forti,
O ſocii, tolerate moram, dum noſcere vatis
Calchantis poſſimus, an exitus illa ſequatur
Praedicta, an vanis nos verbis luſerit augur.
Scimus enim cuncti & perſpectum corde tenemus,
Voſque mihi teſtes omnes, quos proxima nondum
Proelia cum Teucris dudum commiſſa tulerunt.
Cum Danaum cita colligeretur in Aulide claſſis
Exitium Priamo Trojaeque latura colonis,
Nos liquidos circum fontes altaria donis
Coelicolum, augentes centeno ſanguine fuſo
Sacra ferebamus perfecta ingentia ritu,
Sub Platani rivus, qua ſtirpe perennis inundat.
Hic varia immanis, dictu mirabile, ſerpens
Dorſa ferens maculis, juſſu Jovis excitus, altam
Irrumpit Platanum, ex ara digreſſus, in illa
Paſſeribus ſumma trepidabant arbore rami
Octo graves, inter genitrix quos nona ſedebat.
At Draco pipitu pullos lugubre querentes
Corripit, atque omnes funeſto devorat ore.
Tum matrem plorante ſuorum in funere cantu

Obvo-

Obvolitantem ala tortu revolutus, & altum
Clamantem capit, atque ſuper ſua pignora mactat.
Mox ubi poſt pullos laniarat & ille parentem,
Clara dedit tum ſigna Deus, qui eduxerat illum,
Nam pater hunc ſaxum fecit Saturnius. At nos
Attonita ſtetimus portenta ad talia mente.
Ergo turbatis monſtri formidine ſacris,
Vatidico Calchas ſermone timentibus infit:
Cur oſtenta Deum taciti exhorretis Achivi?
Quae pater oſtendit magni regnator Olympi,
Sera ſed aeterno quae tempore fama celebret.
Sicut enim ſerpens octono paſſere rictus
Iſte cruentavit patulos, nonamque parentem
Adjecit natis, ita nos pugnabimus annis
Marte novem, reſides ſpacioſae ad moenia Trojae,
Et decimo tandem captam ſpoliabimus urbem.
Nunc iis, quae vates cecinit, quia terminus inſtat,
Durate Argivi. Priami neque linquite ſalvum
Imperium, aut nondum capta diſcedite Troja.
Dixerat, at fremitu Danai navalia magno
Complevere, cavae reſonant clamore carinae,
Acta Ithaci diviniloqui dum laude celebrant.
Tum Neſtor dictis haec dicta Gerenius addit.
Heu mihi quid fieri poſſet puerilius iſtis
Quae facitis? quaſi nulla magis ſint proelia vobis
Ignavis cordi. Suntne haec promiſſa fideſque?
Scilicet & conſulta cadent animique viriles?
Non ſecus ac flammis conſumta ardentibus, & jam
Foedera vaneſcent, & junctae numine dextrae
Teſte Deum turpi ſpem fallent crimine veſtram?
Namque quid haec ſibi vult tantae diſcordia litis
Pugnaque verborum? cum nullo fine labores
Et nullo inſiſtat diuturnum cardine bellum
At tu decretum Atrei clariſſima proles
Conſilium urge animo atque inſtaura proelia ductor.
Atque iſtos peſſum ire ſinas unumve duoſve.

Occul-

Occulto excercent qui conciliabula coetu
Necquicquam. Neque enim prius hinc ſolvemus, & Argos
Optatos revehemur, Olympi noſcere quonam
Quam detur manifeſta cadat promiſſio regis.
Namque mihi eſſe fides ſummo à Jove facta videtur,
Indubitata die qua claſſis littore primum
Noſtra neces ad Dardaniae clademque profecta eſt.
Proſpera cum dextra demiſit fulmina parte.
Quare ne reditus ulli ſit tanta cupido
Quin prius in ſervae capta urbe cubilia victor
Teucridos incubuiſſe nurus velit, & ſceleratos
Ulciſci raptus Helenae & lacrimabile probrum,
Quod ſi quis tamen haec fuerit contra improbus auſus
Inſtruere in patriam reditus, attingito navis
Ille palam denſoſque foros nigramque carinam,
Ut primus fuſo meritas det ſanguine poenas.
At tu Rex animo & tecum conſulta revolve,
Rectaque praebeto tibi ſubjicientibus aures.
Non ego te levia aut curis indigna monebo
Quippe tuis, certos jam totis delige caſtris
Quos Agamemno viros populis praeponere Grajum,
Quemque ſuo & generi poſſis, ut ſubſidio ſit
Et genus & populus ſibi. Quod ſi feceris & te
Audierint Danai, mox hoc diſcrimine facto
Ignavique duces, timiduſque per agmina miles,
Et fortes noſcentur item, utriuſque patebit.
Tum facile ipſa tibi res declarabit, an urbem
Expugnare vetet vis adverſaria fati,
Aut ratio belli non vera timorque tuorum.
Neſtoris his verbis Agamemnon talia reddit.
Clare ſenex quam magna tuae eſt facundia linguae?
O mihi ſi Divum patet & cum Pallade Phoebus
Dignentur bis quinque viros adjungere tales,
Publica qui mecum quaerat conſulta ſenatus,

Jam Priami regnum jam noſtro moenia Trojae
Marte cadant faciantque graves everſa ruinas.
Sed me coelipotens magnis Saturnius urget
Juppiter involvitque malis, qui triſtia movit
Jurgia, damnificaeque nocentia praelia linguae,
Mutua quae mecum pro virgine geſſit Achilles.
Auctor egoque fui rabidae temerarius irae.
Quod ſi forte iterum redeat concordia nobis
Jam ſit Dardaniae cladis mora nulla futura.
At nunc ite dapes ſumturi ut bella geramus.
Atque aliquis mucro videat ſit acutus ut haſtae,
Componatque, aliquis clipeum, hic ne pabula deſint
Curet equis, alius nunc certo lumine currus
Undique reſpiciens paret ad certamina belli,
Marte diem certum eſt quoniam decernere totum,
Nec prius incepti requies erit ulla laboris,
Immiſſae dirimant quam proelia dira tenebrae.
Tunc clipei ingentis forti de pectore lorum
Ancipiti in pugna fuſo ſudore madeſcet,
Tunc etiam haſta manus affliget pondere feſſas,
Tunc & equi currus ſudabunt ante citatos.
Quod ſi quem pugnas fugere extra aciemque manere
Velle rates ad roſtratas cognovero, non ſic
Vitabit tamen ille canum volucrumque rapinas.
Haec ubi dicta dedit, magnis clamoribus illi
Erumpunt, feriunt quondam ceu littora fluctus,
Quos ſcopulis gravis infligit pendentibus Auſter,
Ventorum aſſuetis varias perferre procellas
Omnibus à coeli venientium partibus alti.
Concio tum repetit naves dimiſſa focumque,
Intra quiſque ſua accendit tentoria & ignem
Excitat, ut dapibus veſcantur rite paratis,
Atque alius Divorum alium prece ſupplice poſcit
Auxilium, ut lactum effugiat Martiſque furorem,

Sacra

Sacra ferens. At rex Agamemno haec inter opimum
Quinquennem tibi magno bovem Saturnie mactat,
Grajorumque vocat proceres clarumque senatum,
Nestora cum primis atque Idomenea, duosque
Ajaces, ac Tydidem, his sextus Ulysses
Accedit, non ingenio minor ille Tonante.
Sed Menelaus ad hos bello inclytus advenit ultro,
Norat enim curas fratris magnosque labores.
Hi manibus salsas fruges ad sacra tulere,
Atque bovem circum stantes cinxere corona.
Tum sic rex verbis Agamemno precantibus infit:
Jupiter altitonans summi rex maxime coeli
Ne prius occiduas liceat contingere metas
Solis equos, tenebras terris noctemque vehentes,
Quàm dejecta mea Priami fumantia dextra
Tecta ruant, postes inimicus & hauriat ignis.
Ipse cadat lacera confossus pectora veste,
Et densa jaceat sociorum in strage suorum
Hector, at hi circum ductorem in pulvere fusi
Expirante premant tellurem mordicus ora.
Dixerat, at nondum Jovis exorata voluntas
Affuit. Ille quidem sibi sacra oblata recepit,
Ast aucto ingentes cumulavit Marte labores.
Tum prece perfecta salsa cum fruge litassent,
Reflexumque bovem cedunt & tergore nudant.
Secta tegit nidor femorum è compagibus ossa,
Et genuina implicitas celant abdomina partes.
Tum simul adjiciunt crudae undiquae frustula carnis
Quis dehinc materia foliorum experte crematis,
Mox confixa super Vulcano viscera torrent.
Etiam tosta ignis femorum consumpserat ossa,
Et libata Deis gustaverat exta senatus,
Quod superest in frusta secant verubusque refigunt.
Dein referunt assos studiose ex ignibus artus,
Finitoque parant epulas agitare labore,
Et vesci aequali cunctis dape lege tributis.

Cumque exempta fames epulis, potu ſitis eſſet,
Neſtor deinde ſenex ſic ore Gerenius infit.
Maxime Rex Agamemno Atrei clariſſima proles,
Nunc inſtauratis ceſſent certamina verbis,
Atque operi mora quod tulerit Deus omnis abeſto.
Ergo age praecones cogant denſa agmina Grajum,
Armataſque vocent turmas de navibus, at nos
Inſtructas una properemus obire phalangas
Et celeri Martis committere praelia dextra.
Sic ait ille, ſenis neque rex parere recuſat
Utilibus monitis. Tum turba ſonora jubetur
Praeconum ad pugnam Danaum concire phalangas.
Hi quod erant juſſi faciunt, atque agmina cogunt.
Quis illi regem proceres Agamemnona circum
Intermiſti aciemque ſtruunt cernuntque cohortes.
Caeruleis tum nata oculis Jovis inclyta Pallas
Aegida concutiens centeno umbone retextam,
Admirabile opus, cujus centum aureus umbo
Quiſque boum aequaret precium, quam nulla ſenectus
Interituſque ſuo nullus ſpoliaret honore,
Hanc quatiens mediis ſeſe legionibus infert,
Acceleratque gradus & pectora viribus auget.
At confirmatis divino numine Grajis
Gliſcit amor pugnae, bellique cupidine flagrant.
Praelia tum poſcunt avidi, tum praelia malunt
Conſerere, patriam quam claſſe redire ſoluta.
Ac veluti ingentes ubi ſylvas montibus altis
Corripuit flamma, & longe emicat igneus ardor:
Sic radii nitido fulgentis ab agminis aere
Omnia pervolitant late loca & aethera tangunt.
Nec ſecus ac magnae volucrum denſaeque catervae
Anſere multiplici aut grue oloreve guttura longo
Aſia prata petunt liquidique fluenta Cayſtri,
Ac pennis coelo laetis ſpaciantur aperto,
Aequore nunc viridi reſident plaudentibus alis,

Grajo-

Grajorum in ripas ingens effuſa Scamandri
Copia de ratibus caſtriſque exercitus omnis
Eductus ſtrepit. Alnia pedes ſubterque virorum
Subter equumque fremit, pulſataque terra remugit.
Illi incedebant per florida prata Scamandri
Innumeri, aequales foliis & floribus, aut quae
Mille volant veris per ovilia tempore muſcae,
Cum nitidi plenae lactis ſtant flumine mulctrae;
His numero Danaum latos per copia campos
Opplebat, Teucroſque infeſto Marte petebat.
Utque greges magnos caprarum forte in eiſdem
Paſtibus haec quibus eſt confuſos cura reducunt,
Diſtinguuntque levi conamine. Sic legiones
Diſponunt proceres & ab omni parte reformant,
Inſtantem ad pugnam. Quos inter rex Agamemno
Luminibus ſummum referens & fronte tonantem,
Pectore Neptuno ſimilis, valida Ilia Marti:
Taurus ut armentis dominatur agreſtibus ingens
Ille boum princeps, ſic multos arduus inter
Praeſtanti heroas Jovis excellebat honore,
Dicite nunc Muſae quae tecta tenetis Olympi,
Quippe Deae vos eſtis, & eſt praeſentibus acta
Notaque res vobis. Fugiunt nos omnia, quorum
Fama modo ad ſeras tenuis perlabitur aures,
Qui numeruſque ducum & fuerint quae nomina regum.
Nam populi coetum verbis comprendere non eſt.
Non mihi ſi linguaeque decem & totidem ora loquantur,
Indefeſſaque pectore vox procedat aheneo:
Ni Jove natarum nos omnipotente ſororum
Numen Olympiadum doceat monſtretque, ſub alta
Venerit Iliados quae copia Pergama Trojae.
Nunc memorabo duces claſſis cunctaſque carinas.

BOEOTIA SEU NAVIUM CATALOGUS.

BOEotum dux Peneleos & Leitus, atque
Arceſilaus erant, Prothoenorque Cloniuſque
Hos Hyrie civeſque ſequuntur & Aulidos altae.
Quique colunt Schoenum & Scolum, & juga crebra Eteoni,
Et qui Theſpiam, & Coream, & campos Mycaleſſi.
Harmaque qui circum, Ileſiumque habitant, & Erythras,
Quique tenent Eleona atque Hylen ac Peteona,
Ocaleam, firmis Medeonis & oppida muris,
Copas, Eutreſin, foetam Thisbenque palumbis.
Quique Coroneam, qui gramineumque Haliartum.
Quique Plataean habent, cumque his tuus incola Giſſas,
Ardua quique habitant Thebanae moenia vallis,
Oncheſtique tibi lucos Neptune dicatos.
Foecundaeque uvis cives Arnae atque Midiae,
Et Niſſae ingentis, veteriſque Anthedonis orae.
Horum quinquaginta ibant in claſſe carinae,
Biſque decem & centum Boeotos quaeque vehebat.
At qui Aſpledona habent, quique Orchomenum Minyeum,
Triginta implebant fluitantes aequore naves.
Hos dux Aſcalaphuſque & frater Jalmenus, ambo
Martia ducebant proles, quos Actore nata
Azida Aſtyoche clam partu virgo crearat.
Sed Schedius Phocenſe & agebat Epiſtrophus agmen
Naubolidae Iphiti ſoboles generoſa parentis.
Hos cives Cypariſſe tui, & de rupe ſequuntur
Pythonis comites, quique altae moenia Criſſae,
Daulida quique tenent, quique arva colunt Panopei,
His ſe Anemoriaeque & Hyampolis agmina jungunt,
Quique habitant ſacri Cephiſſi ad fluminis undas,
Quique propinquo habitant Cephiſſi fonte Lilaeam.

Qua-

Quadraginta omneſque ſecant hi navibus aequor,
Et parent ducibuſque ſuis, & parte ſiniſtra
Bellica Boeotas acies juxta arma capeſſunt.
Ajax ductor erat populi Locrenſis Oilei,
Ille quidem multo minor ac Telamonius Ajax
Lintei & indutus thoracis ſepta gerebat,
Vincebat cunctos haſtae tamen arte Pelaſgos.
Hunc qui Cynon habent, Opoëntaque Calliaronque
Beſſamque & Scarphen, ſimul Augias & amoenas,
Tarphenque Thronionque Boagrii ad alta fluenta,
Atratis ratibus cum quadraginta ſequuntur,
Ultra qui ſacram Locri arva colunt Euboeam.
Sed qui Euboeam habent virtutis robora Abantes,
Chalcidaque, Iretriamque uvis foetamque Iſtiaeam,
Littoreum & Cerinthon, & alti moenia Dii,
Quique Caryſtum habet, & Styra qui tenet incola miles,
Magnanimum regit hos praeclarus ductor Abantum
Chalcodontiades Elephenor Martia proles:
Fronte illum raſa celeres comitantur Abantes.
Arma parati haſtis hoſtilia rumpere longis.
Hique ſuo complent denas quater agmine naves.
Huic Athenarum linquens firma oppida civis
Accedat populus numero praeſtantis Erechthei,
Quem genitum eduxit quondam tellure Minerva
Intra & opima ſuis delubra ſacravit Athenis,
Nunc bubus atque ovibus venerans colit Attica pubes.
Hos Peteo decies imponit quinque Meneſtheus
Progenitus ratibus, quo non praeſtantior alter
Exornare acies & equos ad bella parare,
Excepto Pylo, quod hic eſſet grandior annis.
Ajacem bis ſex puppes Salamine ſequuntur,
Cecropias propter ſtatuuntque ſua agmina turmas.
His ſe Argiva Phalanx Tirynthiſque incola firmae
Addunt, littoreique ſinus Aſinae Hermioneſque
Et qui Troezena, Ejonaſque, & Bacho Epidauri.

Foecundos linquunt colles, veteriſque Pelaſgi
Aeginae cives, Maſetiſque incola, quorum
Formidandus erat ductor bello Diomedes,
Et Sthenelus Capaneo forti genitore creatus,
Euryaluſque Deis ſimilis vir, tertius, ipſis,
Meciſtei ſoboles Talajonidae inclyta regis.
Sed dux omnium erat Diomedes Marte timendus
Octonis decieſque tegebat navibus aequor.
At quos turrigerae mittunt ad bella Mycenae,
Quique Corintho aderant opulenta, altiſque Cleonis,
Orneas qui cultor habet, qui vomere amoenam
Vertit Araethyream. Tum qui Sicyona relinquunt,
Adraſti ſedes fuerat quae regia primum.
Quique tenent Hypereſiam, atque altam Gonoëſſam
Pellenamque colunt, atque Aegion, Aegialumque
Totum, & latam Helicen, hi centum navibus omnes
Advecti, incedunt Agamemnone rege ſuperbi
Atrida, circum quem dat fortiſſima pubis
Copia, quos inter ſplendentibus eminet armis
Imperio Heroum gaudens & culmine regni,
Et numero ſocium, qui tot ſe in bella ſequantur.
Sed qui clivoſae ingentis Lacedaemonis arva,
Qui Pharen Spartamque colunt, Meſſenque palumbis
Foecundam, & Bryſeas, Augeas & amoenas.
Hos, & Amyclarum quos campi, quoſque marinum
Oppidum Helos miſere, Laaſque ac Oetylus augent,
Omnes & regis fratri parent Menelao
Imperio laeti proprio, ſenaſque carinas
Complentes decies. Armis ſpectabilis ipſe
Hortaturque alios, & prompto pectore raptus
Geſtit cum primis ulciſci, Heleneſque dolores.
Quos Pylus hinc, & quos Arene mittit amoena,
Quique Thrium Alphaei linquit vada, & aedibus
Aepy Nobile

Nobile conſpicuis, Cyparisſeentaque miles.
Qui Pteleonque tenent, quique Amphigenian Heloſque,
Et qui Dorion, Aonides ubi tempore priſco
Oblatum Thamyrin ſpoliarunt carmine Thracem.
Oechalia hic veniebat ab Euryto Oechaliejus,
Jactabat ipſas ſe cantu vincere poſſe
Cantantes Muſas natas Jovis altitonantis.
Ergo illae iratae caecum fecere, modoſque
Eripuere admirandos vociſque liraeque.
Sed Neſtor decies, equitum illos fama, novenas
Ingreſſos rapiebat ad aſpera bella, carinas.
Arcadiae hos iubit & Cyllenes accola montis,
Et buſti Aepytii, imperterrita pectora bello,
Qui Pheneonque colunt, quique Orchomenum pecuoſum.
Quique tenent Ripen, Statiamque ac editam Eniſpen,
Et Tegeos, & Mantinees habitator amoenae,
Et veteres Stymphali Parraſiacque coloni.
Praeerat his ſatus Ancaeo princeps Agapenor
Adjectis ſenis decies in puppibus, ima
Quaque viros multos, belli expertoſque vehente.
His dederat firmas trabibus naves Agamemnon
Caerulei ut poſſent pelagi tranſmittere fluctus,
Atrides, remi ignaris artiſque marinae.
At qui Bupraſiumque tenent, quique Elida ſacram,
Quam multa Hyrmine & loca Myrſinus ultima claudit,
Quae rupem Oleniamque jacent & Aleſion intra,
Quatuor hi ducibus parent, denaeque ſequuntur
Quemque rates, denſo complent quas agmine Epei.
Amphimachus ducit primos & Thalpius, ille
Progenitus Cteato, ſatus Euryto hic Actorione.
Hos Amaryncides ſequitur validus Diores,
Poſtremiſque Polyxenus Dis aequiparandus

Augida moderatur Agasthene principe cretus.
At qui Dulichium linquunt & Echinadas altas
Sacratas procul intra undas salis Elida contra,
Hos in bella Meges ducit Mavortis alumnus
Phylides, dilecte Jovi soboles tua Phyleu,
Dulichium tenuisse ferunt quem patris ob iras,
Ingressos denas quater ad vera praelia puppes.
Magnanimos ducit post hos Cephalenas Ulysses
Quique tacent Ithacen, & Neriton arbore densa,
Qui Crocylea colunt, & qui simul Aegilipa aspram.
Quique Zacynthon habent, quique Epirumque Samumque,
Et quos Antiperaea viros in bella cietis.
Hoc dux consiliis Jove non minor agmen Ulysses
Puppe per undisonas bis sena agit aequoris undas.
Gaudebant Andraemonida ductore Thoante
Aetoli, qui Pleuronem, Olenon atque Pylenen,
Chalcida litoreamque tenent, Calidonis & altae
Moenia, magnanimi postquam defecerat Oenei
Progenies, simul ipse, simul flavus Meleager.
Ergo hunc omnium erat regnum penes Aetolorum.
Ducebatque quater decies super aequora naves.
Cretas at Idomeneus hasta metuendus agebat,
Qui Gnossumque tenent, validis Gortinaque muris.
Lyctum Miletumque & candida saxa Lycasti,
Phoestumque ac Rhytium, praeclaras civibus urbes.
Atque alios, habitant qui Cretes oppida centum,
Idomeneus cunctos hasta metuendus agebat,
Et truce Meriones Mavorte haud segnior armis.
Octonasque vocant decies ad proelia puppes.
Hinc Rhodias naves rapit in fera bella novenas
Tlepolemus procero Alcidae corpore proles.
Has intra Rhodii pubes generosa vehuntur,
Trina Rhodi imperio triplici qui regna tuentur,
Lyndum & Jalysium, insignem & candore Camirum.

Hos

Hos dux Tlepolemus belli regit inclytus armis,
Amphitryoniadae Aſtyoche quem pulcra creavit.
Rapta Ephyres fluvio de Selleente, ubi multa
Divinae Alcides vaſtaverat oppida pubis.
Tlepolemus ſed enim poſtquam alta adolevit in aede.
Fratris ſeſe aviae maculavit caede paternae
Martigenae longa confecti aetate Licymnii.
Ergo rates ſtruere exilio, populumque ciere,
Innumerum qui ſe trans aequora lata ſequatur,
Natorumque minis & territus ille nepotum
Herculidum, inque Rhodum paſſus mala plurima venit.
In populos ternoſque ibi diſceſſere, favente
Saturno genito, Divumque hominumque potente;
Qui magnis opibus locupletes reddidit illos.
Nireus at Syma ternas agit aequore puppes,
Nireus Aglaja Charopoque è principe natus.
Nireus ad Trojam quo non formoſior alter
Venerat, excepto Pelidae corpore Achillis.
Imbellem ſed parva manus comitatur euntem.
Sed qui Niſyrumque tenent Crapathumque, Caſumque,
Et Con Eurypili ſedem junctaſque Calydnas:
Horum ductor erat Phidippus & Antiphus, ambo
Theſſalidae, Amphitryomadae magnique nepotes,
Atque hi ter denis ſulcant maria alta carinis.
Mox quae Martia turba Pelaſgicon incolit Argos,
Quique tenent Alon atque Alopen Trechinaque arva
Et Phthiam, & claram mulieribus Hellada formis,
Nomine Myrmidones & Hellenes & Achivi.
Pelides decies quina hos tegit arbore vectos.
Non opus his Martis tamen eſt lacrimabile cordi.
Deerat enim inſtructum bello qui duceret agmen
Abjectus naves intra bellator Achilles
Briſeidos dudum raptae ſibi virginis ira.
Coeperat everſa hanc Lyrneſſo ingente labore

Thebanaeque altis disjectis moenibus arcis
Quando Myneta etiam atque cecidit Epistrophon, ambos
Tela sua gnaros laetalia spargere dextra
Evenoque Selepiada de rege creatos.
Ergo hujus naves intra ille jacebat ob iram,
Mox repetiturus renovati proelia Martis.
Jam quibus aut Phylace patria est aut Pyrrasus herbis
Insignis Cereri lucus sacer, & pecore Iton
Dives, & aequoreis Antron vicinior undis,
Et Ptelei virides conferto gramine campi,
Vivus adhuc fortis fuerat dux Protesilaus,
Sed tunc defunctum vita nigra terra tegebat,
In luctu Phylacae & lacrimis uxore relicta
Defectaque domo, hunc occidit Dardanus hostis
Ante alios cunctos salientem è nave Pelasgos.
Non tamen his rector desiderantibus illum
Defuit, instructas acies moderante Podarce,
Martigena Iphicli sobole quem Phylacus edit
Dives agri & pecoris, Germanus Protesilai
Iste aetate minor, majorque & fortior olim
Heros Protesilaus erat Mavortius, ergo hunc
Respiciens agmen tamen haud rectore carebat
Invectum decies super aequora nave quaterna.
Jam quicunque Pheras juxta Boebeidas undas
Boebenque Glaphyrasque colunt, firmamque Jaolcum.
Undena ad bellum currunt trabe, natus & illos
Admeti regit Eumelus, muliebre decus quem
Alcestis peperit Peliae pulcerrima proles.
At qui Methonam, & qui Thaumaciae incola rura
Quique tenet Meliboean, Olizonisque salebras.
Tota Philocteten septenis navibus ibat
Turba secuta ducem, tela arca spargere doctum,
Quaeque ratis decies binos socioque vehebat,
Omnes & remos trahere, arcum & tendere gnaros.

Atque

Atque illum saevi percussum dentibus hydri
Insula tum celebris desertum Lemnus habebat
A sociis miserum degentem in vulnere tempus.
Sed paulo post tota requisitura Pelasgum
Turba Philocteten erat ad navalia regem,
Interea quamvis desiderantibus illum
Dux ad bella Medon aderat, quem gignit Oileo
Rhene legitimi natum sine foedere lecti.
Hinc qui Triccam habitant quique altae moenia Ithomes,
Cultor & Oechaliae quam rexerat Eurytus urbem,
Eurytus Oechalieus, trabe ter super aequora dena
Incedunt, gemini moderantes agmina ducunt
Laeta Asclepiadae Podalirius atque Machaon,
Ambo salutari praestantes arte medendi
Post hos Ormeniique Hyperiaeque accola fontis,
Tum quibus Asterium & Titani juga candida sedes,
His Euaemonis est soboles clarissima ductor,
Et quater undivago denas agit aequore naves.
Hos super, Argissae Gyrtonesque incola & Orthae
Quique tenent Elonem, urbemque Oloossonis albam,
Audaci parent rectori omnes Polypoetae
Nato Pirithoi, summus quem Juppiter edit,
Inclyta nupta parit quem Pirithoi Hippodamia,
Tempore quo cum semiferis fera proelia gessit
Hos petere Aethicasque & Pelio abire coegit.
Tum satus hoc, una Martisque propago Leonteus
Quadraginta duces rapiunt ad proelia puppes.
Deserit hinc Guneus Cyphon undenasque carinas
Bis complet validis Enianibus atque Peraebis,
Et qui Dodonae sedes posuere nivali,
Pinguia quique colunt pulcrum ad Titaresion arva,
Flumina Penei decurrunt, cujus in undas
Nec nitidis miscentur aquis fluitantque superne
Non secus ac olei latices super innatat unguen.

Nam

Nam Stygis exoritur ſacro de fonte perennis,
Dii cujus jurare timent & fallere numen.
Magnetum at Prothous ductor Tenthredone natus,
Quique tenent ripas Penei & Pelion altum,
Arma quater denis praefigit bellica roſtris.
Hic regum atque ducum numeruſque & nomina Grajum.
Nunc cane Muſa quis fuerit fortiſſimus inter,
Egerit & primos qui ſtrenuitate jugales,
Agminis Atridum totius ſigna ſecuti.
Eximiae bonitatis equos Eumelus agebat,
Eumelus Pheretiades pernice volatu,
Idem illis color atquae aetas & terga rotunda.
Quas in Pieria arcitenens eduxit Apollo
Foemellas ambas, torvas formidine Martis,
Sed virtute viris aliis Telamonius Ajax
Praeſtabat cunctis dum iraſcebatur Achilles,
Ille etenim facile ante alios praeſtantior omnes,
Hujus erant & equi, ſed naves abditus intra
Roſtratas ponti quibus aequora trajiciuntur,
Atrida infeſtus commota hic mente jacebat
Rex Agamemno tibi. At ſocii per littora late
Et diſcos jacere, & jaculo & certare ſagitta.
Ad currus ſed equos carpentes ſtare videres
Gramina quenque ſuum, lotique apiique paluſtris.
Ipſi exarmati regum tentoria currus
Intra conditi erant, qui tum ductoris egentes
Circum tota vagi errabant per caſtra Pelaſgum.
Jamque ibant acies totos ardere putares
Campos. At mugire ſolum, velut altitonante
Cum Jove commoto tellus pulſata tremiſcit
In Arimis, ſaevi luſtrum, ut fert fama, Tiphoei
Sic Danaum tellus reſonat gradiente caterva,
Sub pedibuſque gemit celerantis pergere turbae.
Nuncia cum Teucris curſu Iris praepete venit
Imperio Jovis, & belli lacrimabile triſti

Indi-

Indicium rumore tulit. Tum concio regis
Ante fores Priami, juvenumque ſenumque coacta
Quaerere conſilium, at volucris juxta aſtitit Iris
Ore ſatum referens Priamo & ſermone Politen,
Qui pedibus fretus ſpecula velocibus alta
In cumulo reſidens Aeſyetae ſenioris
Hoſtilem Danaum adventum obſervare ſolebat.
Huic illa aſſimulata ſenem increpat, atque ita fatur.
Ergo tibi aſſiduis totum conſumere tempus
Dulce ſenex verbis, ut quondam in pace, nec ulla
Inſtantis belli tua pectora cura fatigat?
Aſt ego me memini multa inter proelia, multas
Verſarique virum pugnas, ſed copia tanta
Nunque viſa mihi eſt, oppugnatura propinquat
Urbem quanta tuam, arboreis par copia ramis
Vel quae ſparſa jacet vaſtum per littus, arenae.
At tu, namque labor te in primis hic decet, Hector,
Illos multiplices ſocios, diverſa loquentes,
Qui nunc urbe manent Priami belloque tuentur.
Iliacos muros, ducibus parere jubeto
Quoſque ſuis ſignum imperii populare ſecutos.
Dixit, at ille Deae monitus & verba loquentis
Agnoſcens populi coetum dimittit ad arma.
Panduntur portae, cunctuſque exercitus exit
Ingentique ruunt pediteſque equiteſque tumultu.
Eſt locus ante urbem colle arduus, undique campo
Expoſitus, cliviſque extans & liber aperto,
Appellant Batiaeam homines, Di clara ſepulcri
Nomine dixerunt fortis monumenta Myrinnae,
Hic Trojanae acies ſocialiaque agmina bello
Inſtructa armantur. Ducit Priamejus Hector,
Inſignis galea & procero corpore, cives.
Plurima quem ſequitur Troum & fortiſſima turba,
Et dextra elatas haſtas audace coruſcant.
Dardaniae Anchiſae ſoboles praeclara cohorti
Imperat Aencas, quem vallibus aurea quondam

An-

Anchiſae Idaeis genuit Venus, auſa cubile
Mortalis calcare hominis Dea, non tamen ille
Solus agit turmas, geminoſque Antenore natos
Adjungit ſibi, pugnarum bellique peritos
Archilochum atque Acamanta. Quibus ſub monte Zeliae
Ideo accedit poſitae Tros incola, quorum
Forte Lycaonides producit Pandarus agmen,
Praeclarumque humeris fert munus Apollinis arcum.
Hinc & Adreſtiae, & populoſae cultor Apaeſi,
Quique tenent Pityean & alta cacumina montis
Teriae, Adraſtum ſimul Amphiumque ſequuntur.
Quos ad bella Merops genitor Percoſius, ille
Augurii ante omnes gnarus, prodire vetabat.
Sed non audivere ſenis praecepta parentis
Laetiferi rapiebat enim vis aſpera fati.
At quis Percotae patria eſt, quis Praction, & qui
Setton habent & Abydon & amplae moenia Ariſbae,
Hytracides infert horum Aſius agmina pugnae,
Aſius Hyrtacides, & equis portetur Arisba
Proceris, nigris, de flumine Selleente,
Adductis. Legio mox haſtis denſa Pelaſgum.
Pinguia qui findunt Lariſſae vomere rura
Hippothoo parent, bellatorique Pylaeo
Teutamides Lithus, quem gignit uterque Pelasgus.
Threicias Acamas ducit Piruſque cohortes,
Quam multos Helles includunt littora ponti.
At Ciconum Euphemum ſequitur natio inclyta bello
Troezeno Ceada Euphemum de rege creatum.
Poeonas hinc ducit Pyraechmes arcitenentes
Ex Amydone procul, qua latis Axius undis
Labitur, inque vehit pulcerrima flumina terror.
Paphlagonas gaudere Pylaemone rege videres,

Bellica

Bellica gens Venetum nudos ubi nutrit agreſtes,
Quiquae Cytoron habent, & Seſamon, & loca circum
Parthenii complent fluvii cultoribus undas,
Qui Cromnam Aegyalumque tenent, altoſque Erithinos.
Dux Hodius ſed Halizonum eſt & Epiſtrophus, hi ſunt
Cultores Alybes, argenti ubi origo, remotae.
Myſorum Chromis & ductor fuit Ennomus augur,
Sed non augurio potuit depellere fata,
Occubuitque manu Aeacida jugulatus in undis,
Troum infoelices ubi diſpulit ille catervas.
Jam Phorcys Phrygibus, facit & quem dicere poſſes
Aequalem Diis Aſcanius pugnacibus anteit
Longe ex Aſcania accitis. Sed Maeona Meſthles
Inſtruit ad pugnam, & frater ſimul Antiphus, ambo
Gygaeaque palude & patre Pylaemone nati,
Moeoniae hos ſequitur Tmolo de monte juventus.
Hinc Caras Naſtes armat dux barbarilingues,
Qui Mileton habent, ſilveſtria qui juga Phthiron,
Qui fluxus Maeandre tuos, quos ardua cives
Educit Mycale, Naſtes agit Amphimachuſque.
Naſteſque Amphimachuſque Nomionis inclyta proles
Auro qui Conitus bellum ceu virgo ſubibat.
Sed ſtulto contra mortem nil profuit aurum,
Quo dextra in fluvio caeſum ſpoliavit Achillis.
Sarpedon Lycium & Glaucus ſimul exhibet agmen
Longinqua è Lycia, Xanthi à ſinuantibus undis.

IN SECUNDUM LIBRUM ILIADOS HOMERI

PROEMIUM.

SAEPE de hoc loco quasi praeconia feci optimarum literarum atque studiorum humanitatis, & facienda iterum atque iterum mihi esse intelligo. Ut enim his moribus, & in nostra gente verissimum esse comperimus, quod dicitur, non requiri ad venundandum bonum vinum signum, quod investigari hoc & ultro appeti soleat: Ita plerisque bonis rebus totisque tabernis virtutis, & proclamatione & indicatione & singuli etiam atque exquisita invitatione opus videmus esse. Hic error est unus de gravissimis & deterrimis saeculi nostri. Tanta & tam obstinata neglectio optimarum artium atque disciplinarum, ea virtutis desertio & ejusmodi fastidium occupavit animos hominum, ut quidvis potius agere ac meditari quam salutaribus, & divinis praeceptis sapientiae & honestatis culturae, addicere curam & studium suum, & mentem intendere velint. In quo hoc est inprimis mirum & miserabile, vix adhuc enatam rectitudinem atque veritatem, cum jam primum animi & sententias dignas ac convenientes cum sua coelesti origine concipere, & actiones laudabiles edere incoepissent. Tum igitur & illas impulsas atque debilitatas, & hos de splendidissimis exordiis tam turpiter delapsos fuisse. Recordari enim possumus quae fuerit patrum nostrorum aetate disciplinarum atque artium tractatio, quam nullae aut certe exiles literae & eruditio, quam doctrina obscura atque aspera. Haec nos corrigi, mutari, & laetissima quasi germina sapientiae existere, & philosophiae ramos latissime spargi vidimus. Quanta tum alacritate & aviditate ab illis prioribus tanquam inamoenis quibusdam & tetris ac obso-

obſoletis ſedibus ad hunc nitorem & pulchritudinem atque puritatem ſtudiorum decurrebatur. Quae omnium expectatio, quae cupiditas horum, à quibus tanquam barbariae graviſſimo regno liberarentur. Quae occurſatio, appetitio, quae ſignificationes voluntatis atque promptitudinis conſpiciebantur? Hic ardor atque vehementia quam non diu duravit, quam celeriter refrixit atque evanuit? Pudet me profecto noſtrae vanitatis, vel miſeret etiam infoelicitatis. Cito enim reperti fuere de praecipuis & maximis amatoribus rectiorum ſtudiorum, qui non ſolum ab his deficerent, ſed etiam ad hoſtes illorum & barbariam tranſirent. Qui omnem elegantiam bonitatemque tam intelligendi quam eloquendi contrariam & inutilem judicarent, atque haec contemnere & deridere non dubitarent, quaſi aſſentantes ſuis partibus, alienis ab illorum ſpecie atque ſplendore. Sed ſit hoc non inanitatis neque levitatis noſtrae, ac potius miſeriae & calamitatis temporum noſtrorum, quibus haec ſtudia omni honore deſtituta, omni ſpoliata decore, nuda à favore hominum, privata praemiis in ſumma inopia vagantur atque oberrant. Quae jam vox dolori ſufficere, quae lachrymae moerorem reſtinguere, quae indignitati quaerimoniae ſatis eſſe poterunt. Quid tamen dicemus eſſe, ſtultitiamne an infoelicitatem an utrumque? ab iis etiam in hac parte vulgarem amentiam confirmari atque augeri, qui partim ipſi opinione eruditionis & doctrinae ornati magnam dignitatem conſecuti fuere, partim hanc eandem ſperant atque ambiunt. Quod enim hominum genus eſt philoſophiae infeſtius, quam illi qui aut hujus tenuitate ac ſimplicitate ſpreta, magnificentiam iſtam opum & gloriae concupiverunt, aut qui de hac tantummodo quaſi fructus quoſdam ad ſimilem famem explendam decerpere nituntur? Cum ergo hoc tantum donum benignitatis divinae, quo nihil majus neque melius terris datum, undique ita graviter affligatur & tam periculoſe laboret, ſua imbecillitate, hominum ſtultitia, pravitate, malitia, temporum injuria, ut ſupera & infera in hujus perniciem atque excidium conſentire ac conſpiraſſe videantur, quid nos agimus ſcilicet? aut quae eſſe ſpes poteſt defendendi hujus adverſus tot & tam validos oppugna-

tores? Ego quidem, ut verum fatear, non bonam illam neque firmam habeo. Vincitur enim atque opprimitur augescentibus indies difficultatibus. Veruntamen in hoc conatu quasique propugnatione philosophiae non aliter quam in honestissimo proposito tuendae patriae, ad extremum, & in ultima quoque desperatione perseverandum nobis statuimus, ut prius occumbere & cadere decretum sit, quam cedere loco & ignavia ac formidine atque etiam vi hostili pulsos fugatosque arma animumque abjicere, & qualicunque auxilio illam inter homines divinitatem destituere. Quid enim est in terris divinius philosophia, aut quid omnium aliarum rerum tantam vim habet ut divinitatis nomen atque appellationem mereatur? Haec omnia, quae ad vitam bene ac laudabiliter & beate degendam dispositа atque apta sunt, ea ipsa introduxit & perfecit. Haec ad officia mutua & actionum honestatem genus humanum excitavit & instruxit. Haec hominum inter se voluntates comitate quadam ac mansuetudine temperavit. Cumque in vita communi multa contraria atque ingrata accidere soleant, salutarem haec proposuit distinctionem rerum adversarum, ostenditque alias sibi stultitia & dementia homines imperitos arcessere, alias immitti inevitabili interdum casu ut quasi fatales esse videantur. Harum alteras docuit cavendas & declinandas, alteras aequo patientique animo ferendas esse. Eadem & naturae adita ingressa caussas in hac rerum universitate abditas protulit, & cum originem illarum, tum progressiones, tum vero & constitutionem atque velut munia quaedam demonstravit, & tandem ad quem finem quidque factum, creatum, destinatum esset edisseruit. Illa erexit oculorum mentiumque humanarum aciem in coelum, & deduxit non ad fortuitam, quam cum bestiis communem haberent, sed incredibili voluptate intelligentiae praeditam contemplationem ineffabilis pulchritudinis, ordinis, constantiae, consensionis in quadam admirabili varietate & quasi discursu. Quid ego nunc dicam de eloquentia, quam nemo unquam repertus est tam alienus à doctrina & eruditione quin concupiscceret, & illa praestantibus tantum bonum invideret. Id enim est ejusmodi ut hoc solo excellens natura hominum, qua reliquas

ipsi

ipſi animantes ſuperant, atque infra ſe poſitas tanquam de coeleſti faſtigio deſpiciunt, declaretur, & ad cognoſcendum mriifica ſpecie venuſtatis producatur: ut is qui hoc conſecutus ſit, omnibus aliis rebus illas facile vincere atque anteire poſſit. Cum etiam omnium, quae in vita geruntur atque fiunt magna ſit confuſio & fortunae ſumma incertitudo, ut ſaepe numero prudentes admodum fallantur ſpe ſua & immerito affligantur, contra vero ſtolidi, & voti compotes fiant, & ſucceſſibus augeantur, eloquentia inprimis illa diſtinguit atque ſeparat, quam ut omnia contingant alia, adipiſci non poſſunt fatui atque vecordes, cum ſit opus & effectio animi ſapientis & intelligentia atque peritia rerum atque, ut dícam, ſemel virtutis copia inſtructi & referti. Neque me fugit quam non ſolum haec pars, ſed tota philoſophia multos habeat reprehenſores ac vituperatores, qui non uno quidem illi nomine infamiam huic imponere conentur, ſed ad eundém tamen exitum calumniarum tendere & hanc conſentiente ſtudio criminari ſoleant. Quibus reſpondimus ſaepe alias, at feciſſe tamen hoc & poſtmodo facturi fruſtra videmur. Quid enim efficias veritate rationum apud eos, qui excaecati ſtultitia, & erroribus impliciti, neque quid verum ſit vident, neque quid cum ratione dicatur attendunt? Quid autem poſſit oratio apud illos tales & tam vehementes vel hoſtes vel contemptores ſui? Quin ſtatim obſtrepere audias atque dicentibus reclamare, neque pati illos loqui, neque ipſos velle cognoſcere. Negant horum ſtudiorum ullum eſſe uſum, negant dignitatem habere. Non tam ad virtutem ajunt quam ocii inertiam comparata eſſe. Gravis & criminoſa accuſatio, cujus reſponſionem difficilem, non profecto rei vitium, ſed temporum atque hominum injuria reddit. Si tamen iniquum putatur hominum culpas & peccata in ea transferre, quibus plerique abutantur, multo fuerit certe injuſtius alienae deſipientiae ac improbitatis poenam dare, & externam quandam ignominiam ſufferre. Nemo formam ideo abominandam putat, quod hac ad ſuae pudicitiae & domeſticae famae contaminationem quaſdam abuti comperiamus. Nemo integras vires, neque fortitudinem idcirco damnat quod & multi valentes imbecilliores pul-

sare & fortes ignavos obtruncare consueverint. Illi enim reprehendendi, qui ea, quae subministrat natura ad vitae jucunditatem & commoda, convertunt vel ad suum vel etiam aliorum malum atque perniciem: Non innocentes res culpandae sunt, quas aliqui perverse usurpent. Quod si quis jam etiam formam ingens malum esse perhibeat, quod ob formosae Helenae raptum tot heroes mortem ad Trojam oppetierint, cum vim illi Paris attulisset. Aut ob Orphei lachrimabilem interitum Musicam abominetur, aut ipsam virtutem denique vitandam fugiendamque esse censeat, quae tot tristissimos casus Herculi obtulerit, quos nisi incredibili vi mentis & infracto animo atque corpore nequaquam sustinere potuisset, hunc, quid enim nisi furere credemus, dimittamus, neque committere velimus ut cum insano turpitur rixemus. Ac veteribus quidem & priscis temporibus, cum sapientiae atque eloquentiae professio & quoddam quasi artificium floreret in Graecia, nec non apud barbaros quoque laudem admirationemque inveniret, alio nomine ab invidis haec studia contumeliam & convicium sustinuerunt, quae diluit alicubi copiose & splendide Isocrates. Tum enim professorum avaritia & cupiditas male audiit, qui non virtuti sed lucro operam darent. Quod quidem optarim, aliis salvis, hoc etiam tempore exprobrari & vere objici posse. Ut enim premeret hoc aliquos, qui optima & pulcherrima re perperam utentes magis se quam illam laederent, utque in his philosophiae dignitas forte periclitaretur? Ita quasi caput hujus in tuto esset, neque vita atque salus in discrimen vocaretur. Nunc ea est clades atque afflictio doctrinae ac sapientiae, ut cum non modo qui discant ultro oratione arcessere, cohortationibus excitare atque inflammare, monitionibus instruere & confirmare soleamus, sed cum etiam gratuitam libenter operam, cum nonnulli nostrum facultates ipsi proprias impendant, quod haud scio an unquam factum fuisse reperiatur, professioni suae, tamen deserta destituraque à cultoribus philosophia sine respectu, nuda & egens, solitudines frequentat atque tenet. Neque obest huic illum non dico peccatum, sed ne crimen quidem ullum. Nihil fecit ipsa, nihil commeruit mali. Verum fac-

ſaeculi flagitia & labes, hominum malignitas, veſania, rabies, nocent, ea hanc exagitant atque profligant. Cum nihil ſit in precio niſi audacia in facinoribus, calliditas & verſutia in conſiliis, in ſententiis levitas, divitiae & opes in conditionibus, in moribus ſuperbia, luxus, faſtidium. Haec regnum jam obtinuere, pulſa temperantia, ejecta bonitate, fugata conſtantia, ſublata aequalitate, victa, fuſa, proſtrataque comitate, frugalitate, continentia, modeſtia. Quam longe obſecro haec vita humana ab humanitate ipſa abeſt? In qua pulchritudo & decus virtutis continetur. Quid igitur intereſt inter haec hominum & ferarum ſaecula? Quin hae illis ſuperiores eſſe multis quidem modis videntur. Major in feris celeritas, majus robur, vafricies ſingularis, plurima denique in illis potiora, quae ſi enumerare velim pereſſe copioſus poſſim. Quae omnia non ſolum compenſari ſapientia & virtute, quae eſt hominis excellentia, & in dicendo faciendoque conſpicitur, atque eminet, ſed etiam obſcurari poterant & debebant, cum vero haec abſit & deſideretur, quid utilitatis habet diſſipatos & ritu beſtiarum vagos homines congregatos, & in urbibus collectos & civitatibus conjunctos fuiſſe? Si quae hoc perfeciſſe ſapientia atque eloquentia, beſtiarumque victum & cultum emendaviſſe creditur, nunc exulat toto propemodum orbe terrarum, ſique mortales in ſuis coetibus alieni ab utraque non minus quam ſi eſſent diſſipatiſſimi, ſive aequo & bono, ſive virtute & decore, indiſertam & dementem vitam degunt, convulſis recti pravique terminis, omni bene laudabiliterque vivendi ratione perturbata. Si neque virtuti praemia vel emolumentorum vel gloriae propoſita ſunt, neque vitiis ulla juſta animadverſionis formido impendet. Si neque rudes diſciplina perpoliuntur, neque imperiti doctrina excoluntur, neque prudenter cogitata neque eleganter enunciata probantur ac magni fiunt. Eſt autem veriſſimum id quod Iſocrates egregie ſcriptum reliquit: Non eſſe aliud ſignum certius ſapientiae quam diſertam orationem, ut qui bene dicant eos intelligentia valere neceſſe ſit. Quod habeatur oratio conſtans & cum virtute ac legibus conſentiens pro ſimulachro animi & integritate atque fide gravitateque praeditii.

diti. Quapropter vix ulla alia deformitas & turpitudo aetatis noſtrae major eſt & deteſtabilior, quam haec ignorationis & contemptus optimarum artium atque diſciplinarum & ſtudiorum humanitatis, à quibus non ſolum elegantia & copia orationis ſuppeditari, neque vis contentionum, neque illuſtratio & explicatio dubiorum, ſed conformari etiam mens ad veritatem & animus ſententiarum pondere quaſi ſtabiliri. Ideoque iis rationibus, quibus ad aliis fidem faciendam & in perſuadendo utimur, eiſdem ipſis & in conſultationibus & deliberationibus omni denique cogitatione aſſentimur & acquieſcimus. Neque videtur re ipſa intereſſe quicquam inter eos, qui cum animo ſuo de faciendis & fugiendis, de vero & recto, de honeſto, utili, conceſſis, de jure & aequo, deque his contrariis quaerunt, tum reperta & conſtiruta aliis reſpondent, & eos, qui cauſſas orant & negocia dicendo explicant. Eadem enim quaſi materia eſt, utriſque propoſita deciſionum, & expediendi judicii, dubitationum excluſionis, & eorum omnium, de quibus ambigere & veluti titubare animi ſolent, tollendorum atque removendorum, nominibus quaſique apparatu quaedam eſſe diverſitas videtur. Nam verboſi hi locutores & argumentatores, qui multitudinem non abhorrent, qui fora & ſtrepitus judiciorum non refugiunt, qui fremitum concionum non reformidant, ii oratores appellantur. Qui vero ſapienter ipſi ſecum quamcunque rem conſiderant, prudenter & diſerte reſpondent, atque interpretantur, ii in negociis civilibus conſulti, in literis & doctrina proprie philoſophi vocantur, quodam generis nomine, quo omnia comprehenditur, quae cum ratione, modo, laude, rectitudine fiunt atque dicuntur. Unde nihil poteſt abeſſe quod ſcientiae, eruditionis, ſapientiae ac humanitatis famam tueatur & cuſtodiat. Haec omnia cum philoſophia complectatur & tradituram ſe ſtudioſis ſui promittat, quod deterius aut magis nefarium ſcelus fuerit, quam illam vituperare vel etiam convitiis atque maledictis inceſſere? Aut hujus inſectatores & adverſarii leviuſne ac tolerabilius delinquere, aut minus execrabiles videntur quam ii, qui nefario ſacrilegii ſcelere ſe alligant, & Deorum templa compilant, aut violant? Hi enim pietatem,

exi-

eximiam quidem illam & maximam virtutem, ſed unam convellunt. At illi omnium virtutum fontem & ſummam demoliuntur. Hi graviſſima merentur ſupplicia ob profanatos honores quoſdam inſtitutos & habitos numini. Quid illi? qui ipſam etiam divinitatem in terris polluunt faſtu ac temeritate ſua. Quantus igitur ſe contra hos dicendi campus aperiat, quam juſtae & ſpecioſae cauſae ſuppeditent, videtis: Nos tamen in illorum non accuſatione potius quam philoſophiae defenſione occupari oportere unquam putavimus. Quod autem in iſtas peſtes rerum divinarum atque humanarum diximus aliquid durius, hoc magnitudo ſceleris & ſumma indignitatis exterſit. Neque vero tam invecti in hos, quam protegere & defendere philoſophiam ſtuduiſſe putari debemus. Vobis etiam quaſi ob oculos iſte horror tanti ſceleris ponendus fuit, ut & haec ſtudia majori cupiditate appeteretis, & ab illis retortos & averſos vehementius & pejus odiſſe, & longius refugere atque declinare velletis. De his etiam rebus ſi forte vel hodierna, vel unquam alias habita oratione modum exceſſiſſe videamur, venia dari debebit, & incenſo animo mirifico amore ſtudiorum iſtorum meo, & curae atque ſolicitudini eximiae de patria, quam in tanta ſpe & facultate maximorum bonorum ac planae foelicitatis ipſius & vitae beatae, perturbari atque impediri cum ſtultitia, tum etiam malitia, moleſtiſſime ferrem. Quae vero & à nobis toties vobis ſtudia philoſophiae commendantur, & de quibus aliorum magnifica legitis encomia, ad horum nunc quaſi perennem fontem iterum vos adducimus, unde omnis eruditio atque doctrina ac ſapientia irrigata illos multiplices & ſuavitate atque magnitudine praeſtantes fructus artium & literarum edidit & procreavit. Quod ſi Athenienſium civitati glorioſiſſimum fuit, fruges à Cerere, ut fertur, ipſis demonſtratas & tributas, reliquis gentibus & nationibus diviſiſſe, non minus claritatis & ſplendoris merito conciliaverit huic auctori, illorum, quae ex ipſo manaſſe & ad omnes alios profluxiſſe bona commemoravimus, quaſi in omnes terras & univerſa loca derivatio & diſperſio. Neque me fugit haec ipſa quoſdam credere & dicere fabuloſa & veterum figmenta eſſe, & haec omnia

magis in Homerica ſcripta inculcari, quam inde colligi ſolere. Quorum, ut opinor, ſatis ſuperque refellimus falſiſſimam opinionem, cum proxime plurimorum quaſi fluminum ſapientiae ortus in Homero indicaremus atque demonſtraremus. Quod autem hanc perſuaſionem ab antiquitate acceptam libenter tenemus & ſancte conſervamus, magis veritatem aſſerit quam refutat. Cum enim hoc à plurimis affirmetur, & diuturna praedicatione percrebuerit, ut non novum jam, certum & indubitatum videri haberique debet, praeſertim cum non aliqui tradiderint alios quoſdam de Homericis ſcriptis profeciſſe & ſcientia auctos eſſe, ſibi vero lectionem illius nihil profuiſſe, ſed potius omnes uno ore ſibi illum ad ſapientiam & doctrinam fuiſſe magiſtrum confiteantur, quoque eſt quiſque vir melior, eo honeſtiora & frequentiora teſtimonia beneficii hujus, eruditionis & literarum, illi auctori tanquam Deo ipſi primitias quaſdam alimoniae & nutrimenti diſciplinarum atque artium, rependit & conſecrat. Ex hoc illud eſt natum, ut Graeci quemcunque laudare magnifice & in ſuo genere eſſe principem ſignificare vellent, eum igitur ut Homerum nominarent, quo modo Cicero (*Tuſc.* 1.) ſcribit à Panaetio Platonem appellari. Anaxagoras autem (*Diog. Laert. in vita Anaxag.*) ſummus philoſophus, quem & Periclem & Socratem & Euripidem audiviſſe ſcimus, primus exiſtimatur paulo quam priores ſcripta Homeri lectitaſſe deligentius & praecepta illorum de virture atque juſtitia ſtudio maximo collegiſſe & expoſuiſſe. Hunc ſecutus Metrodorus Lampſacenus neceſſarius & familiaris illius ea potiſſimum notavit, quae ad naturae rerum & cauſarum cognitionem viderentur pertinere. Quantum autem communis conſenſus eruditiſſimae nationis Graecorum huic tribuerit, etiam hinc liquet, quod cum ut à teneris annis & prima aetate optimis praeceptis vitae atque morum juventus imbueretur & educaretur ad eruditionem doctrinae, ſingulari cura anniterentur, inſtituerunt ut pueri legerent Homeri poëmata & ediſcerent, nullam rati educationis meliorem neque utiliorem rationem iniri, quam ſi tantus auctor quamvis imbecilli aetati familiaris fieret, neque alia magis idonea fundamenta ad ſummam perfectio-

fectionem jaci posse, quam in quibus non solùm tota atque integra virtus & sapientia contineretur, sed partes etiam illarum singillatim & quodammodo distinctae inessent. Democritus etiam clarissimus philosophus suorum scriptorum praedicatione Homeri poëmata ornavit, & de carminis bonitate & varietate orationis libros composuit. Huic tamen tanto & humanam conditionem praetergresso auctori, aemulos atque obtrectatores non defuisse, antea diximus. Nam & Xenophanes quidam Colophonius, & postea Zoilus atque Daphida Grammatici hunc arrodere non dubitarunt. Vivum autem fertur odio suo & infectationibus excercuisse nescio quis Sagaris nomine, nihil enim amplius de hoc traditum invenimus. Cum autem memorentur alia multa poëmata, quorum auctor Homerus fuerit, duo opera Iliados & Odysseae, & illum, de quo disserui, omnis doctrinae eruditionisque quasi orbem conficere, & sola sine dubitatione ab Homero elaborata creduntur. Nam ut alia taceam partim minuta, partim grandiora scripta, quae ad hunc auctorem referuntur, quoddam cui nomen Oechalia, esset, compositum à Creophylo Samio, cujus & Plato meminit, amico & hospite Homeri, propter bonitatem Homeri visum atque habitum traditur. Quod & quodam epigrammate significatur, quo poëma introducitur veluti deplorans hanc injuriam alienationis, tali sensu.

Sum Samii labor, illius quondam hospes Homeri
Qui fuit, & casus Euryte ploro tuos,
Flavam Jolemque simul. Sed Homeri dicimur esse
Scripta, Creophyli quae Jove teste sumus.

Sed de his verba facere in praesentia non decrevimus. Quod autem Plato videtur & ipse minus praeclare sentire, & loqui inclementius de Homero, quale esse existimandum, & de reprehensione illa tota sententiam atque judicium statueramus nunc etiam proferre, & interponere quasi honorariam cognitionem nostram, hoc enim concedi nobis recte posse arbitrabar, utriusque studiosissimo & maximo amatori, sed intelligo me prolixiorem quam fortasse oportuerit fuisse, neque etiam hanc disputationem & veluti scholam, quae breviter absolvi non

queat,

queat, attexendam insuper esse, quam tamen alio magis idoneo tempore, si videbitur, explicare vobis non gravabimur. Nunc igitur ad propositum opus & laborem explicationis secundi libri Iliados accedamus, quae inscribitur ῥαψῳδία. β'. Deque hoc nomine diximus antea quoque. Atque haud scio an idem, qui postea ῥαψωδοὶ, prius Ὁμηρίδαι dicti fuerint. Quamvis non lateat me distinxisse haec nomina plaerosque; qui tradididerint Ὁμηρίδας fuisse posteritatem Homericam, qui solerent generis sui poësin publice recitare atque concinere. His deficientibus successisse alios non magis Homericum genus, sed similes artifices carminum illius, à quibus multis in locis haec corrupta & depravata, multos etiam versus passim insertos quasique suppositos esse commemoratur. Primas autem in hac professione & opere tenuisse ferunt Cynaethi Chii sodalitium, & eundem auctorem esse hymni in Apollinem, qui sub Homeri nomine legitur, eumque primum Syracusis decantasse eas, quae Rhopsodiæ vocatae sint, vel quia tenerent in manu virgulam cantores illi, vel quia diversas partes poëseos Homericæ concinnarent, ut argumentum serie quadam contexeretur, vel quia versus, qui sunt στίχοι olim ῥαβδοὶ dicerentur. Sunt etiam qui tradant hos primum ἀρνωδοὺς appellatos, quod victori in hoc Musices certamine praemium dari soleret agnus. Cum autem postea dispersum prius & dissipatum utrumque opus collectum & compositum esset, tum de consentiente & apta cantilena ῥαψῴδους vocatos, qui versus connecterent & convenientem in jungendis illis ordinem servarent. Sed de his satis vel potius nimium, neque enim tales narrationes vel utilitatem vel incunditatem aliquam praecipuam habere possunt.

ARGU-

ARGUMENTUM SECUNDI LIBRI

ILIADOS HOMERI.

JUPITER noctu, ita ut fit, volvens animo suo quae superiore die petiisset Thetis à se, & quid ipse illi promisisset, cum ante oculos sibi versaretur Achilles, hoc consilium coepit. Somnum jubet suis verbis hortari Agamemnonem ut universos Graecos armare velit. Adesse enim tempus Trojae expugnandae. Ille veritus ut multitudo ab se alienior imperata libenter fecerit, de principum sententia tentaturus animos militum pro concione, suadet ut in patriam una secum revertantur, omissa Trojae obsidione, in qua tam longum tempus frustra consumsissent. Quare non intellecta perfacile ad id quod maxime cupiebant Imperatoris oratione adducuntur. Itaque passim totis castris reditus apparatur. Totque annis frustra laboratum esset, nisi Ulysses subjiciente Minerva, Agamemnone reliquisque dubitantibus, ipse ad sedandum motum & retinendum exercitum Imperatoris munus obiisset. Quibus praeclarissimis conatibus obstrepentem Thersitem sic accepit, ut hoc exemplo reliqui ad imperia ducum capessenda instruerentur, cum maxima admiratione Ulyssis. Haec sequitur luculenta oratio, qua ille Graecis suadet ut durare in bello, neque prius desistere velint ab oppugnandis Trojanis, quam Ilium coeperint, in quam sententiam & Nestor quaedam gravissime locutus, Agamemnoni utilem ordinandi exercitus rationem demonstrat. Tum ille re divina facta vocatisque Graeciae principibus copias instruit. Quae deinceps ordine recensentur, exponiturque navium numerus, quibus advecti essent Graeci. Postremo & Trojanorum duces atque auxilia commemorantur.

Somnia

Somnia Beta refert, populi coetumque rateſque.

EXponemus enim verſibus Homericos verſus, non ſpe laudis alicujus in hoc genere, ſed ut noſtra ſtudia excitemus exemplo noſtro. Ut autem interpretis munere, quod ſuſcepimus, diligenter fungamur, non longe à verbis diſcedemus, ac illis potius, quantum quidem latinae linguae nobis comperta proprietas ſinet, inhaerebimus.

1. Ἄλλοι μέν ῥα Θεοὶ.) Ex hoc illud Virg. Aen. IX. 224.

Caetera per terras omnes animalia ſomno,
Laxabant curas & corda oblita laborum,
Ductores Teucrum primi & delecta juventus,
Conſilium ſummis regni de rebus habebant.

Et fortaſſe hoc quoque Aen. VIII. 26.

Nox erat & terras animalia feſſa per omnes
Alituum pecudumque genus ſopor altus habebat.
Cum pater in ripa, gelidique ſub aetheris axe
Aeneas triſti turbatus pectora bello
Procubuit &c.

Ἱπποκορυσταὶ.) De copiis equeſtribus συνεκδοχικῶς & pedites intelligendi. Facit autem mentionem militum potiſſimum, quia de bello hiſtoria texitur, cum noctu etiam in pace dormiri ſoleat. Sed ἱπποκορυσταὶ ſunt, equorum agitatores, ſive equeſtria praelia facientes. Κορύσσεσθαι enim armari vel incitari ſignificat, ut ιλ δ'. 442. Ἦτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται & ιλ. π'. 130. Πάτροκλος δὲ κορύσσετο νώροπι χαλκῷ & mox. πόλεμόν τε κορύσσων. Placuit quibuſdam ſignificari hac voce & jubas equinas, quibus galeae bellatorum exornari quondam ſolerent.

2. Νήδυμος ὕπνος.) Unde non cito expergiſci aliquis poſſit. Νῆ enim negat, ut νηποινεὶ *impune*, νηριθμοὶ *innumeri*. Sed ex hoc ſolvitur quaeſtio, cum nunc dicat non potuiſſe ſomnum capere Jovem, quare in primo obdormuiſſe dixerit? Non enim pernoctare in quiete potuiſſe ait, ut Virgilius Aen. X. 217. *Neque enim dat cura quietem.*

3. Μερμήριζε.) Quaeſivit cum animo ſuo, aut variis in cogitationibus agitabatur ut οδ. δ. 791.

Ὅσσα

Ὅσσα δὲ μερμήριξε λέων ἀνδρῶν ἐν ὁμίλῳ
Δείσας, ὁππότε μιν δόλιον περὶ κύκλον ἄγωσι.

5. Ἦδε δέ οἱ) *Haec alternanti potior ſententia eſt.* Nam & cum ſuperiores verſus fecit, ad verbum μερμηρίζειν Homericum reſpexiſſe Maro videri poſſit, hos inquam:

Atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias perque omnia verſat.

Aen. IV. 285.

6. Πέμψαι ἐπ' Ἀτρείδῃ.) Sicut Il. ε. 327. Νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῇσιν ἐλαυνέμεν, *ad naves*, vel eſt ἀναστροφή, ut ſic ordinari poſſit, ἐπιπέμψαι τῷ Ἀτρείδῃ, id eſt, *immittere Agamemnoni.*

Οὖλον ὄνειρον.) ὄνειρον interpretati ſumus ſomnum. Intelligitur autem Deus quidam auctor viſorum, quae per quietem & ſoporem, hoc eſt dormientibus offerri ſolent, quae ſomnia dicuntur, ut apud Ovidium quoque in ſomni illa regia collocantur. Conſuevere autem Graeci poëtae iis, quae uſu venire in natura rerum aut accidere hominibus cernuntur, ut ſunt quas ποιότητας & πάθη vocant, corpora quaſi quaedam per εἰδωλοποιΐαν affingere: & exprimere notiones noſtras ſimilitudine quadam formae. Ut fama eſt apud Maronem efficta, & apud Homerum, ἔρις itemque ἄται & λιταί. Ita faciunt de iis, quae accidere aliis rebus ſolent ipſi naturas ſeu οὐσίας, ut hoc loco Deus quidam ὄνειρος introducitur. Quare autem οὖλον hunc vocat? Grammatici volunt nocentem accipi nunc oportere, qui miſſus eſſet ad decipiendum Agamemnonem, cujus error exitialis fuerit Graecis, cum vox molle etiam & placidum notet. Sed eadem & implicationis & cincinnationis habet ſignificationem, unde & crines οὖλοι & panis οὖλος, & manipuli οὖλοι nominantur. Atque haec congruere appellatio videtur ſomniorum Deo, qui θαυματοποιός ſit. Neque enim ſomniis quicquam magis intricatum aut, ut ita loquar, magis criſpum eſſe poſſit. Atque haud ſcio an non ſit οὐλὴ cicatrix à ſanitate, ſed potius à corrugatione cutis. Quin etiam οὖλος ἀστὴρ Il. λ. 62. non tam ὀλέθριος, quam cincinnatus intelligi videtur poſſe, ut hac ſignificatione crinitam ſtellam, id eſt, Cometen notari accipiamus. Sed de hoc ſtatuet quiſque, quod voluerit.

8. Βάσκ'

8. Βάσκ' ἴθι.) Repetitio est proprietatis linguae, ut *nunc jam*, & *eja age*. Hoc loco quaeritur cur non fiat, quod somnus divinitus immissus nunciaverit. Ac alii aliter Jovem à mendacio liberant, quod ut opinor non admodum necesse fuerit, cum & hoc sit referendum ad illas multiplices species σοφισμάτων, quibus mortales, Θεοὶ σφάλλουσι κρείττονες πεφυκότες, ut Euripides scripsit. Sed ita aliqui hunc excusant, quod jusserit educi exercitum ad Trojam oppugnandam πανσυδίη, hoc est universum, Agamemnonem hoc non animadverso, cum reliquisset, praestantem virtute Achillem, & socios illius Myrmidonas, nequaquam contemnendam copiarum partem, non paruisse monitis Jovis. Quid autem est quod dicit, consensisse in excidium Trojae omnes Deos precibus motos Junonis, quod sequens historia manifeste refellit. Hoc igitur satis liquide & plane falsum & fictum est. Aristoteles in libro de fallacibus conclusionibus, id est, ἐλέγχων σοφιςικῶν, ubi de accentuum ambiguitate loquitur duo Homerica exempla adducit, quorum unum est ιλ. ψ. 328. Alterum adducit de somnio Agamemnonis, quod Jupiter dixerit, †. διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἑλέσθαι. Sic enim scribere, qui Jovi quasi patrocinentur, non δίδομεν, ut Jupiter victoriam jubeat Somnum conferre Agememnoni, & sit διδόμεν pro διδόμεναι, & hoc rursum pro διδόναι, in significatione imperativi. Si enim esset δίδομεν, diceret se addicere illi victoriam, quae cum non sequuta fuerit, mentiretur. Sed hoc hemistichium nusquam in Homeri legitur libris, iis quidem quos habemus, ut alio exemplo Aristotelem usum esse appareat, nisi memoria lapsus fuit, ut quibusdam videtur in mentione Calypsus libro secundo Ἠθικῶν Νικομαχείων, & tertio τῶν μετὰ τὰ Φυσικὰ, ubi fecerit apud Homerum Hectorem κεῖσθ' ἀλλοφρονέοντα, cum non legatur ἀλλοφρονέων sed ὀλιγηπελέων. ιλ. ό. *.

13. Ἀμφὶς Ὀλύμπια) Ἀμφὶς φράζονται, id est *dissentiunt*, ut

†. Male hic scribitur ἑλέσθαι, apud Aristotelem reperies ἀρέσθαι, neque is memoria lapsus est. Locus enim legitur Iliad. φ. 297.

*. Frustra quaeres hoc hemistichium apud Aristotelem iis libris, qui citantur; sed forte is scripserit, vel in animo habuerit locum ex ιλ. ψ. v. 698. ubi est κὰδ δ' ἀλλοφρονέοντα.

ut οδ. ά. 54. de columnis Atlantis αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι. Mox ἀμβρόσιος ὕπνος, *dulcis ſopor*. Nam Deorum cibum ſuaviſſimum & fragrantiſſimum Ambroſiam dicit eſſe Homerus. Et oleum ἀμβρόσιον appellavit ſuaviſſimi odoris ιλ ξ'. 172.

23. Εὕδεις Ἀτρέος.) Eleganti uſus eſt proaemiolo, in quo eſt memorabilis ſententia, quae principes hortatur ad vigilantiam, & curam ſubditorum. Ita & attentum breviter reddit Agamemnonem, cum officium ipſi ſuum in memoriam revocat, & auctoritatem nuncii conſtituit, qui à Jove ſe miſſum diceret. Καρηκομόωντας *capillatos* priſco more Graeciae. Εὐρυάγυιαν, latis viis ſeu regionibus urbem, & de hoc magnam dicit.

34. Μελίφρων.) *Mellitus* vel *melliti ſenſus*, id eſt gratus & jucundus. Ita enim placidus eſt ſomnus & quaſi amoenorum viſorum, & apud Theocritum ὕπνος μέλιτος γλυκίων dicitur.

37. Φῇ γὰρ ὅγ'.) Id eſt ἐκεῖνος ἔφη, hoc eſt πεπεισμένος ἦν. Jam ſibi perſuaſerat futurum illo die ut Trojam caperet, ignarus divini conſilii, & mox θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεα, dixit τιμήσει, ut ſit ἐπιθήσειν ἄλγεα Τρωσὶ καὶ Δαναοῖς, objecturum illum miſerias & luctus tam Graecis, quam Trojanis de belli proeliis.

41. Ἀμφέχυτ' ὀμφή) *Circumfundebatur voce divina*, id eſt, in auribus tum etiam illius verba ſomnii reſonabant. Ac nunc deinceps veſtitus virilis deſcribitur. Χιτὼν tunica interior, quod quaſi circum membra fluat, hoc eſt ἀπὸ τοῦ περιχεῖσθαι τῷ σώματι, poſito *i* pro, εἰ. ut in ἰλεὸς: quemadmodum ajunt, ὅτι εἰλοῦνται, qui illo morbo affliguntur, & πέδιλα ἃ περιειλοῦνται τοῖς ποσί. & ἵλαι atque ὅμιλος. Νηγάτεον, quid ſignificaret, quaeſivere. Atque aliqui acceperunt recentem, aliqui molliter & ſcite pertextum, aliqui etiam nulla artificis manu elaboratum, ſed divini operis, ut ſit νὴ, quemadmodum in νήγρετος negativa, ita hic jam erit χιτὼν ἀχειρόμητος ſeu ἀχειρότευκτος. Φᾶρος, pallium ſignificat, huic poëtae etjam muliebre. οδ έ. 230.

Αὐτὴ δ' ἀργύρεον Φᾶρος μέγα ἔγνυτο νύμφη.

Nam illic laena, id est pallio graviore vel duplici, ut ιλ. ν'. 133. Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαῖναν περονήσατο Φοινικόεσσαν, διπλῆν ἐκταδίην. Contra frigora comparato Ulysses vestitur, ut navigaturus, Odyss. ε. 229.

Αὐτίχ' ὁ μὲν χλαῖνάν τε χιτῶνά τε ἕννυτ' Ὀδυσσεύς.

Ut paulo post etiam τὴν χλαῖναν, id est, pallium abjicit, Et Carthagini Aeneae *Tyrio fulgebat murice laena, demissa ex humeris.* Virg. Aen. IV. 262. tempore scilicet hiemali, ut ostenderat ante? *Dum pelago desaevit hiems.* & postea: *Quin etiam hiberno moliris sidere classem.* Sed quia Agamemno bellator nunc est, & in expeditione versatur, accipere, ut opinor, possumus militare pallium, seu paludamentum, Graeci χλαμύδα & χλανίδα dixere, πέδιλα à pedibus, talaria, ut. Virg. Ibid. 239.

Primum pedibus talaria nectit.
Ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

45. Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν.) Id est, ἀμφεβάλετο τοῖς ὤμοις, *Suspendit de humeris ensem argenteis clavis insignem.* Ξίφος autem Homerus etiam Φάσγανον vocat, ut ιλ. π'. 337.

Τὼ δ' αὖτις ξιφέεσσι συνέδραμον, ἔνθα λύμων μὲν
Ἱπποκόμε κόρυθος φάλον ἤλασεν ἀμφὶ δὲ καυλὸν
Φάσγανον ἐρράισθη.

Vocarunt & σπάθην à stringendo. Sed apud Xenophontem περὶ ἱππικῆς, ξίφος gladium significat minus latum & ad ictus punctim inferendos magis idoneum, μαχαίρα autem, quae & κοπίς, latiorem ensem ad plagam caesim faciendam opportunum. Quorum hi quondam Gallici, illi Hispanici seu Iberici, quibus & Romani usi, appellati fuere. Hactenus exornatur & apud Maronem Evander, cui tamen pro pallio pantherae pellis applicatur Aeneid. VIII. 457.

Consurgit senior tunicaque inducitur artus.
Tum lateri atque humeris tegeaeum subligat ensem.
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.

46. Εἵλετο δὲ σκῆπτρον.) Scipionem regium Vulcani opus, ut postea dicitur. Haec enim insignia principatus fuere apud veteres, quia seniores ipsius etiam naturae ordine, & hominum consensu praeesse debent. Seniorum autem gestamina

mina ſcipiones, ut incedant firmius baculis niſi. Sed regum & principum ſcipiones, conſpicui precioſa materia atque opere ipſo fuerunt. ut, Achilles. ιλ. ά. 245.

— Ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ.
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον.

Et Ovidio Metam. 1. *Sceptrum eburnum.* Maroni Aen. xi. 238. *Et primus ſceptris Latinus*, cum ſcilicet & alii proceres adeſſent cum ſceptris. Denique σκηπτόχεις βασιλῆας communiter Homerus appellat.

48. Ἠὼς μέν ῥα.) Matutini temporis ab ortu aurorae deſcriptio. Maro aliter non Dius, ſed hominibus afferentem lucem auroram introduxit lib. xi. 182.

Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.

52. Τοὶ δ' ἠγέειροντο.) *Cogebantur*, thema ἀγείρω.

53. Βουλὴν δὲ) Alicubi legitur βουλὴν δ' ἄρ, eadem ſententia. Egregia autem conſultatione proponitur à poëta, & imperator introducitur prudens, qui non ſtatim ſuum animum multitudini aperiat, ſed communicet prius rem cum ſenioribus, id eſt Ducibus, de quorum ſententia illam pro concione poſtea exponeret.

55. Πυκινὴν ἠρτύνετο.) Βουλὴ, id eſt *conſilium*, ſignificat tam rem, id eſt, deliberationes, quam coetum deliberantium, ut ἀρχὴ magiſtratus, honorem & hominem. Δικαστήριον, locum & coetum judicii. Πυκινὴν autem βουλὴν denſam vocat, id eſt grave & ſapiens conſilium atque etiam ſecretius, ad haec enim omnia denſitatis intellectus transferri poteſt.

56. Ἐνύπνιον) *in ſomnis* ſeu *per quietem* ἐπιῤῥηματικῶς, & mox εἶδος, μέγεθος, Φυλὴν, *faciem*, *ſtaturam*, *habitum*. dixit, & ἀμβροσίην διὰ νύκτα, vel *jucundam*, quies enim hujus temporis propria. Dulcedinem igitur ſomni & hujus gratiſſimam quietem indicat epipheton. Vel ut Grammatici nugantur, ἀμβροσίη quaſi ἀναβροτίη, quod noctu mortales non obambulare, neque diverſari in publico ſoleant.

72. Ἀλλ' ἄγετ' ἄι νέν πως) *Nunc hoc agite*, inquit, *ſi quo modo induere arma poſſimus Graecis.* Innuit igitur poëta

imperatorem dubitaſſe de voluntate militum, & intellexiſſe hos jam belli pertaeſum eſſe, atque ita deinceps ſuam ſententiam exponit, quam illi ſequuntur. Θωρήξομεν, id eſt *armemus συνεκδοχικῶς*, atque eſt vel modi ἐναλλαγὴ, vel vocalis συζολὴ, quae perhibetur Jonicae fuiſſe dialecti. Intellectus enim requirit ſubjunctivum modum. Ἡ θέμις ἐςὶ, vel, *ut par eſt*, aut *quemadmodum fieri ſolet*, vel, *quatenus me decet, & rectum eſt.*

73. Πολυκλῄίσι.) Interpretantur μεταληπτικῶς, ut ſit multis remis inſtructas naves. Nam κλῄίδας eſſe ſedilia quaedam in navibus remigum.

78. Ἀγορήσατο καὶ μετέειπε.) De hac elocutionis forma alibi diſſeruimus, non enim ejuſdem ſignificationis verba, quaſi à balbutiente poëta, repeti exiſtimandum. Sapientiſſime autem vir Neſtor, etſi aſſentitur imperatori, & ſomnio credit, tamen ſubindicat dubitationem & formidinem ſuam. Νοσφιζοίμεθα, averſaremur, inquit, eum qui narraret haec nobis.

84. Βυλῆς ἐξῆρχε.) De Senatu primus exiit, eumque alii exurgentes & ipſi ſecuti fuere.

87. Ἤϋτε ἔθνεα.) Prima haec parabola Homerica apicularum, animalis non grandis quidem illius, ſed multiplici laude celebris. Et notantur in his verſibus ea, quae ὁμοιόπτωτα vocantur, βοτρυδὸν vero de agmine denſo examinis dixit, ut Georg. IV. 558.

Et lentis uvam demittere ramis.

90. Ἄλις.) *Confertim*, & ἀλίσαι *cogere* ſeu *congregare.* πεποτήαται ἰωνικῶς, à verbo ποτῶμαι.

92. Ἐξιχόωντο.) Significat verbum inceſſionem, ut ιλ. δ'. 422. Τεύχεα ποικίλ' ἔλαμπε, τὰ εἱμένοι ἐξιχόωντο, item ἴλαδὸν, *denſo agmine*, ſeu *turmatim*, & *facere* ἴλας proprie equitum, propter converſionum crebritatem.

93. Ὄσσα.) Rumorem, Jovis nuncium dicit. Nam fit ut hi divinitus ſaepe ſpargantur, & voluntates atque animos hominum commoveant. Δεδήει, *exarſerat*, ut intelligamus vehementem fuiſſe incitationem. Τετρήχει *fremebat concio*, πεποιημένως ut opinor, alii à ταράσσεσθαι duxere, id eſt *tumul-*

multuabatur, formatio eſt ὑπερσυντελικὴ abjecto augmento. Σταδὴν, *vix tandem conſedere*, & paulo ante λαῶν ἱζόντων, *occupantium ſedes*, ἐρήτυθεν, *tenuerunt ſedes ſuas*, formatione aeolica, & eſt paſſivum poſitum activi loco ὁ. 723. Αὐτόν τ' ἰσχανάασκον ἐρητύσντό τε λαόν. Niſi quis auſit facere ut καθ' ἕδρας dirimat, ita enim accipi poterit, collocatos fuiſſe Graecos in ſedibus ſuis, ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων ἔσχε. Τμητικῶς ἀνέσχε δέ.

103. Διακτόρῳ ἀργειφόντῃ) Nuncium Mercurium à poëtis introduci conſtat. Ἀργειφόντης autem quia Argum, vel hominem, vel canem oculatiſſimum cuſtodem Inus, juſſu Jovis interemerit. Aut quia ſit numen hoc purum & φόνου καθαρόν, id eſt *pacis*. Sed & intelligi poſſe exiſtimo nitore quodam conſpicuum Mercurium, quod ut deſtitutus priorum auctoritate affirmare non auſim, ita ſtellæ Mercurialis σιλβώσης appellatio adjuvare poſſit.

104. Πέλοπι πληξίππῳ.) Pelopa equeſtrem vocat. Nam & equeſtri certamine viciſſe Oenomaum, & obtinuiſſe praemium victoriae Hippodamiam fertur. Genus autem Homerus Agamemnonis ſic à Jove deducit, ut mox dicemus, in quo poſteriores, neſcio quid, innovarunt. Quae relinquamus ſane nunc, hoc autem conſideremus, regnum Agamemnonis & principatum legitimum, id enim ſceptrum accipiendum, regum inſigne, poëta ab ipſo Jove per Mercurium deducere ad Agamemnonem. Nam ſapientia & eloquentia magnis viris divinitus poteſtatem in alios confert, ut hos praeſtare atque dominari reliquis, non ſolum humanarum legum, ſed divinae etiam conſtitutionis jus quoddam jubeat. Sed genus Agamemnonis ita deducitur.

Juppiter ſuſcepit, ἐκ Πλουτοῦς τῆς Ταντάλου, vel ut alii Κρόνου Tantalum.
Hic ex Euryanaſſa Pelopem.
Hujus & Hippodamiae filiae Oenomai,
Atreus & Thyeſtes.
Atrei & Aeropes Creticae mulieris, filii
Agamemnon & Menelaus.
Thyeſtae filius Aegiſthus.

105. Αὐτὰρ ὁ αὖτε) Aeolica dialecto, vocativi terminatio posita pro nominativo. Nihil autem innuit Homerus de illa horribili dissensione, & nefariis odiis, quæ excercuerint hi fratres inter se, ut Tragici fecere, sed Thyesta ut junior frater succedit in administratione regni majori Atreo, & illius filios curat ac tuetur summa fide, atque de his maximo nato Agamemnoni tradit sceptrum ac regnum paternum. Hoc sceptrum summa religione venerari Chaeronensis scripsit Pausanias, & appellare δόρυ, quod hastam notat, ac suspicatur in Phocida delatum esse ab Electra filia Agamemnonis, locus extat in Bocoticis.

110. Ὦ φίλοι ἥρωες.) Secundus Homeri liber exempla habet eximia deliberationum & suasoriae materiae, quod & ipsum annotavit Fabius. Hoc autem loco introducitur Agamemno simulata oratione cohortans milites ad fugam, hoc est festinatam reversionem in patriam. Quae oratio est, ad consilium tentandi animos militum, summo artificio accommodata. Primum autem miserabilem fortunam belli deplorat, & adversos casus conqueritur. Deinde Trojanorum vires hoc nomine extollit, quod ipsi, quamvis pauci, tamen auxiliis vicinarum gentium subleventur & defendantur, postremo diuturnitatem & tædia belli commemorat, patriaeque & conjugiorum mentione ad reditum animos Graecorum concitat. Sed inter haec passim ejusmodi sententiae inseruntur, ut nemo nisi ignavus tali oratione moveri possit, ac fortes potius in spe expugnandae Troiae confirmentur. Quomodo enim Jupiter, qui ante promiserat victoriam, nunc relinquere bellum jussit? Idem si est urbium vastator, quamvis longum fiat, Trojam etiam certe delebit. Quanta autem turpitudo haec putanda, cedere tantam multitudinem tam paucis, quamvis auxilius externis adjuventur? Reliqua est mora belli & respectus suorum, quae fortes non abstrahere solent à virtutis & laudis proposito. Itaque Imperatorem periculum videmus facere voluntatum militarium, & tentare animos multitudinis, ut intelligere possit utrum promtitudo ad bellum gerendum, & fortitudo ac patientia in his etiam tunc duret, ut si intellectum sit, fractos esse, ad confirmandos ipsos consilium & oratio

adhi-

adhibeatur, quemadmodum & fit. Nam & valde properant bellum relinquere, & vix retinentur, & tamen poſtea praeſentiſſimis animis, & magno ardore illud gerunt. Atque has imperatorias artes, ut nobis poëta utiliter proponit, ita hoc quoque diſcendum, interdum incidere atque obiici principibus tantas difficultates, ut niſi divinitus ſuſtentarentur, & ipſi ruerent, & omnia ſubvertentur. Itaque arceſſitur & hoc loco Minervae numen, quod fulciat auctoritate & eloquentia ſapientiſſimi viri Ulyſſis laborantes res, & revocet ab errore multitudinem, & animos illorum convertat ad reſpectum laudis, & decoris. Quo loco egregie docet Homerus, illos motus heroicos & eximios, quibus animi impelluntur ad aggreſſiones rerum gravium & arduarum eſſe divinos, ideoque ſucceſſus nunquam abſunt, ſed praeter omnium opinionem, & ſpem cum admiratione maxima incepta haec foeliciter abeunt, & praeclara κατορθώματα exiſtunt, quod in audacia & temeritate humana fieri non ſolet. Nam celeriter tales conatus debilitantur, & res evertuntur, ac exitus infelices, ſaepe etiam numero miſerabiles, incepta ſtultae audaciae excipiunt atque concludunt.

112. Σχέτλιος) Indignantis vox, & ipſum etiam Jovem accuſantis. Significat enim certe σχέτλιος, *ſceleratum*, quo Agamemno, quaſi in vero dolore, verbo nunc utitur, ut exiſtimetur mirifice eſſe commotus, qui etiam Deo ipſi propemodum maledicat. In teutonica lingua vox paene eadem ſimili in ſignificatione uſurpatur, *ſchentlich*.

115. Δυσηλέα.) *Inglorium*, vel poſt vel ob amiſſam magnam partem copiarum. Et mox: κάρηνα πόλεων arces & moenia & turres, quae omnia ſunt ardua & conſpicua, ut eſt in corpore vertex.

119. Αἰσχρὸν γὰρ.) Ratio ignominioſi reditus. Siquidem tanto exercitu & tam inſtructo ita longo tempore bellum non potuerit conficere.

124. Ὅρκια πιςὰ ταμόντες.) Ut latini *foedus icere* & *ferire* & *percutere* dixere, propter coedi tum ſolitas pecudes, ut apparebit & in ιλ. γ'. vel quod porcus ſolenni cum precatione ſilice feriretur, Romano quidem ritu, ut expoſuit

Livius lib. 10. Notatur autem versus Maronis in octavo.

Et casa jungebant foedera porca.

Propter porcae mentionem, cum porcus mactari consueverit.

125. Ἐφέσιοι ὅσσοι) Trojanos, ait, singulos, si denis Achivis opponi debeant, non exaequaturos decuriarum numerum. Eos autem vult intelligi & assumi, quorum patria Troja sit, id est, qui focum & larem in urbe Troja habeant, non externos, quos mox plurimos esse confitetur. Haec autem accipiemus ὑπερβολικῶς ab Agamemnone dici, de ingenti copia Graecorum, si cum paucitate Trojanorum illa conferatur. Nam si de Trojanis tantum, ut aliqui tradidere, intelligendum sit, quod ponitur ιλ θ'. 558.

Χίλι' ἄρ' ἐν πεδίῳ πυρὰ κάιετο, πὰρ δὲ ἑκάστῳ
Εἵατο πεντήκοντα σέλα πυρὸς αἰθομένοιο,

Definitus scilicet numerus Trojanorum fuerit, qui compleretur millibus quinquaginta. Graecorum vero omnium, qui venerint ad Trojae oppugnationem, alii fuisse plus minus centum viginti, alii centum quadraginta millia, volvere. Si enim ponatur navium numerus is, qui expressus est in catalogo, mille centum octoginta sex (tot enim de scriptis Homericis, quae ad nos pervenere, colliguntur) cum alii fecerint numerum hunc. M. C. lxvi. alii M. C. lv. nisi forte scriptura mendosa extat, Thycydides vero scripserit: Πεποίηκε γὰρ χιλίων καὶ διακοσίων νεῶν τὰς μὲν Βοιωτῶν, ἑκατὸν καὶ εἴκοσι ἀνδρῶν, τὰς δὲ Φιλοκτήτα πεντήκοντα, δηλῶν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τὰς μεγίστας καὶ ἐλαχίστας, quamvis hic, ut fieri solet, numerum propinquum ducentarum navium, de illis. c. lxxxvi. compleviisse videatur. At Euripides χιλιόναυν στόλον majore incertoque eo numero dixit in Oreste. Si igitur usque ad Philocteten singulis ducibus attribuantur centeni viceni pro numero navium, quae unumquenque illorum sequuntur, postea vero quinquageni tantum, exibit numerus, centenum vigeni novem. M. septingentorum & nonaginta de navibus scilicet primum. M. & vii. in quibus centeni vehantur, deinde de navibus c. lxxix. in quas conscenderint quinquageni tantum. Id autem ideo faciendum, quod Homerus in mentione

ne Philoctetis numeraverit ſocios quinquaginta, cum ante de Boeotiis incipiens, numerum poſuiſſet centum & viginti. Atque haec computatio videtur eſſe vera, collegit enim λογιςικῶς poëta eas naves, in quibus veherentur centeni viceni & hunc illis numerum praeſcripſerit. Item eas in quibus veherentur quinquageni, praeſcripto & his numero, utque idem Thycydides quoque videtur ſenſiſſe. Verum ſi tantummodo excipienda ſint ſeptem Philocteteae naves, in quibus. I. veherentur, reliquus jam navium numerus ductus in centum viginti, efficiet nominum numerum, centenum quadraginta millium, mille quadringentorum octoginta. Quibus addantur ſocii Philoctetis trecenti quinquaginta, eritque omnium ſumma c. xl. M. Mille octingenti xx. Qui numerus, ſi maxime ad quindecim Myriades expleretur, unde quidem adhuc abſunt octo. M. cc. & lxxx. tamen ad quinquaginta millia, id eſt Myriades quinque, primum jam triplex eſſet, & longe à decuplice, qui hoc loco proponitur, abeſſet. Reſtat igitur hoc, ut ea figura rem explicemus, quam ſupra retulimus, aut illa quinquaginta M. ιλ. θ. non de Trojanis tantum accipiemus. Sed haec fortaſſe prolixius quam oportuit diſſeruimus, quare ab illis ad ea, quae ſuperſunt, explicanda pergamus.

175. Ἐφέσιοι.) Ἀπὸ τῆς Ἐσίας, quae & Ἰσία Dorica dialecto Corinthiorum & Siculorum. Quae latinis Veſta, cui cum publicorum tum privatorum aedificiorum ſedes & fundamenta conſecrabantur. Hujus igitur erat ignis ſacer, qui fovebatur publice, hoc eſt in templis Deorum, certa etiam religione, Romanorum quidem ritu, quem ex Aſia allatum perhibent, & Maro ſignificat. Aen. 11. 296.

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Hic in domibus erat focus, & iidem penates, id quod luculento in Homerico hymno canitur.

Ἑσίη ἣ πάντων ἐν δώμασιν ὑψηλοῖσιν
Ἀθανάτων τε θεῶν, γαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων,
Ἕδρην ἀΐδιον ἔλαχες πρεσβηΐδα τιμήν.

Et in hymno in Venerem, dicitur Veſtam per Jovis patris

caput juraſſe, virginem ſe permanſuram, ideoque Jovem illi hunc honorem habuiſſe, ut aede media collocatam, tam apud Deos quam homines, venerabilem & ſanctam eſſe vellet.

126. Διακοσμηθεῖμεν.) *Ordinaremur.* Sic inquit diſtributis nobis in decurias, ſinguli Trojani, qui miniſtrarent nobis potantibus, cuique decuriae attribuerentur. Κοσμεῖν enim & *diſponere*, ac *inſtruere* & *ordinare* ſignificat. Sine ordine enim & in confuſione ornatum nihil eſſe poteſt.

131. Ἐγχέσπαλοι.) Bellatores eſſe dicit, qui haſtas vibrarent, quod fiebat priuſquam illa conjiceretur in hoſtem, nam ictus impetu adjuvabatur, & reddebatur vehementior. Ita & aliquis apud Maronem rotat enſem, & telum Aeneas fatale coruſcat.

134. Διὸς μεγάλᾳ.) Emenſo enim coelo ſive aethere, ſol, hoc eſt percurſo orbe ſignifero, qui per medium coelum tranſit, annuum ſpacium temporis deſignare ſolet. Nunc annis igitur novem oppugnatam Trojam dicit, & interea tam naves ipſas, quam inſtrumenta harum corrupta eſſe.

135. Σπάρτα λέλυνται.) De Sparto extat diſputatiuncula apud Gellium lib. XVII. cap. III. Placuit fere eruditioribus funes ſignificari lineos & cannabinos, quorum ſoleat ſeri materia. Plinius lib. 19. cap. 1. Hinc fuiſſe navium armamenta apud eundem interpretati ſunt, quoniam, cum ſparta dixit, ſignificaverit ſata. Libro vero XIV. cap. IX. dubitare ſe ſcribit idem auctor, num ſparta geniſta ſit, & nunquid hanc deſignaverit Homerus, cum dixit: *Navium ſparta diſſoluta.* Nondum enim, inquit, fuiſſe Africanum vel Hiſpanum ſpartum in uſu, certum eſt. Et cum ſutiles fierent naves, lino tamen, non ſparto unquam ſutas. De quibus videmur recte poſſe hoc loco interpretari σπάρτα, non modo funes, ſed etiam vela navium, nam δῆρα trabes ſignificat. Sed ſi ita ſit Gellius dubitavit an non potius ultima ſyllaba acui debeat. Nam hic eſt accentus peculiaris dirivationum, ut λεκτὸς, γραπτὸς, ποιητὸς, ſed ipſe tamen ſuam dubitationem ſolvit, quod proprie nunc navium armamenta ſic vocentur, & notetur certum quoddam genus ſatorum, itaque accentu hoc

hoc vocabulum ab illo generali distingui, ut ξανθὸς, & proprium Ξάνθος, δῆμος & δημὸς, βροτὸς & βρότος.

136. Αἱ δέ πε.) Gravissimae hae sunt tentationes, cum & conjugum atque liberum relictorum tam mollem facit mentionem, & cum asseverat frustra tantos labores ab illis sustineri. Jam etiam se complectitur Imperator, quo minus similes futuram ignominiosam fugam arbitretur, fugiamus inquit. Αὖτως, id est, at res incoepta sic haeret neque perficitur.

142. Ὣς φάτο) Jam igitur cognoscit Imperator incertis atque etiam fractis animis militem in aciem produci quam inutile fuisset. Omnium enim animi non belli gloriam, sed domesticam quietem spectant, atque redire volunt in patriam, non capere urbem hostium, illi quidem, qui consilii capti expertes fuerant. Hanc autem tantam & subitam tumultuationem eleganti simulitudine ventorum colluctantium, & tempestatis matis expressit, cum qua confert incitationem turbulentam Graecorum festinantium fugere, hoc est celeriter relinquere bellum & terram hostilem, ut illud, Aen 11. 289.

Heu fuge nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.

143. Πᾶσι μετὰ.) Totius multitudinis animi commoventur, Περιφραστικῶς, omniaus qui in multitudine erant, hoc enim significat nunc μετά.

145. Πόντε Ἰκαρίοιο.) Geminata simulitudo ventorum & mare perturbantium, & segetes concutientium νύματα μακρα profundos fluctus dixit. Significat autem verbum omne spatium longitudinis ut μακρὰ γραμμὴ ἢ ὁδός, altitudinis ut δένδρεα μακρά. Etsi Philostratus, ut opinor, argutatur μακρὰ δένδρεα accipienda, quarum altius defixae sint radices, ut non simpliciter procerae significentur, juxta hoc Virg. Georg. 11. 291.

Quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice in tartara tendit

Mare Icarium filio Daedali praecipitato in illos fluctus cum incautius subvolaret, juxta hoc Ovid. Trist. 1. El. 1.

Icarus Icariis nomina fecit aquis.

In-

Inter cycladas hoc palagus fuit, ut Ovidius quoque indicat lib. VIII.

Parte Samos fuerat Deloſque Paroſque relictae,
Dextra Lebynthos erat foecundaque melle Calymna,
Cum puer audaci coepit gaudere volatu.

Plinius in Inſula Icaro una de Cycladibus vicinum mare appellatum ſcripſit. In hanc autem ejectum cadaver Icari ab Hercule tumulatum fuiſſe, & ex eo nomen Inſulae factum, cui ante Pergamo nomen eſſet.

148. Λάβρος.) Sunt enim Zephyri interdum flatus, cum vehementes, tum pluvii quoque, ut οδ ξ. 458.

Νὺξ δ' ἄρ' ἐπῆλθε κακὴ σκοτομήνιος, ὗε δ' ἄρα Ζεὺς
Πάννυχος. Αὐτὰρ ἄη ζέφυρος μέγας αἰὲν ἔφυδρος.

Ἐπί τ' ἠμύει) Concutit ventus ſpicas, qui ſunt ςάχυες & ἀςάχυες, ſive ſpicis imminet atque intorquet ſeſe, ut ιλ. τ' 405.

Ξάνθος ἄφαρ δὶ ὕμυσε καρήατι.

151. Ἴσατ' ἀειρομένη.) Hoc eſt pulvis ſublatus concurſu Graecorum conglomerabatur ſupra illos. Sed paulo ante λαβρὸς ἐπαιγίζων, notat largis imbribus vehementem, & tempeſtuoſum ventum, & ἀνέμοιο καταιγὶς, venti impetus grandinoſus ιλ π'.

Ἧμαι' ὁπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς.

Καταιγὶς vero & καταιγίζειν atque ἐπαιγίζειν, vel eſt factum de hoc, quod oriente capella, quae Olenia dicitur, ſidere hiemali, imbres & grandines, atque turbines concitari ſolent. Vel ductum eſt verbum ἀπὸ τῦ αἴσσειν, hoc eſt ab impetu & concitatione, unde & αἴγες dictae videntur, quia ſaltu concitatiore per rupes ferantur.

153. Οὐρός τ' ἐξεκάθαιρον.) Vel ἐξεκάθηρον, vel dicit ſentinas repurgaſſe Graecos, vel deterſiſſe foſſas, quibus admitterentur undae de mari ad navalia, per quas facile in illud deduci naves poſſent.

153. Αὐτὴ δ' οὐρανὸν.) Ὑπερβολικῶς. *Ferit aurea ſidera clamor*, & mox ὑπὸ δ' ἤρεον, κατὰ τμῆσιν pro ὑφ' ἥρουν, ὑπέρμορα adverbialiter. Fata enim concedebant Graecis Ilii expugnationem. Sic & οδ. ά. 34. Ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχωσι,

ultra

ultra fatales miſerias vecordia ſua homines mala ſibi arceſſunt.

157. Ἀτρυτώνη.) *Indefeſſa.* Τρύω enim affligo & conficio ſignificat. Habet oratio Junonis indignationis affectum. Εὐρέα νῶτα θαλάσσης, ingentia & patentia maris ſpacia dicit. μεταφορικῶς. Nam haec pars in corporibus animantum latiſſime aperitur. Sed Virgilius dixit alio intellectu, *dorſum immane mari ſummo*, ſcopulorum & latentium ſaxorum in mari vaſtitatem.

160. Καδδέ κεν ἐυχωλωλὴν) Dupliciter poſſumus interpretari hos verſus, vel ſic. *Atque hanc gloriam relinquent Trojanis raptae Helenae?* vel hoc modo, κατ' ἐυχωλὴν δὲ λίποιεν, id eſt κατ' ἐυχήν. ιλ. δ. 450. Ἔνθα δ' ἄρ οἰμωγή τε καὶ ἐυχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν, ut ſenſus ſit. Atque Helenam relinquent Trojanis, ſecundum vota illorum? Helenam autem Argivam dixit, vel communi quadam appellatione, vel etiam propria. Fuit enim proneptis Perſei. Nam facio patrem hujus Tyndareum, (cum fabulae Jovem ferant) filium Oebali, nepotem Perſei ex filia Gorgophone, cujus avus Acriſius tenuit Argos, vel Spartanam dicit, id eſt, Peloponeſiacam, ut ſupra v. 108. Καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν. Nam Peloponeſi regnum fuit relictum Agamemnoni, quae appellaretur Ἄργος ab Argo nepote Phoronei. Urbem autem Argos Oreſtes primum occupaſſe perhibetur. Virgilius hanc appellationem aſſumſit, libro primo v. 654. cum ait, *ornatus Argivae Helenae.* Ἀγαυοῖς ἐπέεσσιν, *bonis & clementibus* vel etiam *ſuavibus verbis*, ἀμφιελίσσας νῆας dicit *agiles naves.* Γλαυκῶπις autem epitheton eſt Minervae, qua voce ſignificantur oculi glauci ſive coeſii, ſive noctuini, ut Plautus dixit Curc. 1. 111. 35. Junonis epitheton βοῶπις, quo ſignificantur bovis oculi, quae cur ita fecerit, mihi quidem parum liquet. Sed venit in mentem cogitanti, & liquiditatem quandam illam coloris aetheream vim, quae eſt Minervae, & hanc turbulentiorem aëris ſpiſſitudinem notare, attributam Junoni. Verum de hoc & ſimilibus quaeramus amplius.

169. Διὶ μῆτιν &c.] Ἀτάλαντον, quaſi ἰσοτάλαντον *aequelem*, à ponderatione facta vox. Nam τάλαντα ſunt librae juga Homero. Jovem autem μητιέτην etiam alibi poëta, &

Ulyſ-

Ulyſſem πολύμητιν vocat. Nam hunc ubique exquiſitis laudibus intelligentiae atque ſapientiae ornat. Jovem vero ſcripſit Heſiodus, vel quiſquis auctor fuit illius Theogoniae, gravidam Minerva ex ſe devoraſſe μῆτιν, atque ita ipſum partu illam edidiſſe. Vim enim mentis & conſiliorum atque rationis, non ſolum divinam, ſed ſummi Dei opus eſſe, veteres ſenſerunt.

170. Εὐσσέλμοιο.) Navem ſuam tranſtris & remis optime inſtructam, ſive etiam firmam & validis tabulatis compactam, non attigiſſe Ulyſſem ait, quippe cui non eſſet fuga cordi, ſed ſtetiſſe ibidem dolore animi afflictum, cum non inveniret quid in tanto diſcrimine rerum facere poſſet. Atque eſt hoc pulcherrimum exemplum facinorum eorum, quae heroica vocamus, quae non videntur eſſe humani cujuſdam & communis modi. Haec ergo tum demum exiſtunt cum alia nulla prodeſſent, neque prius quàm divinitus excitentur ad conandum & agendum animi.

175. Φεύξεσθ' ἐν) Quanta probra haec ſunt, fugere illos abjectos in navibus? Nam ignavia & formido maxima his verbis objicitur Graecis Et oſtendit Dea, ignominiam hanc ſuſtinendam univerſis, etiam iis, qui à conſilio & voluntate fugae longiſſime abfuerint, atque hoc pacto ad omnia experiunda fortem virum Ulyſſem & ſapientem quaſi calcaribus quibuſdam ſubditis exſtimulat. Πολυκληῖδας νῆας vocat firmas & compactas, ut ſupra ἐυσέλμους Nam σέλματα certe tabulae ſunt, ut de fracta navi Sophocles Antigona, Ἔπτίοις κάτω ςρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν ναυτίλλεται. Volunt tamen & σέλματα, & κληῖδας eſſe ſedilia remigum. Ita utrumque vocabulum ſignificarit inſtructionem & copiam remigii.

183. Χλαῖναν.) Clamydem abjecit ut eſſet curſus expeditior, nam res in eo vertebatur, ut neque lente neque placide geri poſſet.

184. Εὐρυβάτης.) Monent hunc Ithacenſem Eurybaten alium fuiſſe atque illum Agamemnonis Eurybaten ιλ ά. Sane ſuos quique praecones habuere principes & duces. Ipſe vero nunc Agamemnoni ſceptrum eripit, nam auctoritate ſumma opus erat, qua Imperator jam deſtituebatur. Haec autem niſi

niſi ſingulari quodam impetu divinitatis fierent, ſedicioſe fierent.

190. Δαιμόνιε.) Habet haec vox apud Homerum ſemper aliquam increpationis ſignificationem, ſed non ſemper acerbam & quaſi infeſtam, ut cum alicujus nimiam promtitudinem etiam in virtute coërcentes, illum improbum aut inſanum vocamus. Ita poſuit ιλ. ζ. 407.

Δαιμόνιε, Φθίσει τε τὸ σὸν μένος.

Aliter autem ιλ. α. 561.

Δαιμονίη, ἀεὶ μὲν ὄϊεαι ἐδέ σε λήθω.

Iratus enim ita loquitur Jupiter. Et hoc loco quamvis non faciat convitia principibus Ulyſſes, tamen vehementius increpat, quo magis ad laudem & virtutem convertantur. Atque hoc eloquitur mollius. Ἐν βελῇ δ' ἐ πάντες ἀκόσαμεν, ipſe enim certe conſilio interfuerat. Sed placare vult principes verbis, non laedere.

195. Μήτι χολωσάμενος.) Praeruptius paulo hoc inferri videtur. Referemus autem vel ad ſuperiora, ut fiat: cum ipſe quieſce, tum alios reprime, ne ſeditionem rex ulciſcatur, vel ad ſententiam convenientem, quam intelligamus animo noſtro, ut ſit tale: providendum vobis, aut cavendum, ne iratus rex in turbulentos gravius poſtea animadvertat.

196. Θυμὸς δὲ.) Non eſt levis neque evanida regis ira. Reperitur & pluraliter διοτρεφέων βασιλήων, non diſcrepante ſenſu.

200. Δαιμονὶ ἀτρέμας.) Vulgus conviciis etiam reprimit, atque non verbis ſolum inclementibus, ſed verberibus etiam afficit.

202. Ἐναρίθμιος.) Cujus neque in bello, neque in pace reſpectus ſit, vel cujus ratio nulla habeatur, aut qui locum ipſe non habeat neque inter conſultantes, neque inter pugnantes.

205. Ἀγκυλομήτεω.) Significat verbum conſilii calliditatem. Ἄγκυλον enim incurvum & hamatum ſignificat, ut ἄγκυλα τόξα, & ἄγκιστρον hamus. Quanta enim eſt temporis, cujus Deum Saturnum eſſe volunt prudentia, aut quid non longa dies homines docet? Sed de cauſa epitheti, etſi in men-

mentem nobis alia quoque veniebant, tamen nondum scilicet satis exculta, & novitate adhuc horridiuscula cogitatione diutius versare atque fingere placuit. Sequentem autem versum,

Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφισὶν βασιλεύῃ.

Aristarchei confixerunt, ut suppositium. Et maluerunt sic legere, unum esse regem oportere, cui hoc, id est ut rex sit, divinitus fuerit collatum. Θέμιστες autem sunt jura ut ιλ. π. 387.

Οἳ βίῃ ἐν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας.

Et θεμιστεύειν jus dicere οδ. ι. 114.

Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος.

Παίδων ἠδ' ἀλόχων,

207. Δίεπε στρατόν.) Obibat exercitum reprimens tumultum, & sedans commotam turbam, auctoritate quadam regia. Βρέμεται & σμαραγεῖ, πεποιημένα sicut & πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, à sonitu, strepitu, fremitu, murmureque undarum & fluctuum.

212. Θερσίτης δ' ἔτι.) Et quae ad argumentum, hoc est propositam narrationem veluti extrinsecus assumuntur, ac quasi obiter, ut ita dicam, arcessuntur, à Graecis ἐπεισόδια vocari solent. In his aut probabilitas quaeritur, ut Idotheae velum οδ. έ. contra omnem humanam fidem Ulyssi salutare à poëta introducitur. Aut est affectus aliquis tristior vel hilarior, ut canis Ulyssis senio confectus, illacrimans & mox moriens οδ. ρ'. Et Vulcanus ridiculi gratia ιλ. ά & Irus colluctans cum Ulysse οδ. σ'. aut utilis doctrinae & exempli gratia, ut hoc loco Thersites. Aut ad commoditatem & consensionem expositionis, ut somnus ιλ. ξ'. opprimens Jovem interea, ut libere confirmare Graecos Neptunus possit. Aut in his est ornatus & elegantia atque copia expositionis, ut colloquium Diomedis & Glauci, ιλ. ζ. Aeneae & Achillis ιλ. ύ. Denique etiam majestas & granditas, ut pugna Deorum ιλ. Φ'. Itaque & hoc legitur in eo libro, qui extat Aristotelis nomine de poëtica, qui ut nobis ab illo auctore editus non videtur, ita nequaquam negaverim hanc esse ab aliquo ἐπιτομὴν confectam scriptorum pluribus libris de poëtica Aristotelis, quamvis alterius

terius etiam Aristotelis non Stagiritae de poëtica liber editus à Diogene memoretur. Sed in hoc, quem nos habemus, haec ferme reperiuntur. Totam Odysseam esse narrationem quandam prolixam de quodam, qui multis annis à patria abfuerit, errabundus solus, inter Neptuni insidias. Illiusque rem domesticam interea fuisse dissipatam à juvenibus petulantibus, qui ambirent nuptias relictae uxoris, & filio necem struerent. Tandem illum divexatum tempestatibus reversum ad suos, ignotum omnibus, cumque paucis aggressum adversarios, se & suis incolumibus, vicisse. Haec argumenti igitur summa, reliqua vero ἐπεισόδια esse, eo in libro quem diximus, scribitur. Hoc autem Thersitae ἐπεισόδιον etiam ad laudem ampliorem Ulyssis à poëta introductum fuit, ut ipse indicat, cum mox hoc facinus Graecos prae reliquis praeclaris Ulyssis actionibus facit celebrare. Sed habet optimam & saluberrimam contra seditiones subjectionem, & exemplum non solum improbitatis, cujus insigne odium proponitur, verum etiam virtutis, cujus laudem magnificentissime celebrari videmus. Fuisse autem Thersites traditur filius Agrii, qui frater fuerit Oenei, cujus pater fuisset Portheus, ut dicit poëta ιλ. ξ. 115.

Πορθεῖ γὰρ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο
Ἄγριος ἠδὲ Μέλας τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεύς.

Porthea autem & Porthaona dixere. Ita reperitur fuisse frater patruelis Diomedis Thersites, uno gradu inferior, ita ut subnotavimus.

	Πορθεύς.	
Ἄγριος	Μέλας	Οἰνεύς
Θερσίτης		Τυδεύς
		Διομήδης

Quare tradunt, quod & Calaber expositit, hujus pugni ictu ab Achille interfecti mortem, ex omnibus Graecis solum Diomedem gravissime tulisse. Sed tale nihil Homerus dicit, ne ullam etiam minimam labem aspergat Diomedi, quem & ipsum omnibus modis ornatum introducit. Egregie autem fecit poëta, cum stultissimo & ignavissimo animo consimile corporis quasi domicilium attribuit. Nam istae portentosae

deformitates & turpitudines corporum vix unquam non ſimiles animos includunt. Et quamvis reperiantur etiam aliquando non pulchris corporibus, neque formoſi, boni & ſapientes, ut teſtatur etiam noſter poëta οδ. θ'. 169.

Ἄλλος μὲν γὰρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέρει ἀνήρ
Ἀλλὰ θεὸς μόρφην ἔπεσι ςέφει.
Tamen naturae cuidam ipſius ſenſui ſemper,
Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

212. Ἐκολώα.) *Obſtrepebat, tumultuabatur*, ιλ. ά. 575. ἐν δὲ θεοῖσι κολωὸν ἐλαύνετον. & κολοιὸς gracculus à ſtrepitu & garrulitate appellatus putatur.

214. Μὰψ ἄταρ.) Loquacem & celeri linguâ fuiſſe Therſiten dicit, ſed oratione compoſita ad vanitatem & captationem aurae atque riſus popularis. Interpres autem ita fuiſſe ridiculum Graecis id, quod Therſitae placuiſſet, & egregium eſſet viſum, ut ſic fiat, εἶναι δὲ γελοῖον τοῖς Ἀργείοις, ὅτι ἂν εἴσαιτο, ἤγουν δόξειεν αὐτῷ τῷ Θερσίτῃ. Eſſe Graecis ridiculum ſolebat, quicquid Therſitae probaretur.

216. Αἴσχιςος.) Sed talis, atque etiam imbellis, cur non relictus in Graecia fuit? Quia homo ſeditioſus non potuit domi remanere in otio, & hoc genere natus repudiari non debuit. Eſt autem ἔκφρασις ſeu διατύπωσις inſignis deformitatis & turpitudinis. Φολκὸν ſtrabum interpretati ſunt, id eſt oculis diſtortis, κυρτὼ ὠμὼ, humeri extantes obliquo gibbo, ut κυρθωθὲν κῦμα οδ. λ. 243. quaſi rotundatum tumulo quodam. Φοξὸν volunt eſſe capite acuto.

219. Ἐπενήνοθε λάχνη.) Tenuem capillum quaſi floſculi comam, obduxiſſe calvam dicit. Faciamus igitur verbum ita, ἀνθέω & κατὰ μετάθεσιν, ἀνέθω, & ἤνοθα, παρακειμένῳ μέσῳ, & cum duabus praepoſitionibus ἐπενήνοθα, vel ἔθω, ἐνέθω ut ἐνέπω, ἤνοθα μέσῳ, & ἐνήνοθα ἀττικῶς· οδ. θ'. 365. Οἷα θεὸς ἐπενήνοθεν αἰὲν ἐόντας. Hoc autem ἔθω volunt eſſe per μετάθεσιν factum ἀπὸ τοῦ θέω, ut ſit ἐπενήνοθε, ἐπέτρεχε, vel quaeramus aliquid melius.

220. Ἔχθιςος.) Infenſiſſimus erat praeſtantiſſimis. Νεμέσσηθεν, ἐνεμεσσήθησαν, *ſuccenſuerunt.* Μακρὰ βοῶν, ut paulo ante quoque ὀξέα κεκληγὼς. Hoc enim unum norunt ſeditioſi,

tioſi, vociferari, unde & clamatores vulgo dicuntur.

225. Τέο δ' αὖτ'.) Id eſt τῦ quod valet τίνος. Quid te ſollicitat, aut quid eſt de quo queraris, & quod nunc etiam requiras? Eſt autem oratio omnibus ſenſibus turbulentiae inſtructa, ut nihil ſeditioſius fieri potuerit, neque odioſius ad vulgarem audientiam. Primum enim objicit ei copiam & ſplendorem vitae, quae ſunt invidioſa maxime. Deinde voluptates exprobrat, rem indigniſſimam & Imperatori & in bello. Poſtremo, quod eſt invidiae caput, ſuorum virtute abuti Agamemnonem dicit, & illorum labore atque ſanguine parta occupare. Atque ita refricat & vulnus vetus injuriae allatae Achilli, non hujus quidem honoris gratia, ſed quia facti invidia erat recens, & exemplum ſingulare ſuperbiae & cupiditatis regiae. Haec capita orationis verbis & ſententiis aptis ad perturbandos multitudinis animos, & elevandam imperii auctoritatem multitudinis elaborata ſunt.

226. Πλεῖάι τοι.) Refertum dicit eſſe tabernaculum Agamemnonis aere. Nos addidimus excuſo aere. Nam ſignificat vaſa potiſſimum aerea, id eſt τρίποδας & λέβητας, ſed & arma, ut opinor, quibus omnibus regium tentorium reſplenderet, ad quandam magnificentiam exornatum. Mulieres autem dicit plurimas, quae extra ſortem datae eſſent Agamemnoni, id eſt exemtae de praeda priuſquàm illa diſtribueretur, quae γέρα dicebantur. Nam erant praemia haec virtutis & principatus.

230. Τιὸς ἄποινα.) Mercedem filii, qua ille redimatur, vel ἐλλειπτικῶς ὑπὲρ υἱῦ. Et ignaviſſimus iſte clamator nunc ſe fortem facit, & ſic argumentatur ſeditioſo enthymemate: Si militum ſit opera & periculum, praemia quoque & commoditates illis eripi non oportere. Nos inquit defatigamur, tu fruere quaeſitis à nobis. Atque ita acculat graviſſimum Imperatorem non ſolum avaritiae, ſed plane neglectionis ſuorum, quibus veluti jumentis ſine omni humanitate ad ſuam utilitatem & bonum abuteretur.

233. Ἄπο νόσφι.) Id eſt ἥντινα κατέχῃς ἀπονοσφίσας τῦ κοινῦ δηλονότι. Quam tu de communi praeda ſubtraxeris. Ita jam cupiditatis obſequentem ſuis Agamemnona alie-

na etiam invadere, & peculatus insimulat.

Ὃυ μὲν ἔοικεν.) Jam etiam philosophatur nugator iste. Et composita oratione ad gravitatem commonefacit Imperatorem officii, & auctorem eum esse mali suis oportere negat. omnia seditiosissime.

235. Ἀχαΐδες.) Increpatio est militum patientiae. Hoc enim agit, multitudinem ut concitet adversus principes, ad imperium detrectandum. Virg. Aen. IX. v. 617.

O vere Phrygiae, neque enim Phryges.

Πέπονες molles & faciles dicit à maturis fructibus metaphora ducta, vel etiam à cucumeribus, quae πέπονες, quia molescant, appellantur. Καινὰ ἐλέγχεα, appositicia quadam forma orationis dixit, ut *Juvenes fortissima frustra pectora*, vel potius ut haec, scelus, labes, sterquilinium.

237. Γέρα πεσσέμεν.) Concoquere ea, quae devoravit. Quo verbo notat avaritiam Agamemnonis, & est translatio ducta à gulosis, qui difficulter cibos, quibus sese ingurgitarunt, possunt concoquere. Usus est verbo & Apollonius in primo, Ἄλλα δὲ πάντα πάλαι θρεπτήρια πέσσω. Id est, *reliqua omnia, quae debebantur educationi meae, ea abs te habeo atque illis plena sum, vel consumsi*, ut ιλ. δ'. 513. Χολὸν θυμαλγέα πέσσει, *concoquit* aut *digerit*, μεταφορικῶς, ut diximus. Fecit autem γέρα per apocopen ἀπὸ τῦ γέραα.

242. Ἦ γὰρ ἂν.) Acerbe intorsit orationem κατ' ἀποστροφὴν in Agamemnonem. Aliter enim profecto, haec esset ultima tua petulantia, id est faceret ille ne posthac insultare, & vim atque injuriam afferre alteri posses.

245. Ἤνίπαπε.) Ἐνιπὴν increpationem vel objurgationem dixere, verbum ἐνίπτω, μέσως, ἤνιπα. In tertia persona ἤνιπε & geminatione, ἤνιπαπε, ut Attica ἀναδιπλώσει, οδ. σ'. 77. Ἀντίνοος δ' ἐνένιπτεν.

250. Ἀνὰ στόμ' ἔχων.) Nomina regum non te decet versare volutare in ore tuo, ignavo scilicet & improbo, non oportet te mentionem regum facere, neque de illorum factis loqui, ut, in ore est omni populo.

251. Νόστον τε Φυλάσσοις.) Negat ad eum pertinere curam reditus, neque ab illo hujus tempora atque occasiones observari oportere.

254. Τῶν

254. Τῷ νῦν.) Conjunctionis significationem habet τῷ sed ἐλλειπτικῶς ut videtur, ut integrum sit, ἐπὶ τῷ ἤγουν τούτῳ. Proinde οδ. ν'. 331. Τῷ σε καὶ ἐ δύναμαι προλιπεῖν & οδ. τ'. 81. Τῷ νῦν μή ποτε καὶ σὺ γύναι ἀπὸ πᾶσαν ὀλέσσῃς Ἀγλαΐην.

Proinde vide ne forte & tibi mulier delitiae eripiantur vitae tuae, & hoc loco, proinde tu hic nunc resides & maledicis Imperatori. Sed in lingua latina, imperandi vocabulum addere usitatum, ut Virg. Aen. XI. 383.

Proinde tona eloquio.

259. Μηκέτ' ἔπειτ'.) Execrationibus solemus obstringere fidem nostram, ut illa vulgaria: *Dispeream: Ne vivam: Emoriar si non hanc uxorem duxero.* Plaut. *Di me perdant, si illam uxorem duxero.* Sed hanc disertam fecit hoc loco poëta, nam & suum & filii unici caput devovet Ulysses, nisi ultus fuerit illam Thersitae petulantiam. Hoc enim est, *non dicar Telemachi pater*, illo scilicet extincto, vel est idiotismus, qualis & in teutonico sermone frequentatur. Non vocer magis pater Telemachi, ut cum aiunt, nolle se suis nominibus appellari, nisi hoc aut illud perfecerint.

262. Τάτ' αἰδῶ.) Αἰδὼς *pudor*, verendam partem vocat, & dicit renonem, vel capistrum lumborum, vel tale aliquid.

265. Ὣς ἄρ' ἔφη.) Sequitur tonitrua fulmen, ut debuit. Ἰδνώθη vero curvatum illum fuisse ad ictum significat, vel se contorsisse ad ictum. Curvationem significat & ιλ. μ'. 205. Ἰδνωθεὶς ὀπίσω, sed additum adverbium reflexionem & retorsionem notat. Μετάφρενον dorsum, quia in aversa corporis parte hic situs est τῶν Φρενῶν, quae adhaerent juxta Homerum hepati, ἀχρεῖον ἰδὼν *deforme tuens*, ut torvum tueri dicimus. Significatur autem in dolore animi contractio & distorsio vultus, repraesentans illius labores, ut in Eunucho IV. 4. 3. *Os distorsit sibi carnifex.*

270. Οἱ δὲ καὶ ἀχνύμενοι.) Ambiguitas tollitur distinctionis nota. Non enim ob ipsum indoluisse Graecos dicit, sed quamvis essent animis afflictis, cadente scilicet spe reditus, tamen non potuisse continere risum ad conspectum vapulantis Thersitae.

271. Ὧδε δέ τις.) Prosopopaeia vulgaris, qua laudes Ulyssis de sermonibus multitudinis amplificantur. Λωβητῆρα ἐπεσβόλον, procacem seu petulantem maledicum.

276. Θυμὸς ἀγήνωρ.) Ut superbi in lingua latina dicuntur praestantes & excellentes, atque etiam elati vanitate, itidemque in teutonica.

278. Ὡς φάσαν.) Mutatio numeri, habita intellectus non verbi significatione, ut *pars in frusta secant*, & alibi (ιλ. ο. 305.) Ἡ πληθὺς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν ἀπονέοντο.

Πτολίπορθος.) Cicero Planco (Epist. XIII.) *Itaque Homerus non Aiacem nec Achillem, sed Ulyssem appellavit* πτολίπορθον. Significat eorum esse gloriam rerum gestarum, qui peregerint, quamvis ad perficiendum aliorum operae multo plus contulisse videantur. Sed quaesitum de loco Ciceroniano, cum certe etiam Achilles πτολίπορθος appelletur ab Homero ιλ. ω. atque etiam Oileus. ιλ β. Sed ut memoria labi potuit Cicero, non enim hoc per omnia defendere licet, ita fortasse significare voluit frequenti epitheto hoc ornari ab Homero Ulyssem, sed Achillem atque Aiacem non item. Constat autem consiliis Ulyssis captam Trojam, de cujus subjectione, & omnia fatalia impedimenta remota, & auxilia adjuncta, denique etiam equus ligneus extructus fuerit.

282. Μῦθον ἔπαν.) Simul ut exaudire verba universi, simul & consilium & sententiam dicentis perspicere possent. Ἀγορήσατο, καὶ μετέειπεν. Non quasi balbutiens idem dicit, sed hoc concionantem ita locutum esse.

284. Ἀτρέιδη νῦν δή.) Admirabilis oratio Ulyssis, & omni virtute eloquentiae perfecta hoc loco exponitur. Exordio utitur commotiore cum jam turba esset aliquantulum sedata, nam apud insanientes adhuc & tumultuantes contrarium esset. Mox ut praeditus auctoritate gravissime illos accusat, & exprobat perfidiam, maximum in tota quidem vita scelus, sed in militia eximium, & objicit ignaviam. Sed hoc loco revocat ipse sese, & objurgationem efferveſcentem reprehendit, ne nimis increpando de integro animos multitudinis perturbet, atque indulget sensui illorum aliquid laxans, tanquam contumacibus equis frenos, ut convertere ad arbitrium & regere il-

lam

lam poſſit. Poſtremo quod valet ad vulgus plurimum, etiam religionem copioſiſſime quidem, & ſpem praedictionum divinarum injicit. In quo etiam diutiſſime immoratur. Sed haec nunc deinceps ſingillatim percurramus.

285. Ἐλέγχιστον.) Culpandum maxime hoc eſt apud omnes mortales infamiam ſummam tibi conciliare volunt. Μέροπας ajunt dictos homines, vel quod diſtincto ſono vocis utantur, quod aliis animantibus denegatum ſit, vel quod διάλεκτοι diverſarum nationum atque gentium non conſonent. Ὄψ enim vocem ſignificat, & flectitur ὀπός. Non deſunt, qui tradant à Merope terrigena, qui in Co inſula regnarit, humanum genus ita appellatum.

287. Ἄργεος ἱπποβότοιο.) Vel ſimpliciter campeſtre & paſcuis abundans τὸ Ἄργος dixit, vel eſt epipheton, ut aliqui volunt, hiſtoriae ſeu fabulae, quod Neptuno in Argiva regione quaedam prata, quae carperent equi illius, conſecrata fuerint. Neptunus autem, ut notum, ἵππιος eſt. Et hunc perhibent de Argivae regionis poſſeſſione cum Junone contendiſſe, atque illam fuiſſe adjudicatam Junoni. Unde & Maro Argivam Junonem vocavit.

288. Ἐπέρσαντ' ἐυτείχεον.) Numerus mutatus, nam ἐπέρσαντε poſitum eſt pro ἐπέρσαντας. Poſſumus autem hoc totum de ſacramento dato Imperatori accipere, juxta formulam, quae exponitur in oratione Lycurgi contra Leocratem: Οὔτε καταλείψω τὺς ἡγεμόνας, ἔτε ζῶντας ἔτε ἀποθανόντας, vel innuitur conjurationis hiſtoria, de qua Pauſanias in Corinthiacis cap. XXII. ita, Πέραν δὲ τῦ (Πελασγῦ.) τάφυ χαλκεῖόν ἐςιν ὃ μέγα, ἀνέχει δὲ αὐτὸ ἀγάλματα ἀρχαῖα Ἀρτέμιδος καὶ Διὸς καὶ Ἀθηνᾶς. Λυκέας δ' ἂν ἐποίησε Μηχανέως τὸ ἄγαλμα εἶναι Διὸς, καὶ Ἀργείων ἔφη τὺς ἐπὶ Ἴλιον ςρατεύσαντας, ἐνταῦθα ὁμόσαι παραμένειν πολεμοῦντας, ἕς τ' ἂν ἡ τὸ Ἴλιον ἕλωσιν, ἢ μαχομένυς τελευτὴ σφᾶς ἐπιλάβῃ. Id eſt, *Ultra Pelaſgi ſepulcrum, ahenum eſt parvum, quod ſuſtinet ſimulacra priſca Dianae, Jovis, Minervae. Ac Lyceas quidem fecit eſſe ſimulacrum Jovis, cognomento Machinatoris. Addiditque Argivas copias proficiſcentes ad bellum Trojanum illo in loco conjuraſſe, perſeveraturas ſeſe in bello, donec vel Ilium* coe-

coepiſſent, vel exercitus morte deletus eſſet. Ideo videri poteſt feciſſe hoc poëta.

Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι,

Juratos eſſe Argivos, tum demum reverſuros in patriam cum Ilium expugnaſſent. Conjuratio autem Graecorum contra Trojanos apud poëtas celebris eſt, ut Horatius cecinit,

Quam multo repetet Graecia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias.

Et Ovidius.

Conjurataeqne ſequuntur
Mille rates.

290. Ἦ μὴν καὶ) Nunc indulget aliquantulum Graecis Orator, ut mulceat atque mitiget animos illorum, neve illi perpetua acerbitate objurgationis quaſi obrigeſcant, & eſt in hac conceſſione uſus comparatione, ut admodum juſtus dolor tam diuturnae morae eſſe videatur. Sane, inquit reverſio in malo & dolore laborem & moleſtiam habet, ita ſumus interpretati & verſibus noſtris, vel ſic. Qui afficiuntur dolore & affliguntur malo, iis labor eſt reverti, id eſt illi ſcilicet quam primum redire domum cupiunt ac laborant.

295. Περιτροπέων.) *Vertens annus.* Sic dixere quos vulgo currentes vocant. Hoc ergo ſignificat verti annum jam nonum, vel abiiſſe annum nonum & converſum eſſe. Nam fines annui temporis ad initia recurrunt.

299. Τλῆτε φίλοι.) Cohortatio vehemens parvum adhuc tempus ut durent, qui longius & diuturnius conſumſerint. Hos verſus Cicero elegantiſſime convertit, de quo totum locum deſcriptum ſubjecimus. Cicero de Divin. lib. II. *Nam illud mirarer, ſi crederem quod apud Homerum Calchantem dixiſti ex paſſerum numero belli Trojani annos auguratum, de cujus conjectura ſic apud Homerum, ut nos otioſi convertimus, loquitur Agamemnon.*

Ferte viri & duros animo tolerate labores,
Auguriis ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratoſne habeant an vanos pectoris orſus.
Namque omnes memori portentem mente retentant,

Qui

Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis,
Argolicis primum ut veſtita eſt claſſibus Aulis,
Quae priamo cladem & Trojae, peſtemque ferebant,
Nos circum latices gelidos ſumantibus aris,
Aurigeris Divum placantes numina Tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani ſpecie tortaque Draconem
Terribilem, Jovis ut pulſu penetrabat ab ara,
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſeptos
Corripuit pullos. Quos cum conſumeret octo
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat,
Cui ferus immani laniavit viſcera morſu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro formavit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in mediis Divum verſarier aris.
Tum Calchas haec eſt fidenti voce locutus.
Quidnam torpentes ſubito obſtupuiſtis Achivi?
Nobis haec portenta Deum dedit ipſe creator
Tarda, & ſera nimis; ſed fama, ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos:
Quae decimo cadet, & poena ſatiabit Achivos.
Edidit haec Calchas, quae jam matura videtis.

Sed hic locus inter errata memoriae quae μνημονικὰ ἁμαρτήματα vocantur, jampridem ab eruditis annotatus eſt. Non enim certe Agamemnon haec loquitur, ſed Ulyſſes.

302. Ἔβαν φέρεσαι.) Id eſt *abſtulere*, quadam proprietate Graecae linguae dixit.

303. Χθιζά τε καὶ πρώϊζα.) Id eſt *heri & priore die*, quaſi nudiuſtertius dicas, quod dicitur χθὲς καὶ πρώην. Significat autem proverbialis haec quaedam orationis figura, id quod ſimpliciter diceretur, nuper, aut modo, ſeu paulo ante. Haec apud Graecos frequens eſt, Ariſtophanes Ranis χθές τε καὶ πρώην κοπεῖσι. Uſus & Plato in Gorgia & Herodotos Εὐτέρπῃ. Item Lucianus Indocto, & in

Hermotimo. Sophocles Electra paulo aliter extulit.

Οὐ γάρ τι νῦν κἀχθὲς, ἀλλ' ἀείποτε
Ζῇ ταῦτα.

Dicit hoc igitur Ulyſſes, eos qui nondum interierint, teſtes ſe habere eorum, quae dicturus ſit. Etſi volunt ita eum longum tempus belli tam diuturni elevare, ut mentione paucorum dierum & quidem proximorum longiſſimi temporis toedium obſcuret.

Ἐς Αὐλίδα.) Αὐλὶς urbs & portus Baeotiae, cujus ἔτυμον grammatici fecere ἀπὸ τῦ ἁλισθῆναι ἐκεῖ τὴν Ἑλλήνας, interpoſita litera ύ. idque de hoc loco Homerico, ubi dicitur illo in loco exercitum Graecorum coactum fuiſſe. Sed retentam etiam claſſem tempeſtatibus tradunt fabulae, donec placaretur Diana Imperatoris mactata filia, ut ait Lucretius lib. 1. v. 85.

Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianaſſai turparunt ſanguine foede
Ductores Danaum delecti.

Nam Iphigenia eadem & Iphianaſſa intelligitur. Ovidius libro XII. idem innuit, quem locum, quia hunc Homericum brevitur interpretatur, adjicere placuit, ſed ille pro virgine, ut Graeci quoque tradidere, ſuppoſitam cervam ſcripſit.

Nec dilata foret vindicta, niſi aequora ſaevi
Invia feciſſent venti, Boeotaque tellus
Aulide piſcoſa puppes tenuiſſet ituras.
Hic patrio de more Jovi cum ſacra paraſſent;
Ut vetus accenſis incanduit ignibus ara;
Serpere caeruleum Danai videre Draconem
In platanum, caeptis quae ſtabat proxima ſacris.
Nidus erat volucrum bis quattuor arbore ſumma,
Quas ſimul, & matrem circum ſua damna volantem,
Corripuit ſerpens, avidaque recondidit alvo.
Obſtupuere omnes. At veri providus augur
Theſtorides, vincemus ait, gaudete Pelasgi,
Troja cadet, ſed erit veſtri mora longa laboris.
Atque novem volucres in belli digerit annos.

Ille,

Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, & ſervat ſerpentis imagine ſaxum.

305. Ἀμφὶ περὶ.) Ἀμφὶ *circum* quaſi adverbialiter, ut, *ſtant arae circum.* & ante,

Anne vides toto properari littore circum.

308. Μέγα σῆμα.) Portentum ſeu monſtrum. De hoc enim tempus belli praedicit Calchas, & δαφοινὸς eſt *varius*, aut *rubens.* Nam draconibus ineſſe maculas ſanguineas traditur, ut δαφοινὸν accipiamus nunc, qui alibi à poëta φοινήεις dicitur. Φοινὸν enim cruentum ſeu puniceum eſt, ut ιλ. π΄. 159. Πᾶσιν δὲ παρήϊον αἵματι φοινόν. Σμερδάλεον apud Homerum eſt *ingens* & *horribile.*

311. Νήπια τέκνα.) Νήπια τέκνα, de homine tranſtulit. Proprie enim νήπιοι infantes dicuntur, id eſt parvuli, atque ſtolidi. Ὑποπεπτηῶτες πετάλοις *ſub ramis latitantes.*

317. Κατὰ τέκν' ἔφαγε.) Κατέφαγε τέκνα, & λάαν dixit à recto λάας τῦ λάᾳ, eſt & λᾶς λᾶος, ut λᾶος ὑπαὶ ῥιπῆς ιλ. μ΄. 462.

321. Ὡς οὖν δεινὰ πέλωρα) *Monſtra.* Significat autem vocabulum viſu quod horribile ſit, ut ιλ. μ΄. 220.

Φοινήεντα δράκοντα φέρον ὀνύχεσσι πέλωρον.

Ab hoc πελώριος, terribilis. ιλ. η. 208.

Σεύατ' ἔπειθ' οἷός τε πελώριος ἔρχεται ἄρης.

330. Τὰ δὴ νῦν.) Tendit, inquit, ad finem vaticinium, decurſo ſpatio annorum novem, & decimo inſtante.

335. Μῦθον ἐπανήσαντες.) Jonica ἔντασις, pro ἐπαινέσαντες, & adjungenda haec ad rectum poſitum in verſu ſupra tertio, ἀργεῖοι.

336. Γερήνιος ἱππότα) Ἱππότην Neſtora ſignificare volunt exúlem, cum tamen Neſtorem poëta equitem faciat praeſtantem, ut manifeſte in catalogo, cum dicit meminem parem fuiſſe Meneſtheo in equis & viris inſtruendis praeter Neſtorem. Et οδ. γ. 436. ἱππηλάτα Νέσωρ, quo certe verbo equeſtris rei peritus ſignificatur. Γερήνιος etiam haud ſcio an non ſit gentilis Neſtoris appellatio, quamvis de Heſiodo verſus exponantur in epitoma Stephani, qui Gerenis fuiſſe tradant Neſtorem, cum Pylus ab Hercule caperetur, ita de duodecim

decim filiis Nelei hunc unum superstitem relictum, quamvis & Strabo scribat à Gerenio Nestorem vocatum Gerenium, quo delatus fuerit de vastitate priore, Non solum enim non extat nomen τῆς γερήνου vel γερηνίας, vel γερηνίδ apud Homerum, sed Pausanias etiam in Laconicis ait eam Gereniam dictam urbem, quae sit Ἐνόπη apud Homerum ιλ. ί. 150,

Καρδαμύλην, Ἐνόπην τε.

Exponunt etiam Graeci aliqui γερήνιον ἔντιμον γέροντα, id est *senecta aetate venerabilem*, vel *honorabilem senem*, atque ita, si videatur, & nos epitheton intelligamus. Philostratus scripsit in suis Heroicis, Herculem non solum ut innocentem Nestorem, & qui refragatus fuisset consiliis patris & fratrum suorum, quae illi coeperant de subtrahendis Herculi Geryonae bobus, hunc igitur non modo Herculem conservasse, sed etiam propter insignem in adolescentia probitatem mirifice amasse, & restituisse in paternum regnum, fuisseque Nestorem auctorem Graecis, ut in jurando testem Herculem nominarent. Sed hujus oratione jam confirmatus Agamemno tandem & ipse Imperatore digna loquitur. Omnia autem facta & composita sunt praeclaro artificio, & ratione rhetorica. Nam ut Agamemnon eam habuit orationem, qua tegeret ille quidem sententiam animi sui, neque eam multitudini plane exponeret, facturus periculum voluntatis ipsorum, ita Ulysses aperte & libere cum illis agit, alios verbis placans, alios minis & verberibus coërcens. At Nestor eodem & ipse intendit orationem suam, multoque est jam apud non solum sedatam, sed placidam & quietam multitudinem asperior, sic tamen ut non in universos saevire, sed paucos quosdam turbulentos accusare videatur, ita & veniae spem facit mollioribus, & praefractis terrorem incutit, & graviter interminatur iis, qui imperium deinceps detrectassent. Atque ita subjicit consilium salutare Agamemnoni ordinandi atque instruendi excercitus.

339. Συνθεσίαι) De conjuratione Graecorum diximus supra', συνθεσίας autem dixit, quae συνθῆκαι appellantur, pacta quaedam & conventa. Haec autem retulere aliqui ad illam conjurationem Graecorum, de qua Isocrates in Helenes encomio,

comio, cum principes Graeciae in ſpe omnes nuptiarum hujus, *συνελθόντες*, inquit, *πίσεις ἔδοσαν ἀλλήλοις ἢ μὴν βοηθήσειν, εἴ τις ἀποσερόίη τὸν ἀξιωθέντα λαβεῖν αὐτήν.*

340. Ἐν πυρὶ δὴ.) Omnia, inquit, conſilia & omnes rationes noſtrae evaneſcent, aut recident ad nihilum tanquam igne conſumtae: vel hoc dicit, an nihil proderunt, an nulli uſui erunt conſilia & rationes noſtrae, ſed ſuſpendentur ad ignem? Juxta illud Heſiodi

Ἔνθα καὶ πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνῦ καταθεῖο.

Et Ariſtophan.

Ἡ δ' ἀσπὶς ἐν τῷ Φεψάλῳ κρεμήσεται.

Ut contra de armis quae curarentur ait Poëta, *ἐκ καπνοῦ κατέθηκα* &c. *οδ. τ. 7.*

341 Σπονδαὶ ἄκρητοι καὶ δεξιαὶ.) Teſtibus, etiam Diis, ait, ſancita fuiſſe illa foedera, & ſolenni ritu religionis datam acceptamque fidem. In ſacris autem profundi vinum ſolebat, ut *ιλ. α.* 462. *ἐπὶ δ' ἄιθοπα οἶνον λεῖβε.* In precationibus quidem invocationibuſque Deorum hoc facere conſueverant, in conviviis ſemper, & ut *ιλ. π'.* 231. Achilles precaturus Jovem. Patroclum ut ſervaret incolumem,

Ἤυχετ' ἔπειτα μέσῳ ςὰς ἔρκεϊ, λεῖβε δὲ οἶνον
Οὐρανὸν εἰσανιδῶν. Et in foedere *ιλ. γ'.* 295.

Οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀΦυσσάμενοι δεπάεσσιν
Ἔκχεον, ἠδ' εὔχοντο Θεοῖς αἰειγενέτῃσιν.

Sed *ἀκρήτας σπονδὰς* cum dicit, videtur innuere merum Diis profundi ſolitum fuiſſe, cum tamen legatur *ιλ. γ'.* 269. Κρητῆρι δὲ οἶνον μίσγον, quod ſonare videtur perinde quaſi in cratere, cui à temperatura nomen, vinum miſcuerint. Sed vel eſt ibi uſus poëta communi & uſitato verbo, ſignificans tantum hoc in cratera vinum praecones infudiſſe, vel intelligemus ſpondarum vinum meracius fuiſſe. Conjunctionem autem & amicitiae atque foederum fuiſſe *σπονδὰς*, etiam haec verba indicant, ἔκσπονδος, excluſus vel non comprehenſus foedere, ὑπόσπονδος qui foederis legibus tenetur, facta pace aut induciis, παράσπονδος foederis violator, & Phoeniſſis, *κομπὸς εἶ σπονδαῖς πεποιθὼς αἴ σε σάζουσι θανεῖν.*

342. Μῆχος.) Ἀμηχανίᾳ συνεχόμεθα, hoc eſt nihil explicamus,

camus, omnia haerent, nihil procedit eorum, quae agimus inter ſimultates & contentiones noſtras. Μῆχος autem μηχάνημα eſt, ut πάθος πάθημα. Ἔχων ἀσεμφέα βελὴν firmo & deſtinato conſilio atque propoſito.

346. Τοὺς δὲ δ' ἕα &c.) Ita indefinite dixit unum aut alterum, id eſt paucos quoſdam, qui clandeſtina conſilia inire, & multitudinem perturbare ſolent. Ἄνυσις δ' ἐπ ἔσσεται αὐτῶν, nunquam tamen hoc perficient, hinc ut diſcedant domum bello imperfecto.

349. Ἠὲ καὶ ἐνί.) Dubitat igitur ſapientiſſimus ſenex, utrum veritas ſit in promiſſione divina. Non ille quidem de hoc dubitat, ſed εἰρωνευόμενος in eos invehitur, qui ipſum Deum refragatione ſua arguere mendacii viderentur.

353. Ἀσράπτων.) Inter incongrua & inconſequentia notatur & hoc. Dixerat enim ὑπερμενέα Κρονίωνα, & nunc infert rectum ἀσράπτων.

356. Ἑλένης ὁρμήματα.) Nos fecimus raptus Helenae lacrimas. Sed interpres conſilia & dolores intellexit Graecorum, quos Helenae ulciſcendae cauſſa pertulerint. Sed noſtra tamen ſententia non videtur prorſus rejicienda.

362. Κατὰ Φῦλα κατὰ Φρήτρας.) Interpretati ſunt ſimpliciter, monere Neſtorem ut nationes Agamemno ſingulas quibuſdam ordinibus diſtinguat, atque ita producat exercitum in expeditionem. Sed cum fecerint aliqui Homerum Athenienſem, ob id quod & per Minervam jurantem, & uſurpantem Ἀθηναίης nomen, introduxerit Imperatorem, quorum alterum moris, alterum διαλέκτε eſſet Atticae, multo certior haec conjectura eſſe potuerat, mentionis Φῦλων & Φρητρῶν. Nam Athenienſium fuit civitas diſtributa in tribus quatuor, & horum quaeque rurſum in Φρατρίας tres, quo etiam pacto nunc cenſet Neſtor, tributim & curiatim exercitum eſſe diſtinguendum. Jam & Φυλὴ in re militari, maxime equeſtri, turmae fuit appellatio, ut nihil aliud ſubjicere videatur hoc loco ſenex, quam facere Cyrus apud Xenophontem, cum ordinibus ſuis praeficit, qui illos ducant & hoc agit, quique ut iis parent, qui ipſis eſſent praepoſiti. Neque obſtat quod Φῦλα dixit, non Φυλάς. Nam ita fuit in verſu aptum, ut ne-

neque *Φρατρίας*, ſed *Φρήτρας*. Omnino autem ſenex monet diſtinguendum eſſe exercitum, & inſtruendam aciem certa quadam ratione, ne in confuſione pugnetur, neve tanquam in tenebris latere & ignorari poſſit ignavia.

367. *Θεσπεσίῃ*) adverbialiter, divino quodam infortunio, an divinitus fiat quo minus urbs capiatur.

373. *Ἠμύσειε.*) *Inclinaretur*, hoc eſt, procumberet atque rueret, quo de verbo & ſuperius dictum, *μετ' ἀπρήκτους εἰς ἀμηχάνους*, ut *μετὰ ἔθνος ἑταίρων*, *εἰς ἔθνος*, qui me objicit gravillimis & infinitis contentionibus. *Ἐσσυμένην*, deeſt nomen unde verbum dictum eſt *βαλή*.

384. *Ἀμφὶς ἰδὼν.*) Jubet parari ad bellum, hoc eſt animo agitare pugnae & praeliorum diſcrimina, & currus undique perſpicere, ut ſit *ἀμφὶς ἰδὼν diſpiciens.*

385. *Στυγερῷ κρινώμεθα.*) *Ut decernamus Marte*, id eſt conſeramus proelium, ut & Maro Aen. XII. 709. Haec enim vera lectio, ut Seneca docuit.

Inter ſe coiſſe viros, & cernere ferro.

386. *Οὐ γὰρ παυσωλὴ.*) Cur terret inſuper Graecos magnitudinem laborum commemorando? Non ille quidem terret, ſed mavult confirmatis jam animis ſuorum, majora potius belli incommoda videri militibus, quam falſo minora ſperari, juxta hoc Cyri dictum apud Xenophontem *παιδείας ς'. Κρεῖττον μείζονα οἰηθέντας μείονα ἰδεῖν, ἢ μείω ἀκούσαντας μείζονα εὑρίσκειν.*

389. *Ἀμφιβρότης.*) Interpretantur latum clypeum, qui tegeret totum viri ſeu hominis corpus. Talibus enim veteres fuiſſe uſos perhibent, & de Empedocle citat Plutarchus Quaeſt. Conviv. *Ἀμφιβρότην χθόνα*, dicitque ita appellaſſe illum corpus animae circumdatum.

393. *Ἄρνιον ἐσσεῖται.*) Jam addit minas regaliter. Sed Ariſtoteles libro tertio *Πολιτικῶν* docet, fuiſſe apud veteres quoddam regum genus, qui in pace non haberent poteſtatem occidendi quenquam, in bello vero & cum exercitus ad pugnas educti eſſent, impune in detrectantes imperium animadvertere & illos interficere poſſent. Dicit autem tum non magis profuturum ulli fugam canum & volucrium, hoc eſt, fa-

facturum se ne quis effugiat laniatus illorum, occisus & abjectus, insepultus. Addidit autem post hunc versum Aristoteles initium alterius,

Πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

Quem, ut videmus, nostri libri non habent, ut hinc etiam conjectura fieri possit, aliis illum exemplis hujus poëtae usum fuisse.

399. Κάπνισαν.) Excitasse ignes in tabernaculis dicit συνεηδοχικῶς. Nam fumus ante flammam, cum materia ardorem ignis concepit, evaporatur.

401. Μῶλον Ἄρηος.) *Martis impetum*, seu *vim*, vel etjam *praelia Martis*, id est belli discrimen. Quisque autem suorum Deorum, id est numinum patriorum opem invocat.

408. Αὐτόματος δέ οἱ) Menelaum dicit advenisse invocatum, id est ἄκλητον, βοὴν quidem ἀγαθὸν id est *bellicosum*. Nam βοὴν bellum appellasse veteres, scribitur in Athenaei libro quarto p. 178. a clamoribus, ut apparet, & strepitu pugnantium, & certe βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης à poëta dicitur, qui bellicosissimus heros introducitur. Ibidemque redarguitur Platonica hujus loci reprehensio. Venit igitur frater ad Imperatorem sua sponte, ne vocari quidem enim debuit. Ideoque Grammatici aliqui jugularunt subjectam rationem versu proximo: Ἦδεε γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν ὡς ἐπονεῖτο, tanquam alienam & supervacaneam sententiam. Sive enim ita accipiamus, ut plaerique interpretati sunt, sciviſse Menelaum, quod in labore & occupatione sacrificii versaretur Agamemnon, ridiculum videri volunt, dici hoc non ignorasse fratrem, quod illi notum esse necesse esset: Sive intelligamus non fugisse Menelaum, quantis in curis & solicitudinibus esset frater, atque ideo se praeteritum non tulisse moleste. Neque hoc, aiunt illi, consentaneum est, oblitum fuisse Imperatorem fratris, cujus maxime caussa sacrificium institueretur. Illius enim injurias ulturi, oppugnatum Trojam & Priamum advenerant. Sed haec nos una cum innumeralibus aliis curiosis exquisitionibus grammaticorum relinquamus. Atque accipiamus simpliciter, in summo quodam studio erga fratrem

ultro

ultro affuisse Menelaum, cum non fugeret eum, quantos labores ille sustineret animo suo.

413. Μὴ πρὶν ἐπ' &c.) Ἐλλειπτικὴ locutio, itaque intelligemus δὸς, aut particulam significantem votum: *Utinam non ante sol occidat, neque tenebrae obducantur, quam urbem coepero*, & est sane votum nequaquam timidum neque verecundum.

417. Χαλκῷ ῥωγάλεον.) *Ferro*, ut nunc loqueremur, *lacerum*, ut *od. ν* 435. vestimenta dicit Ulyssi accomodasse Minervam, quo magis ignoraretur, ῥωγαλέα, ῥυπόωντα, *pannosa & sordida.*

420. Ἀμέγαρτον) Ut ἄφθονον de copia & abundantia dixere, sic ἀμέγαρτον nunc πόνου *magnum* vel *ingentem*, simili origine & oratione appellavit.

435. Λεγώμεθα.) Ne tempus, inquit, verbis teramus, & differamus rem, monet cavendum, ne occasio rei bene gerendae praetermittatur, quam amiserint, futurum sit postea, ut frustra requirant. Itaque & Alexandrum interrogatum, qua maxime re Graecia fuisset potitus, respondisse ferunt, μηδὲν ἀναβαλλόμενον, id est celeritate, qua ipsa & Caesarem maximas & admirabiles res confeciisse legimus. Sic tamen habendum, ut, quemadmodum Sallustius ait, *& consulto & mature facto opus sit.*

446. Θῦνον κρίνοντες.) Principes, inquit, unam cum Imperatore discursitabant occupati in acie instruenda, interque illos Minerva, & bellicum & amicum Graecis numen, versabatur, cujus aegida Jovis quoddam scutum, ut alibi diximus, breviter ἐνφράζει. Ἀγήραον, quae nullo temporis spatio, aut injuria corrumpi posset, & ἀθανάτην similiter vel sempiternam, vel gestamen Deorum immortalium, in qua extantes conspicerentur centenae orae, quarum flexu & implicatione scuti ambitus contineretur. Eas aureas dicit fuisse & ita pretiosas, ut singulae centenis bobus aestimari potuissent, atque ipsa quidem animalia dicit, non pecuniam. Pecunia enim & signatum aes ad usum comparandi necessaria, quae moneta & νόμισμα, non reperiuntur introducta à poëta, qui ne minimarum quidem rerum exquisitas mentiones, & per-

mutationem rerum diligenter descripsit. ιλ. ή.

455. Ἀΐδηλον.) Interpretantur vocabulum de eo, quod ignis consumat materiam, nam ἀδηλεῖν est *vastare* & *affligere*. Flamma igitur vastatrix, seu infesta ut σὺ δὲ πτείνεις ἀΐδήλως. λ. Φ. 220.

457. Ἐρχομένων ἄπο.) Ita de his progredientibus aeris splendor emicabat, vel de horum armis eminebat quasi jubar quoddam, ut sit ἀπὸ χαλκῦ. Θεσπέσιον significat certe admirabile & divinum quiddam, forma, natura, magnitudine sua.

460. Χηνῶν ἢ γεράνων.) Haec avium genera significavit Virgilius ita Georg. 1. 383.

Quae Asia circum.
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Cygnorum autem similitudine de copiis armatis usus est idem libro VII. Atque ex hoc λειμῶνα Ἄσιον Homerum dixisse possumus conjicere, nam & Asia prata, & Asia palus inde videtur factum: intelligetur autem pratum Asium, Lydiae pratum, unde & apud Apollonium Ἀσίδος nomine Lydia significari traditur. Et Asiam vocari citharam inventum Lydorum. Sane Herodotus Μελπομένη scribit Lydos dicere Asiam totam nominatam non ab uxore Promethei Asia, sed ab Asia nepote Manis, ἀπὸ Ἀσίεω τοῦ Κότυος τοῦ Μάνεω, de quo & tribus Sardibus vocetur Asias. Ideoque aliqui fecere hoc loco, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, esse ἀσίῳ genitivum κατὰ συγκοπὴν ab ἀσίεω, ut ἐυμελίω Πριάμοιο ιλ. δ. 47. pro ἐυμελίεω, à nominativo ἀσίης & ἐυμελίης ἰωνικῶς. Strabo in mediterranea Lydia ultra Timolum montem Austrum versus, locum esse ait nomine λειμῶνα, atque hunc designari à poëta incolas dicere, adjectione Ἀσίῳ, nam & Asiae & Caystrii heroum Lydiae lucos ibi illos monstrare.

465. Ὑπὸ χθών.) Terra resonabat ὑπότε αὐτῶν τῶν ἀνδρῶν ποδῶν καὶ τῶν ἵππων. In prato Scamandrio, à flumine Scamandri, ὃν Ξάνθον καλέσσι Θεοί. ιλ. ύ. 74. Sequuntur autem ὑπερβολικαὶ similitudines duae, muscarum & foliorum. Μυρίοι igitur innumerabiles nunc dicuntur. Ὥρη autem id est *verno tempore* κατ' ἐξοχήν, quo omnia virere & flo-

re-

rere ſolent, quod mox totum poſuit, ὥρη ἐν ἐαρινῇ.

469. Ἥϋτε μυιάων.) Intelligemus verbum, quod ſententia requirit, volitant, aut colliguntur. Γλάγος *lacteus liquor.* Διαῤῥαῖσαι *diſperdere illos cupientes.*

478. Ὄμματα καὶ.) Ad exprimendam Imperatoris eximiam majeſtatem, divinas quaſdam particulas compoſuit, quae eſſent certis in numinibus maxime inſignes. Mox aliam & ipſam illuſtrem ſimilitudinem intulit, Tauri quaſi regnantis in armento, praeſtantis animo & viribus. Victor enim & robore excellens imperio unus ſemper potitur, ut & Maro fecit. Georg. III. 224.

Nec mos bellantes una ſtabulare; ſed alter
Victus abit.

484. Ἔπετε νῦν μοι Μοῦσαι.) Invocat Muſas nunc offerente ſe difficiliore narratione, ut poëtae conſuevere. Eſtque & in hoc Maro imitatus cum ſumma dexteritate Homerum, atque etiam interpretatus in diverſis locis. Aeneidos VII. 641.

Pandite nunc Helicona, cantuſque movete,
Qui bello exciti reges, quae quemque ſecutae
Complerint campos acies, quibus Italia jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis.
Et meminiſtis enim Divae & memorare poteſtis:
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

Aeneidos libro VI. 625.

Non, mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina poſſem.

486. Κλέος οἶον.) *Sola ad nos fama pervenit.* Quod tamen & ipſum amplius etiam Maro extenuavit.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

BOEOTIA SIVE CLASSIS RECENSIO.

Separarunt hanc partem Grammatici à ſuperioribus & praeſcriptione peculiari inſignierunt. Eſtque haec valde conſpicua & illuſtris, enumerationem complectens navium, quibus claſſis Graecorum abſolveretur, & nomina, patriamque Ducum,

cum, qui ſingulis populis praeeſſent. Expreſſit autem poëta hoc loco quaſi in tabella terram Graeciae, & in hac potentiores atque nobiliores civitates, & loca illuſtriora depinxit γεωγραφικῇ quadam ἀφηγήσει, ſeu περιηγήσει. Quae nunc univerſa mutata vel deleta atque extincta potius ſunt, hiſque magis indies temporibus vaſtantur, quibus à feriſſima & immaniſſima gente Scytharum tenentur. Atque cùm de illa natione omnia, quae in terris laudem merentur, quae pulcra & expetenda ducuntur, quae immutabili quodam omnibus ſaeculis judicio praeclara vel divina etiam eſſe ſtatuuntur, quae virtutis & ſapientiae nominibus appellare conſuevimus, ea igitur, cum è Graecia, Deus in omnes terras atque nationes deduxerit ac derivarit conſervandae veteris memoriae cauſſa, in ſingulari quadam gratitudine animi noſtri, hoc tempore pictura etiam quadam ob oculos cupientum cognoſcere, Homerici ſaeculi ſtatum quendam Graeciae ponere decreveramus, ideoque omnia, de quibus adjumenta ad diſertam explicationem ſperare potuimus, magna cura & conquiſivimus & perſpeximus, inprimis Strabonis ſcripta, qui etiam Homericam quandam explanationem profiteretur. Qae utinam edita eſſent incorruptius, ita enim ſcatent mendis, ut non ſolum diligentem, ſed etiam eruditum lectorem inſiſtere innumerabilibus in locis & haerere neceſſe ſit. Nos tamen de hoc, & de aliis Graecorum libris, quorum copia nobis fieri potuit, non pauca excepiſſe confidimus, quae in Homericis declarandis non modò neceſſariam cognitionem, ſed hiſtoriae quoque quaſi amoenitatem quandam habere videantur. Verum illam picturam, de qua diximus, in praeſentia conficere vel, ut ſic dicam, procurare non potuimus. Nam adhuc per multa minus diſponebantur, & erat confuſa ratio noſtra, & alia quoque, quae nihil attinet commemorare, obſtabant nobis. Hujus tamen expreſſionem atque editionem nequaquam abjecimus animo noſtro, ac potius cogitamus brevi non aggredi tantum, ſed etiam abſolvere, implorato omnium, qui nobis opitulari poſſe videantur, auxilio atque ſuccurſione. Nihil autem habebit incommoditatis res, tabella haec, etiamſi poſt noſtrorum commentariorum lectionem demum con-

conſpiciatur, ac potius tum illa fortaſſe etiam utilius atque jucundius ſpectabitur, inferente nonnihil lucis explicatione noſtra. Sed ad rem. Boeotiam hanc partem vel catalogum inſcripſere Grammatici, imitatione quadam Platonica, cujus dialogi omnes geminas habent inſcriptiones, quarum fere una eſt perſonae alicujus, quae in illo quaſi primarum partium introducitur. Ita & hanc fecere Boeotiam, à Boeotis enim orditur poëta naves & populos, & principes exercitus recenſere.

1. Βοιωτῶν μὲν.) Quaeſitum, quare orſus fuerit à Boeotis in pertexendo navium catalogo. De quo veriſſime Ariſtarchus, ita illi in mentem veniſſe forte hinc ut narrationem inchoaret, ut de initio Iliados ipſe reſpondet interroganti Luciano, temere incepiſſe ἀπὸ τῆς μήνιδος, quia illud verbum tum ſubierit. Quod ſi fuiſſet exorſus aliunde hoc loco, vel totius poëſeos aliud feciſſet principium, etiam de illo ſcilicet quaereretur, cur ita factum videretur. Fuit autem certe alicunde incipiendum. Et eſt meo judicio illuſtri uſus ingreſſione, de qua ordine pulcerrimo narrationem inſtitutam, id eſt, expoſitionem nationum & urbium Graeciae perſequi poſſet. Supra igitur à latere orientis ſolis vergente Aquilonem verſus, is enim ſitus Boeotiae, incipiens & quidem à portu noto & celebri deduxit vel circumduxit planè γεωγραφικῶς locorum deſcriptionem, quae tum in Graecia maxime celebria & clara eſſent. Plurium autem nomina, ut fit, antiquis quoque temporibus mutata fuere. Nunc vero toties capta, oppreſſa, vaſtata Graecia, nihil eſt reliquum integritatis, neque in nominibus, neque nationibus & urbibus. Quae ſi, ut merentur, deplorare vellemus, neque verba ſententiae forte deeſſent, quibus dolorem noſtrum & indignitatem rei exprimeremus, ſed neque tempus neque locus tantam immorationem tulerit, praeſertim alienioris & inculcatae diſputationis. Quod autem interdum poëta quaſi reſilit de incoepta expoſitione, neque loca locis continuat, ut cum de Aetolia ad Cretam devenit, id vel quia agmina ita ordinata fuiſſe intelligi vult, vel aliquam ob cognationem populorum illorum factum crediderim. Sed ad rem. Quinque fuiſſe duces Baeo-

tii agminis ſcribit Poëta, de quibus unum tantummodo reverſum domum è bello Pauſanias annoravit Leytum. Hyrie illis temporibus ſupra Aulidem fuit. Haec autem inſignem portum habuit, apud quam congregata claſſis Graecorum, & hinc placatis tandem ventis, cum illi aliquantiſper adverſari navigationem impediiſſent, ſoluta fuit. Scolus infra plataeas ad ripam Aſopi, de quo oppido proverbialem verſum Strabo commemorat lib. IX. p. 408. Ed. Pariſ.

Εἰς Σκῶλον μήτ' αὐτὸς ἴμεν μή τ' ἄλλῳ ἕπεσθαι.

Sub Citherone enim fuiſſe, loco aſpero & inculto, in regione dicta Paraſopia, ubi Moenades Penthea dilaniaſſe traduntur. Schoenum autem in regione Thebana, quae ſi vera ſunt, vicinitatem hoc loco Poëta plane neglexit. Scripſit autem Pauſanias Aſopum altiſſimos ſolere juncos alere, ut de his quoque nomen inditum oppido videri poſſit. Verum σκῶλος ſentium & ſpinarum eſt appellatio. Eteonos, Scarphe poſtea dicta, in tumulo ſita, unde & epipheton factum πολυκμήνου. Loca enim tumuloſa κνημοὶ vocantur, vel clivi montium, quod ſupra pedes ſint montium tendentibus ad verticem, Ἴδης ἐν κνημοῖσι. ιλ Φ 449. Nam & πόδα νείατον Ἴδης Poëta dixit ιλ. β. 331. & κορυφὰς montium. Theſpia, quae poſtea Theſpiae, ſub monte Helicone. Hae viſebantur quondam ob ſpectabile ſimulacrum cupidinis elaboratum à Praxitele, ut & Cicero Verrina ſexta, & donatum Glycerae, ut Strabo. Sed Athenaeus ita libro XIII. Phryne in Eleuſinio conventu & feſtivitate Neptuni, univerſa Graecia aſpiciente, pallam poſuit, & crinibus ſolutis in mare ſe demerſit, adque illius exemplum expreſſit Apelles imaginem Veneris, quae ἀναδυομένη dicitur. Praxiteles vero ſtatuarius, amator ipſius Gnidiam Venerem ſecundum illam effinxit. Idem in Cupidinis baſi infra ſcenam theatri, inſcripſit.

Praxiteles quem ſenſerat ipſe, expreſſit amorem,
Exemplum e propria nobile mente trahens,
Meque mei precium Phrynae dedit. Aſt ego flammas
Lumine non arcu ſpargo cupidineas.

Cum

Cum autem illi optionem dediſſet, ut eligeret de ſuis operibus, Cupididem aut Satyrum tripodibus impoſitum, acceptum Phryne Cupidinem conſecravit Theſpiis. Hactenus Athenaeus, cujus ſententiam etiam hoc adjuvat, quod Phryne Theſpienſis fuiſſe perhibetur, ut illo ſimulacro ſuam patriam voluiſſe ornare videatur. Graeca autem eſt Tanagra, de qua Pauſanias (in Boeot. c. xx.) ita, bellum enim viſum. *Tanagraei*, inquit, *ſuae civitatis originem in Poemandrum referunt filium Chraereſilai, cujus pater fuerit Jaſius filius Eleutheris, nepos Apollinis & Aethuſae, Neptuni filiae. Poemandrum autem ajunt duxiſſe Tanagram Aeoli, vel ut Corinna fecit, Aſopi filiam, quae cum vivendi mirifice longum tempus confeciſſet, homines illarum regionum mutaſſe nomen mulieris, & Anum nominaſſe, id eſt γραῖαν. Idemque nomen & urbi factum quod uſque adeo fuerit frequentatum, ut Homerus quoque fecerit in catalogo, Theſpiam Graeamque. Sed poſtea tamen illam veterem appellationem recuperaſſe.*

5. Εὐρύχορον Μυκαλησσόν.) interpretantur τὸν πλατειόχωρον. Eſſe enim χορὸν apud Homerum τὴν χώραν, ut οδ. μ΄. 3.

Ὅθι τ' Ἠῶς ἠριγενείης
Οἰνία, καὶ χοροί εἰσι.

Sed etiam in ſua ſignificatione vocabulum retinere ſimili intellectu poſſumus, ut ſint εὐρύχορα loca, quae late excurrant & quaſi expatientur. Mycaleſſi autem miſerabilem vaſtationem & cladem expoſuit Thucydides libro III.

6. Ἅρμα.) Juxta Euripum ad ſiniſtram Aulidos, eo loci Amphiaraum abſorptum terra unà cum curru fugientem ferunt, id tamen alibi accidiſſe alii perhibent, & hoc loco fracto curru Adraſti, ipſum Arionis equi virtute fuiſſe conſervatum. Pindarus fecit apertam terram fulmine Jovis, ut dehiſceret Amphiarao fugienti Periclymenum, atque ita illum ereptum fuiſſe turpitudini averſi vulneris. Fugam autem praeclara ſententia excuſat, quod fatalis vis etiam divinas ſoboles evertat. Ἐν γὰρ δαιμονίοισι, inquit, Φόβοις Φεύγοντι καὶ παῖδες Θεῶν, Νεμ. θ. Erythrae ſub Cithaerone monte, vel vicinae Hy-

Hyſiis ut Strabo, vel cum his eaedem, ut innuere videtur Eurip. Bacchis 750.

Τοίας τ' Ἐρυθρὰς θ', αἳ Κιθαιρῶνος λέπας
Νέρθεν κατῳκήκασιν.

Appellatae à filio Athamantis Erythro, ut Pauſanias Ἠλιακῶν. β'. Eileſium & Eleona & Hylen, dicta oppida à poſitu paluſtri & virgultoſo apparet. Itaque ſcribuntur & cum aſpiratione Εἰλέσιον & Ἑλεών. Sed in mediterraneis Bocotiae regionibus multa loca cluvionibus vaſtata perhibent, ipſos etjam amnes atque lacus alio defluxiſſe, & eorum, quae in catalogo memorentur, aliorum ne veſtigia quidem, aliorum ruinas tamen apparere. Peteona vicum in agro Thebano collocat Strabo, & Ocaleam inter Haliartum & Alalcomenas. Ex Pauſania etiam in vicinia apparet fuiſſe Ocaleam Theſpiarum. Medeona vicinum facit Onchesto Strabo, & ait Φοινικῶντα quoque dictum à monte Φοινικίῳ, ſub quo ſitum eſſet oppidum. Copae ad aquilonem juxta Copaidas aquas ſitae, unde & Κῶπαι, id eſt à remigio dictae creduntur, anguillis quondam celebres. Eaedem & Cephiſſides à fluvio Cephiſſo dictae, & alibi aliter, in mediae Boeotiae quaſi cavo quodam collectae & longo tractu reſtagnantes. Copaidum tamen communis fuit appellatio. Eutreſis intra Theſpias & Plataeas in agro Theſpienſi. Thiſbe, poſtea pluraliter Thiſbae, finitimae Theſpienſibus, maritima, habuit portum Thiſboeum. Coronea in colle ſita prope Heliconem, de hac ſunt Κορωναῖοι. De Meſſeniaca autem Coronaea Κορωνεῖς. In hac negant talpas non ſolum naſci, ſed ne vivere quidem illatas aliunde potuiſſe. Fuit & Haliartus appellatus ab Haliarto, ut Coronea à Corono filiis Therſandri nepotibus Siſyphi, teſte Pauſania, Copaidas aquas, quae ab illo Haliartiae feruntur appellatae illa parte ſui, & ipſe Herbidus propter irrigua aquis loca. Platea poſtea Plataeae, celebres victoria Graecorum, qua libertas Graeciae fuſis fugatiſque Perſis parta fuit. Paluſtres & ipſae priſcis temporibus, ut ipſa appellatio indicat. Πλάτη enim palma remi dicitur, etſi à Plataea Aſopi F. appellatas ſcripſit Pauſanias. Ultra Aſopum fuere varia & calamitoſa poſtea fortuna uſae. Gluſſanta ſcribunt ſub Hypato monte fuiſſe,

ſta-

ſtadiis ſeptem à Thebis ad ſiniſtram proficiſcentibus in Peloponeſum. Apud hunc praelium commiſſum inter Thebanos & eos, qui Ἐπίγονοι nominantur, poteſteritas eorum, qui duce Adraſto Polynicis ſocero ad Thebas occiderant; quorum fuit Imperator Aegialeus filius Adraſti, qui ſolus tum de ducibus interiiſſe perhibetur, ut pater antè ſolus mortem evaſerat. Thebae urbs celebris citra Aſopum verſus Euripum. Quod autem Poëta dixit ὑποθήβας, alii docuere de oppidulis vicinis Thebarum accipiendum, nam Thebas poſt expugnationem τῶν Ἐπιγόνων inſtauratas tum non fuiſſe. Aliqui Potnias ſignificari voluere, quas collocat ultra Aſopum Pauſanias (in Boeot. c. VIII.) Thebis diſtantes ſtadiis decem. Plaerique Thebanos hos fuiſſe, quos Poëta diſtinguere voluerit vallis adjectione ab incolis arcis Thebanae, quae à Cadmo primum juxta oraculum in colle condita Thebarum appellationem habuerit. Oncheſtus ultra Dircen praeterfluentem Thebarum, & ipſe appoſitus Copaidi. Habuit templum Neptuni, unde Oncheſtius ille Deus Dictus Ovidio quoque X. Metam.

Oncheſtius illi
Eſt Neptunus avus. Templum Strabo ait fuiſſe ſolum abſque luco, ſed Homerum illum locum ornare voluiſſe ſplendidiore appellatione. Arne putatur eſſe Chaeronea. Sed Grammatici hic alii aliter legere. Quidam Τάρνη (idque eſſet numeris aptius) non enim Ἄρνην Trojanis temporibus in Boeotia fuiſſe. Sed hanc Pauſanias dictam ait ab Arna filia Aeoli. Fuereque qui & hanc, & Mideam, abſorpſiſſe lacum crederent. Zenodotus, ut docuit Strabo, lib. IX. p. 493. legit,

Οἵτε πολυςάφυλον Ἄσκρην ἔχον.

Iſque videtur oblitus fuiſſe, cum ſcripturam mutaret ad hunc modum, querelarum Heſiodi de ſterilitate patriae ſuae, quae hieme eſſet infoelix, aeſtate difficilis, neque ullo tempore bona. Neque Tarna, ferendum, quae Aſiatica eſſet poëtae, κατ' ἀφαίρεσιν pro Atarna, haec vicina fuit Lesbo, & gentile eſt Ἀταρνέιτης. Mideam fuere qui ablatam eluvione Copaidos, ut diximus, putarent. Pauſanias ait eſſe Lebadeam,

primum ita dictam à matre Aſpledonis, qui & ipſe dederit alteri oppido nomen, deinde à Lebado Athenienſi. Ibi celebre fuit templum & oraculum Trophonii, ſed & in Argolide fuit Midea non longe à Tyrinthe, unde Μιδεᾶτις ἡρωΐνη Alcumena vocata fuit. Niſam fecere vicum Heliconis. Apollodorus, citante Strabone, lib. VIII. in Boeotia Niſam omnino reperiri negavit. Itaque ſcripſere aliqui, Ἴσαν τε ζαθέην. Iſus enim, priore brevi, ut Strabo ait, juxta Anthedona fuit locus auguſta ſpecie. Aliqui ſcripſere, Κρεῦσαν τε ζαθέην ſentientes eam, quae poſtea dicta fuerit Κρέουσα in ſinu Criſaeo. Non etiam nulli Φῆρας tranſcripſere, nam & juxta Mycaleſſum Pheras fuiſſe volunt. Sed has exquiſitiones non eſt cur moremur. Anthedon extrema maritima Boeotiae urbs, ad ſiniſtram Thebis ad Euripum tendenti, & ſupra illam mons Meſabion, hujus urbis cujus fuit Glaucus Anthedonius, qui herba quadam guſtata mutatus fertur in piſcem, vel ut alii ſpecioſius finxere, in Deum marinum.

18. Οἱ δ' Ἀσπληδόνα·) Orchomenios diſtinguit hos Boeotios ab Arcadicis. Nam ille Ὀρχομενὸς eſt & πολύμηλος, hic Μινύειος. Hunc poſtea Boeotium nominatum fuiſſe Thucydides ſcripſit libro quarto. Minyeum autem vocat à Mynyis gente, ita appellata à Minya filio Chryſae, qui eſſet filius Neptuni & Chryſogeniae filiae, Almi filii Siſyphi. Hinc locupletiſſimum ſcribit Pauſanias, & opulentiſſimis locis annumerare poëtam & hunc Orthomenon ajunt ιλ. ί. 381.

Οὐδ' ὅσ' ἐς Ὀρχομενὸν ποτινίσσεται.

Minyae filius fuit Orchomenus, ab hoc genti & urbi nomen factum, retenta tamen non minus antiqua appellatio. Sed Myniam ſcribit Pauſanias etiam theſaurum admirabili opere extruxiſſe. Quod niſi Graeci magis ſtuderent externis celebrandis, quam ſuis, potuiſſe non minus praeclaras expoſitiones componi de illo Minyae theſauri opere, & Tirynthiis moenibus, quam de pyramidibus Aegypti. Fuiſſe & praepotentem civitatem, ex eo intelligi poteſt, quod occiſo Clymeno nepote Phryxi filii Presbonis à Thebanis quibuſdam conjuratis in caedem illius, Erginus Clymeni filius, Thebanos

nos eo adegerit, ut coacti fuerint annuum tributum ſolvere Orchomeniis, à quo civitatem poſtea fertur liberaſſe Hercules, & valde afflixiſſe Minyas. In hac gente Eteocles filius Andrei & Euippes filiae Leuconis, neptis Athamantis, creditus Cephiſſi filius, primus fanum & ſacra inſtituit Gratiis, unde Theocritus filias iilas Eteoclis vocavit,

Ὦ Ἐτεόκλειοι θύγατρες Θεαὶ, αἱ Μινύειον
Ὀρχομενὸν Φιλέοισαι ἀπεχθόμενόν ποτε Θήβαις.

Sic enim legendum, non ut quidam temere murarunt, Ἐτεόκλειοι Χάριτες. Ἀσπληδόνα poſtea vocarunt Εὐδείελον, etjam abſque α. extulerunt aliqui vocabulum.

20. Ἄντορος Ἀζείδαο.) Clymenus habuit filium Azea, hujus fuit Actor, eque illius filia Aſtyoche furtim ſuſcepiſſe aiţ poëta Martem geminos, Aſcalaphum & Jalmenum, horum Jalmenum in reditu delatum fuiſſe in pontum, & eſſe coloniam Orchomeniorum Achaeos in ponto Strabo ait quoſdam tradere. Ὑπερώϊον dicit γυναικωνῖτιν ſeu γυναικεῖον, ubi muliebris ſexus diverſaretur, in parte domus & ſecreriore & remotiore: οδ. ά. 362.

Ἐς δ' ὑπερῷ ἀναβᾶσα σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξὶ
Κλαῖεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα.

Et paulo ante 329.

Τῷ δ' ὑπερῳόθεν Φρεσὶ σύνθετο θέσπιν ἀοιδὴν
Κεδνὴ Ἰκαρίοιο περίφρων Πηνελόπεια,
Κλίμακα δ' ὑψηλὴν κατεβήσατο ὃιο δόμοιο.

Ut dubium eſſe non poſſit, quin conclavia illa fuerint editiore in parte domus. Eſt autem ὑπερῷον, & expreſſa vocali ι. ὑπερώϊον.

24. Αὐτὰρ Φωκήων.) Tranſit ad Phocenſes vicinos Orchomeniorum poëta. Supra autem regio hoc nomine Boeotiam fuit ad Aquilonem. Dictos illius incolas quoſdam Phocenſes ſcripſit Pauſanias, à Phoco Ornytionis filio Corinthio, una aetate prius quam Aeacides Phocus eo veniſſet, à quo univerſos Phocenſes nominatos. Horum duces facit fuiſſe Schedium & Epiſtrophum Nauboli Ornitidae, ut Apollonius fecit, nepotes, filios Iphiti. Atque Schedium quidem de bello Trojano reverſum ajunt fratre amiſſo, Cypariſſum ab Anticyra diſtin-

ſtinguit Strabo, itemque Criſſam à Cirra, ſed Pauſanias, inferior quidem ille Strabone (nam vixit Adriani temporibus) facit Cypariſſum Anticyram, & Cirrae aut fuiſſe vetus nomen Criſſae, quo & Homerus uſus fuerit. Idem ſcribit & montes ſupra Anticyram & rupes habere crebas & ferre helleborum, cum nigrum ciendae alvo, tum album ad vomitus provocandos idoneum, uſum autem eſſe in medicinis radicis. Strabo autem hoc tradi ait, laudatum helleborum naſci in Anticyra Oetaea ad ſinum Maliacum, verum ad medicationes apparari ſingulari artificio in Phocide. Ideoque multos proficiſci Anticyram Phocenſem indigentes curationis & purgationis. Reperiri autem in Phocica medicatum ſemen, Seſami ſimile, quo adhibito temperari ſoleat helleborus. In Stephani epitome legitur fuiſſe Cypariſſum ab aliquibus & Apolloniadem vocatam. Python autem, quae etiam Πυθὼ, ut Πυθοῖ ἐν ἡγαθέῃ. οδ. θ. 80. Urbs in monte Parnaſſo ſita, quae, ſimiliter ut incolae, Delphi dicta. Sacra Apollini, cujus celeberrima oraculorum ibi veluti officina fuit. His nihil verius credebatur. Unde & Cicero Bruto ſcripſit Epiſt. 2. *Haec ex oraculo Apollinis tibi edita puta. Nihil poteſt eſſe verius.* His reddendis praeerat ſacerdos, quae Pythia vocabatur. Haec interpres Dei reſponſa dabat furens, inſiſtens tripodi in antro. Quae omnia veterum ſcriptis ſunt celebratiſſima. Appellatam urbem à ſciſcitando, quod eſt πυθέσθαι, priore poſtea producta ſyllaba, ut in ἀθάνατος & διάκονος, magis probatur, quam à corruptis & putrefactis illo in loco ſerpentis oſſibus confixi jaculis ab Apolline, quem fuiſſe Delphinem nominatum volunt & ex eo Delphos. De priore autem appellatione ludos Pythia ducunt, ut Ovidius quoque primo Metamor. Verum hoc ποιητικώτερον. Itaque & in Homerico hymno in Apollinem, & fuiſſe ſerpentem foeminam, & illic tabuiſſe interfectam dicitur, v. 372.

Ἐξ οὗ νῦν Πυθὼ κικλήσκεται.

Delphinium autem Apollinem ibidem legitur ex eo cognominatum, quod Apollo Delphinis ſpecie in navem Cretenſium inſiluerit, eamque appulerit in Criſſaeum ſinum, ut eſſent qui curarent templum ſuum. Pauſanias à Delpho filio Apollinis

linis & Celaenus vel Thyae nomen loco factum tradere quosdam scripsit. Itidemque Pythona vocatam à Pythe filio Delphi. Daulis septem stadiis Panopeo, qui postea Phanoteus dictus, distans, nemorosus locus, & ex eo nomen reperit. Δαῦλον enim δασύ. Hic Terea generum Pandionis illa scelera designasse volunt, quae poëtae memorant, non in Thracia. Philomelam autem in hirundinem fuisse Phocenses credidere mutatam, non Procrin. Cui cum transformatae quoque in avem Tereus esset terribilis, ita reliquisse illa loca, neque omnino in Daulide apparere hirundines. Sed Philomelam plaerique luscíniam factam tradidere, ideoque miratur Martialis, eam esse garrulam avem, quae muta puella fuerit. Anemoria, quae & Anemolia, fines Phocidis & Delphorum, a ventis dicta, quorum impetu procellae & grandines de propinqua rupe, cui nomen Κατοπτηρίῳ, id est speculae, in illam deferrentur. Hyampolis, quae primum Ὑάντων πόλις, tenuere enim Hyantes, Thracica gens, pulsi ex Boeotia à Cadmo, intra Abas & Opuntem in via. Cephissus fluvius sinuoso flexu per Phocida fertur, oritur juxta Lilaeam, quae abest Delphis millibus decem, & influit in aquas Copaidas. Strabo annotavit, Cephissos esse septem, in Phocide, in Attica, in Salamine, Sicyone, in Scyro, Argis. Et Apolloniae, quae est vicina Dyrrachio, fontem hoc nomine. Significari autem vel unam civitatem eorum, qui dicerentur παραποτάμιοι, & ἐπικηφίσσιοι, vel etiam plures in ripa fluminis, recte ut opinor, poterimus accipere.

34. Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν) Sequuntur Locri, qui cognominantur Epicnemidii, à Cnemide rupe. Sed Poëta hos ita distinxit ab aliis ejusdem nominis, ut oppositа loca habere Euboeae diceret. Sunt enim & Hesperii, qui Ozolae quoque, & Opuntios etiam ab Epicnemidiis separaverunt. Sed Epizephirii coloni τῶν Ὀζολῶν, In Italia. Cynus navale Opuntiorum. Opus Patroclis patria, quae & Ὀπόεις, ut Σιμόεις & Ἀμαθόεις. Sed Φλιοῦς suae formae est, unde & Φλιάσιος gentile dissimile habet illorum, etsi Φλιάντιος quoque Stephani epitome habet. Calliaron vastum fuisse suis temporibus Strabo ait. Nomen habere putatur à fertilitate & cultu εὐήρο-

τος

τος ὢν. Beſſa à poſitu dicta ὅτι βησσώδης ὁ τόπος, id eſt ſaltuoſus. Βῆσσαι enim ſaltus. ιλ. λ. 87. Οὔρεος ἐν βήσσῃσι. Scarphe, quae poſtea Scarphea. Augea, alia etiam fuit Laconica. Tarphe nemoroſa, nam τάρφα denſa ſunt Homero. Βαθείης τάρφεσιν ὕλης. ιλ ε. 555. Pharygas poſtea dixere. Thronium, & ipſum in ripa Boagrii fluvii, quem torrentem eſſe dicit Strabo, ſaepeque tranſiri pedibus ſiccis, ſaepe exundare ad paſſus quadraginta. Sed de duce horum Aiace Oilei filio, rejecere grammatici tres verſus, quibus ille deſcribitur, alios alia de cauſſa. Primum, quod non fuerit Telamonio hic Ajace brevior. Secundum, quod lineis thoracibus Graeci tum non uſi reperiantur. Tertium confixit Ariſtarchus ſecutus Thucydidem, qui univerſos Graecos negat uſpiam Ἕλληνας vocaſſe poëtam, atque hoc nomen Theſſalis modo & Phtiotis tribuiſſe. Sed haec fortaſſe refutare, & verſus certe bonos retinere non admodum difficile, nos tamen in his immorari alienius fuerit.

43. Οἱ δ' Εὐβοιαν.) Euboea inter alia nomina etiam Μακρίδος habuit, nam longo tractu exaequat oras Atticae, Boeotiae, Locridos, & Malienſem, fretumque hoc toto ſpacio efficit. Chalcidos pervetuſta urbs & praepotens, opibuſque & viris abundans, ideoque multae hinc coloniae cum alia in loca orbis terrarum, tum in Italiam deductae, potientibus ad huc rerum optimatibus, qui dicerentur Ἱπποβάται. Quorum imperium duravit uſque ad rempublicam ab Athenienſibus recuperatam ejecto Piſiſtrato Tyranno: fuit Chalcis & in Aetolia, & in Elide, quarum & ipſarum poëta mentionem fecit. Euboeae incolae ab Homero dicuntur Abantes, non Εὐβοῆες aut Εὐβοιεῖς. Sive ab Heroë Abante Neptuni F. ſeu à Thracia gente, quae de Abis Phocidos in inſulam invaſerit. Hanc nunc Nigropontum appellant. Eretria maxima Euboeae urbs poſt Chalcida, ultra Geraeſtum, hanc Ἐιρετρίαν dixit poëta Jonica productione, ut εἶν, εἰνάλιος, ξεῖνος. Eretriam diripuit & incendit juſſu Darii Datis, tranſtulitque illos in Aſiam ut Herodotus Ἐρατοῖ ſcripſit. Ab hac Eretrici philoſophica familia Menedemi. Iſtiaea, in verſu liqueſcit σ'. ut Ἠὼς μὲν προκόπεπλος ἐσκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν ιλ. θ'. 1. & Κλῦθι ἄναξ ὅστ'

ὅστ' ἐσσί. οδ. ε. 445. Haec prius Talantia, poſtea Oreosdicta. Cerinthus maritima. Dion promontorium contra fretum Daunium. Caryſtos marmore nobilis. In hac repertum lapidem Caryſtium nominatum ſcribit Strabo, quem carpere & nere conſueviſſent ut lanam, & inde texere mappas, quarum ſordes igne abſtergerentur, ipſis illaeſis. Fuit & in Laconica Caryſtos vino nobilis. Styra prope latomias Caryſti. Χαλκωδοντιάδης pleonaſmo α, ut Φαεθοντιάδης, ἀπὸ τῦ Χαλκώδοντος. Quod autem dicit occipitio capillato fuiſſe Euboënſes, bellicoſos innuit. Hoc autem tonſurae gentis illos uſurpaſſe primum in Graecia Plutarchus in Theſeo ait, non quidem acceptum ab Arabibus ut aliqui exiſtiment, neque à Myſis, ſed repertum à ſe, qui cominus cum hoſtibus congredi & cum illis manus conſerere ſolerent, itaque ne prehendi crinibus facile poſſent, raſa fronte in pugnas prodibant. Hac & Theſea uſum idem auctor ſcribit, & ab eo nomen ductum κουρᾶς Θησηίδος. Alexandrum etiam refert reliquis, quae fieri aliquando vellet & apparari ad praelium omnibus imperatis, hoc addidiſſe, barbae militum ut reciderentur. Nullam enim poſſe anſam dari meliorem hoſtibus. Quod autem ὀρεκτὰς μελίας his tribuerit poëta (eae ſunt fraxini, ut ita dicam, ictrices) Strabo ait ſignificare voluiſſe Euboënſes cominus pugnare & non uti fundis aut ſagittis ſolitos. Itaque de quodam inter ipſos praelio pacto, haec extare in quadam columna, μὴ χρῆσθαι τηλεβόλοις, id eſt telis quae eminus in hoſtem conjicerentur. Eodem pertinent verſus Callimachi adducti à Plutarcho in Theſeo:

Οὔ τοι πόλλ' ἐπὶ τῥξα τανύσσεται, ἐδὲ θαμειὰι
ΣΦενδόναι, ἔυτ' ἂν δὴ μώλον Ἄρης συνάγῃ
Ἐν πεδίῳ· ξιφέων δὲ πολύστονον ἔσσεται ἔργον,
Ταύπης γὰρ κεῖνοι δάιμονες εἰσὶ μάχης
Δεσπόται Ἐυβοίας δεπικλυτόι.

Addit Strabo, duplicem & haſtarum uſum fuiſſe, id eſt τῶν δοράτων. Itidemque κόντων, quae, ut opinor, lanceae ſunt, & τῆς σαρίσσης atque τῦ ὑσσῦ. Nam & manu his feriri hoſtem, & haec tela concita amentis emitti ſolita. Horum autem procliorum quae ſunt confertarum manuum, & cum pu-

pugnatur cominus armis (Graece συςάδην, & ἐγχειρὸς dicitur, & ςαδίη, etiam ἀυτοςαδίη ιλ ν'.) Horum igitur fuisse Euboënses principes, contra vero Locrenses congressus hostium vitantes poëtam introduxisse, atque copiis armatis suorum protectos sagittas emittentes in densum agmen Trojanorum, & ordines illorum turbantes. Versus factos non bene latinos, non enim his versionibus fama nobis quaeritur, subjecimus, de ιλ. ν'.

At non Aiacem Locri comitantur Oilei,
Non erat his pugnare animus quia comminus armis
Aeratis galeis qui cristatisque carentes
Non teretes clipeos gestantes, non etiam hastas
Fraxineas, arcus sed docti intendere nervis,
Iliacam petiere animis fidentibus urbem,
Agminaque immissis tum Troja densa sagittis
Turbabant, socium tecti fulgentibus armis,
Oppositum hostiles acies atque Hectora contra,
Ipsi clam post quos spargebant tela latentes.

53. Οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας.) Strabo docet intelligendum inter copias Athenienſium fuisse & Megaricas, quam regionem postea Dorienses occuparint. Erechthei populum vocat Athenienses, quem tradunt & Erichthonium vocatum, Vulcani filium & Telluris. Ab hoc Erechthidae nominantur Athenienses. Erechthei filius fuit Pandion, hujus Erechtheus minor, hujus Cecrops minor, hujus Pandion minor, hujus Aegeus, hujus Theseus, post quem regnum Athenis esse desiit, ita Pausanias. Interpretantur autem coli ab Athenienſibus Erechthea annuis sacrificiis, cujus Cicero quoque, & delubrum se vidisse & sacerdotem affirmantem introducit Cottam de Nat. Deor. lib. tertio, hujus templi & Herodotus meminit, & ipsum terrigenam vocat, id est γηγενῆ. Intelligi tamen possit ipsi Deae festivitatem instituti solitam, vel annuam, vel post certos annos, ut haec de Ἀθηναίοις, quae postea Παναθήναια appellata fuere accipiamus, minora quidem annua, majora quinquennia, instituta ab Erechtheo, & aucta à Theseo Et Herodotus Urania scribit regnante Erechtheo Athenienses vocatos, qui ante fuissent Cranai &

Ce-

Cecropidae. Meneſtheus autem perhibetur fuiſſe filius Peteo, filii Ornei, filii Erechthei. Πετεῶο factum eſt ab Πετεῶ per προσχηματισμὸν poëticum literae ο Eſt autem Πετεῶ Attica declinatio, ut ἀνδρόγεω, λεῶ· Κοσμῆσαι, *inſtruere.*

64. Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος.) Aeacus Aeginam inſulam tenuit appellatam nomine matris Aſopi filiae, cum ante Οἰνώνη vocaretur. Hujus & Endeidos filiae Chironis & Chariclus, quamvis Megarenſes Scirronis non Chironis tradiderint, filii Telamon & Peleus. Ex Pſamathe autem Nereide Phocus. Quo diſci jactu à Peleo per fraudem interfecto, cum non defenderet neque probaret Telamon patri ſe non fuiſſe participem conſilii caedis fraternae, patriam reliquit & venit Salamina. Hujus fuit filius Aiax & Teucer, ſed hic nothus ſuſceptus ex Heſiona Laomedontis filia. Qui ſine fratre reverſus (hic enim ſibi mortem conſciverat) à patre non fuit receptus, ita exul delatus in Cyprum, Salamina Cypriam condidit. Sed hic verſus:

Στῆσε δ' ἀγὼν ἵν' Ἀθηναίων ἵξαντο Φάλαγγες.

A Grammaticis configitur, repugnare enim dicunt ſequentia, in quibus neque Athenienſibus adjungantur Salaminii, & cum Aiace Theſſalicae naves conjungantur. Atque ajunt diſcepantibus quondam Athenienſibus & Megarenſibus de illius inſulae poſſeſſione, verſu hoc vel à Piſiſtrato, vel Solone inculcato, viciſſe Athenienſes, quod locupletiſſime teſtem producerent Homerum, qui vetuſtiſſimis temporibus conjunxiſſet Salaminios cum Athenienſibus. Sed Megarenſes ajunt alios oppoſuiſſe verſus, in quibus nomina eſſent Megaricarum urbium, quos Homerus feciſſet, ut Strabo expoſuit. Inſula eſt ante Eleuſinem, nobilitata illa celeberrima pugna navali, qua conſilio & virtute Themiſtoclis ingens claſſis Perſarum pene deleta fuit.

66. Οἱ δ' Ἄργος τ' εἶχον.) Nunc deinceps Argolicas copias perſequitur. Atque orditur ab urbe, quae regioni nomen dedit. Annotavit Strabo Argos apud Homerum poni & per ſe, & cum adjecto, per ſe cum ponatur, non ſolum urbem, ſed etiam Peloponeſum ſignificare, ut ιλ. α. 30.

Ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Ἄργεϊ πηλόθι πάτρης.

Non enim certe urbs domus illius erat, inquit, ſed ſi fuit domus in Peloponeſo, intelligi poteſt etiam fuiſſe Argis in urbe. Nam Mycenas & Argos urbes vicinas, non enim interfuiſſe accepimus amplius VI. M. paſſ. Dccc. Ideoque à Tragicis poëtis fuiſſe nomina confuſa idem auctor indicavit, atque id certe fecere, ut in Euripidis Tragoediis cum aliis appareat, tum in Herculidis. Sed Homerus non permiſcuit appellationes harum urbium, & certe Ἀργείους univerſos Graecos vocavit. Verum epithetis loca diſtinxit, ut Ἄργος Πελασγικὸν Theſſaliam diceret, & Ἀχαικὸν, Peloponeſum. Nam ἵππιον & ἱππόβοτον communiter volunt appoſuiſſe. Πολυδίψιον quid ſit quaeſivere, ut ιλ. δ'. 171.

Κάι κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἱκοίμην.

Utrum expectatam & deſideratam patriam dixerit Agamemno μεταφορικῶς, ut apud Xenophontem, ſitire ſe ait Cyrus gratiam, quam ſuis referre poſſit. An ſit potius πολυδίψιον, aut ſine δ', πολυΐψιον, aut diremtum vocabulum interpoſita conjunctione δὲ, id eſt *exitiale*, quod πολύφθορον dixiſſe videri poſſit Sophocles electra. v. 10.

Πολύφθορόν τε δῶμα Πελοπιδῶν τόδε.

Ἴπτω enim *affligere* & *corrumpere* ſignificat. Sed haec relinquamus. Ἄργος quidem quin hoc loco ſignificet urbem in Peloponeſo, dubium non eſt, etſi Peloponeſum interpretes voluerunt. Maxima enim pars Peloponeſi attribuitur mox Agamemnoni. Hujus praeterfluentium aquarum alveos aeſtate deſiccari ſolitos ſcripſit Pauſanias, ut ſimpliciter dictum illud πολυδίψιον, *ſiticuloſum* Ἄργος, accipi recte poſſe videatur. Nomen inditum urbi idem auctor tradit, ab Argo nepote ex filia Phoronei, ante cum diceretur Ἄξυ Φωρονικόν. Argi filius fuiſſe ex pluribus perhibetur & Phorbas, hujus Triopas, Triopae gemini natu majores Pelaſgus & Jaſus, minores Xanthus & Agenor, à Pelasgo dicti fuere Pelasgi, ut & de Euripidis Oreſte apparet,

Πάλαι Πελασγοὶ Δαναΐδαι δεύτερον.

Pelaſgum autem reperiſſe ajunt panis coctūram, cum prius granis frumenti veſcerentur. Jaſi (de quo & ipſe Ἰασον Ἄργος appellatum, οδ. σ. 245. Ἂν Ἰασον Ἄργος Ἀχαιοί, quamvis

vis non urbs tantum, ſed tota regio deſignetur) Jaſi igitur fuiſſe ajunt filiam Jo, quae eſt apud Herodotum Inachi, ea in Aegypto peperit Epaphum. Epaphus Libyen, ex qua Neptunus traditur ſuſcepiſſe Belum, qui fuit pater Aegypti ac Danai. Itaque Danaus jure haereditario poſtulavit regni partem in Graecia, judicantibus Argivis, cum teneret illud Gelanor filius Sthenelae, qui fuerat filius Crotopi, nepos Agenoris, idque cum obtinuiſſet, poſteritatem Agenoris omni poteſtate ſpoliavit, & à ſe Danaos cognominavit, Pelaſgos & Argivos priore appellatione, ut & Euripides ſenſit, citante Strabone lib. v. verſus hoc docentes ex Archelao, quos aſcripſimus.

Δαναὸς δ' πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Ἐλθὼν εἰς Ἄργος ὤκησεν Ἰνάχῃ πόλιν
Πελασγιώτας δ' ὠνομασμένους τοπρίν
Δαναοὺς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκ' ἀν' Ἑλλάδα.

Ita reperitur regia nobilitas Graeciae hinc eſſe Aegyptiaca, illinc Phrygia à Tantalo, ut mox dicemus copioſius. Nam haec fortaſſe ſciri atque plane cognoſci, non inutilis curioſitatis fuerit, ac potius hiſtoriae dignae ſtudio eruditionis, atque etiam allaturae nonnullam inſtructionem ad prudentiam animis, contemplatione mutabilitatis rerum omnium, & admirabili tamen atque divina cum conſervatione tum inſtauratione & propagatione regnorum & imperiorum. Addamus igitur reliqua. Danai igitur ſcelus in fratris Aegypti filios notum eſt, qui inſidiari pudicitiae patrueles fratres virginibus ſuis denuncians, docuit ferro ſe pudicitiamque ſuam tueri, quo à patre accepto, adductos ignorantes illos in ſuos thalamos interfecere univerſos, excepto Lynceo, quem ſponſa Hypermneſtra traditur conſervaſſe. Hic poſtea regnum obtinuit Argis, deque Hypermneſtra ſuſcepit filium Abantem. Abantis fuere Proetus & Acriſius, quorum hic Argos, ille Tirynthia tenuit, quam urbem muniviſſe exquiſito opere fertur, uſus fabris Cyclopibus, arceſſitis è Lycia. Proeti filius fuit Megapenthes, Acriſii autem nepos è filia Danaë Perſeus, hic permutavit regnum cum Megapenthe, cui cum Argos conceſſiſſet, ipſe in Tirynthia regione urbem condidit Mycenas,

quo loco forte exciderat enſis capulus, qui μύκης dicitur, unde & Mycenas, vel neſcio qua alia de cauſſa nominatas volunt. Iiſdem fere temporibus venit in Graeciam Pelops filius Tantali, pulſus ab illo Phryge, vel ipſe fugiens injuſtum & intolerabile imperium patris, ut fabula impiae coenae, quam Diis dederit contruncato filio, innuere videtur, nec ſolum virtute regnum in Graecia obtinuit, ſed opibus & divitiis quibus inſtructus adveniſſet, ut Thucydidi placet. Hic & Oenomaum filium Alxionis, vel ut poëtae prodidere Martis & Harpinnae Aſopidos, Piſae regno ſpoliavit, & affinitate conjunxit ſibi potentes in Graecia, nam & ſororem Nioben Amphioni uxorem dedit, potienti tum rerum in Boeotia, & filiam Lyſidicem Alcaeo, & Nicippem, ſive ut alii Antibiam, vel ut alii etiam Aſtydamiam Sthenelo, Perſidis. Non enim pecunia modo abundaviſſe, cujus magnam vim in Europam ex Aſia attuliſſet, ſed numeroſa ſobole quoque eum principatum putatur obtinuiſſe, ut de ſuo nomine etiam regioni nomen imponeretur, & Peloponeſus vocaretur. Sed Mycenaeum regnum, illo enim revertendum, tenuit Euryſtheus, quem etiam Argis natum ſcripſit Homerus. ιλ. τ'. Alcaeus vero, qui eſſet Perſei filius, ut eſt in Hercule furente, pater Amphitryonis, Tiryntha, atque hujus frater Electryon, pater Alcumenae, Mideam tenuit. Nam Perſei filii quatuor, quos ex Andromeda ſuſceperit, à Graecis nominantur, Alcaeus, Stheneleus, Meſtor, Electryon. Herculem autem accepimus fuiſſe filium Jovis & Alcumenae, quae eſſet nupta cum Amphytryone filio, ut diximus, Alcaei, qui & Ἀλκεύς, unde Hercules Ἀλκείδης dicitur Sed cum hoc nuptam fuiſſe Lyſidicen Pelopida ſupra memoravimus, ita enim aliqui tradidere, verum cum perhibeatur & Alcumenae matrem fuiſſe Lyſidicem Pelopis F, ita conjuges Amphitryo & Alcumena eandem matrem habuerint, quod abſurdum videtur. Quare iis accedo, qui, ut Pauſanias Arcadicis tradit, fecere Amphitryonem filium Alcaei & Laonomes filiae Gunei mulieris Pheneatidos. Ita genealogiae hae fuerint, ut ſubjecimus.

Jup-

Juppiter Danaë Acrisione
Perseus Andromeda filia Cephei Palaestini
Alceus, Laonome. Electryon Lysidice
Amphitryo Alcumena
Herculus

Ita reperitur manifesto Hercules Persides & Pelopides. Eurystheus autem & ipse Persides ac Pelopides hoc pacto.

Perseus Stheneleus Eurystheus.

Sed aliqui interposuere Thessalum avum Eurysthei, ut Stheneleus sit Persei nepos, quod mihi quidem probatur. Nam sic praecise aequalis fuerit Herculis Eurystheus, ut debet esse juxta Homerica ιλ. τ'. Quamvis repererim à plurimis tradi Stheneleum Persei filium, fratresque ipsius nominari, Mestorem, Alcaeum, Electryonem. Sed Eurystheus proficiscens ad bellum in Atticam adversus posteritatem Herculis, quam defenderet Demophon filius Thesei consobrini Herculis, (nam Thesei mater Aethra neptis fuit Pelopis filia Pitthei, qui Troezena tenuit, non solum fortis vir, sed etiam sapiens atque eruditus, quippe quem etiam libros primum composuisse memoriae proditum est, similiter & Alcumena Herculis mater neptis fuit Pelopis, ut est dictum) contra Herculidas igitur ad bellum proficiscens Eurystheus, regnum suum commisit atque tradidit affini suo Atreo, qui illo interfecto ipse tenuit, sic Mycenae Pisatis posteritati Pelopis accessere. Accessere mox & Laconicae opes à Tyndareo, cujus filias duxere Atridae, ut notum est. Sed regnum Argivum in tres partes fuit divisum, regnante, ut Pausanias vult, Anaxagora pronepote Proeti, nam tum demum liberatis Argivis mulieribus insania à Melampode, & hunc & fratrem Bianta in communitatem regni scribit assumtos esse, id quod alii in tempora Proeti retulere, cujus filias furentes sanaverit Melampus, pactus partem regni, quam mox cum fratre dimiserit. Cum Biante fuit nupta, Pero Nelei filia. Sed series talis reperitur triplicis generis:

Βιαντίδαι	Μελαμποδίδαι	Ἀναξαγορίδαι
Bias	Melampus	Anaxagoras
Talaus	Antiphates	Alector
		Iphis

Adraſtus	Oiclas	Capaneus
Aegialeus	Amphiaraus	Stheneleus
Cycinippus	Amphilochus	Cyllacabes.

Verum τῶν Ἀναξαγοριδῶν hi majores fuere, Proetus, Megapenthes Argivus, qui eſſet pater Anaxagorae. Ex his apparet Amphiaraum fuiſſe minorem natu Adraſto & Capaneo, à quo & pulſum regno Argivorum Adraſtum Sicyona fugiſſe ad avum maternum Polybum, ajunt, eoque defuncto tenuiſſe regnum Sicyonium, & Sicyone Adraſtum ſepultum fuiſſe Herodotus ſcripſit Τερψιχόρῃ. Poſtea ferunt gratiam inter Amphiaraum & Adraſtum reconciliatam, & inſuper affinitatem junctam fuiſſe, tradita Eriphyle ſorore Adraſti in matrimonium Amphiarao. Jam ſi Iphis, ut fecit in Supplicibus Euripides, idem fuit Euadnes pater, quem ſupra expoſita generis ſeries facit fratrem Capanei, fuit cum hoc nupta fratris filia. Exponuntur haec ab aliis paulo aliter, ſed ego nihil his, quae commemoravi, neque certius neque magis conſentaneum reperi. Atque hinc etiam manifeſtum fit, qua ratione ad Diomeden Argiva res pervenerit, cum fuerit Aetolus Habuit enim Tydeus filiam Adraſti uxorem, Diomedeſque fuit nepos illius, & una cum Euryalo tutor filii Aegialei, qui Cyanippus vocaretur. Quo mortuo abſque liberis tenuit regnum ſolus Cyllarabes filius Stheneli, qui cum neque ipſe liberos reliquiſſet, ita Oreſtes Myceneus Argos occupavit, qui & vicinus eſſet, & auxiliis adjuvaretur cum Spartanorum, tum Arcadum, atque Phocenſium. Jam etiam hoc traditur. Pelopidis rerum potientibus in Peloponeſo & in ditione ſua tenentibus regionem Argivam fere totam; cum abeſſet Diomedes in Aetolia opemque ferret patri atque ulciſceretur inimicos illius, filios Agrii, qui patruum regno expuliſſent, ut Pauſanias Κορινθιακοῖς, poſtquam inciderit expeditio belli Trojani, veritum Agamemnona ne Diomedes, interea dum abeſſet, Argos repeteret. Audierat enim habere illum magnas copias, ad ſocietatem belli, & poſſeſſionem urbis Argivae eum revocaſſe, retulit hoc Strabo libro decimo. Fuit autem vetus appellatio incolarum urbis Argivae & Spartanae, ut Achivi dicerentur ab Achaei filiis Archandro

dro & Architele generis Danai. Nam filiis fratris interfectis, cum nemo appeteret nuptias pollutarum caede virginum, obtulit illas ducere volentibus pater sine muneribus & donis, hoc est ἀναέδνως, ita maritos aliae aliunde repererunt. Achaeus autem fuit Xuthi filius & Creusae Erechtheidos, Xutusque habuerat patrem Hellena filium Deucalionis, à quo & Ἕλλας appellata in Thessalia, potiente autem rerum Tisameno filio Orestis, & Hermiones, Dorienses posteritas Herculis coacto exercitu paternum & majorum suorum hereditarium regnum repetiere, ductoribus Aristomachi filiis Temeno & Cresphonte, & nepotibus filiis Aristodemi Eurysthene & Patrocle. Etsi Herodotus Ἐρατοῖ scribit, dicere Lacedaemonios ductorem suum fuisse ipsum Aristodemum, filium Aristomachi, qui patrem habuit Cleodaeum, avum Herculem, siquidem Cleodaeus filiius Hylli fuit, quem Hercules susceperat ex Dejanira, filia Oenei. Jure autem optimo illa loca repetere se dicebant Dorienses, quod essent non solum Pelopidae, ut Atridarum posteritas, sed etiam Persidae. Tisamenus igitur Argis & Sparta ejectus, illa loca occupavit, quae tum Jones tenuere, maritima plaeraque, unde & Aegialus regioni nomen factum videtur, magis quam ab Aegialeo rege. De quo mox dicetur, ubi nominatas civitates ab Homero hoc loco singillatim persecuti fuerimus. De Argis autem satis dictum. Intra hos & Epidaurum fuit Tiryns, de qua & ipsa mentio supra habita. Hermione fuit intra Isthmum in vicinia Troezenis, interpositis jugis montium. Hic esse ad inferos descensum facilem, proverbio jactari solitum, scripsit Strabo, quia sepelirentur mortui sine naulo, quod alibi apponi illis in Graecia soleret. Asine ad dextram Masetis maritima, distans Masete ad XXXVI. M. P. Troezen nobilis quondam urbs, & portu insignis, cujus nomen Pogon, de quo proverbium natum in glabros, ut juberentur Troezena petere. Haec sacra fuit Neptuno, cui & primitias frugum offerre soliti fuere, & monetam signarunt tridente. Strabo ait appellatam à Troezene fratre Pittheï, qui ante hunc regnum illius tenuerit & à se nominarit. Epidaurus ante dicta Epitaurus, Aesculapii numine celebris. Ubi templum fuisse illius scribit Strabo plenum tabellis, in qui-

quibus curationes essent perscriptae, quales extiterint & Triccae & insula Co. Aegina autem insula ante Argolida non ignobilis, quamvis & loci hoc nomen in Epidauria regione, sed insulam nominasse Homerum indubitabile esse volunt, ideoque & scripturam mutasse quosdam Strabo indicavit, ut non οἵτ' ἔχον Αἰγιναν legerent, sed νῆσον τ' Αἰγιναν. In hac Phidonem primum argentum signasse tradidere. Ad Masetis urbem iter fuit quondam ex oppido Hermiones, videturque sita fuisse intra Troezenem & Epidaurum μεσάγειος ἔσα. Capaneo autem non temere epithetum ἀγαπλειτοῦ addidisse poëtam credibile, qui apud Euripidem:

Οὐκ ἔλασσον Ἄρεως εἰς μάχην Φρονῶν.

Etiam invito summo Jove urbem Thebarum expugnaturum se gloriatus fuit.

76. Οἱ δὲ Μυκήνας.) Mycenas conditas fuisse à Perseo diximus, hanc potentia atque opibus quondam civitatem sibi aequalem Argivi deleverunt, invidentes illi gloriam societatis belli Persici. Miserat enim octoginta cives auxilio Lacedaemoniis in Thermopylas, cum Argivi quiescerent, vel oraculo jussi, quod apud Herodotum extat Πολυμνίᾳ, vel alia quacunque de causa. Corinthus urbis nomen notum, hujus arx Acrocorinthus dicta fontem limpidissimum habuit, Pirenen. Emporium fuit celebre, Horatius Corinthum bimarem dixit, loci autem oportunitate divitiae illi & opes partae, ob quam & dirutam Cicero vult à Romanis duce L. Mummio. Hanc restituit postea Augustus. Fuere cum aliae coloniae hujus civitates, tum Syracusae in Sicilia, quam deduxit Archias. Eadem meretricibus, ut fit in otio & abundantia rerum, nobilis, de quarum & aliarum voluptatum atque delitiarum impensis proverbium natum: Multis esse inaccessam Corinthum. Fuere autem plaeraeque meretriculae Corinrhiae perfacetae, ut illa, quae reprehensa, quod minus sedulo telam detexerit, immo ego hoc parvo tempore, inquit, τρεῖς ἱστοὺς κατεῖλον. Significabat autem se spoliasse atque evertisse tres naves, nam ἱστὸς & malum navis & telam notat. In hac & Lais illa Talantiaea floruit, quam fuisse tamen Corinthiam negant, priscam appellationem fuisse Ephyram volunt, ut ιλ.

ζ. 152. Ἔξι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος, ἱπποβότοιο, ductam ab Ephyra filia Oceani. Corinthum autem dictam à Corintho filio Marathonis, ut Sicyona quoque ab ejusdem Marathonis F. refertur à Pausania. Cleonae fuere intra Corinthum & Argos in via, has peculiariter ductas putat Strabo εὐκτιμένας à poëta, quod non solum opere, sed natura quoque munita urbs esset. Orneas à praeterfluente appellatas ait Strabo. Abfuere Argis versus Sicyona & Phliuntem. XVI. M. P. Araethyrea, quae & Arantia, postea Phlius dicta. Sicyon Mecone quoque dicta prisco nomine. Haec nobilitata veteribus fuit, ut Homerus quoque docet, cum dicit in ea regnasse Adrastum, de quo superius memoravimus. Et illustre exemplum posterioribus temporibus humanitatis & virtutis tulit Aratum. Ab hac & Sicyonii calcei delicatioris operis. Hypereſiae, postea Aegira. Gonoëssa, intra Hypereſien & Pellenen. Hujus verum nomen Donussam fuisse Pausanias scripsit, sed Pisistratum vel ipsum, vel amicum aliquem ipsius, cui colligendorum carminum Homeri negotium dedisset, ignorantem hoc fecisse Γονόεσσαν, cum esset verum nomen apud Homerum Δονόεσσα. Pellene, finitima Sicyoniis, ultima civitas Achivorum. VIII. M. P. à mari, fuit & vicus hoc nomine, ubi Loenae multiplices texerentur, ut proverbio quoque celebratae fuerint, Πελληνικαὶ χλαῖναι, & χιτὼν Πελληναῖος. Pallene autem Thracica fuit. Aegion, celebre fabula Jovis à Capra enutriti. Helice urbs maritima Aegio distans ad V. M. pass. absorpta fluctibus, sicut & Bura annis duobus ante pugnam Leuctricam, ut annotavit Strabo. Intumescens autem unda terrae motu incitata, abstulit & urbem, & vetustum fanum Neptuni Heliconii. Aegialon autem totum, dicit reliquam oram Achajae complexus loca maritima illius hac appellatione, quae & ipsa Achajae fuit, ut supra diximus, magis à positu facta, quam ab alicujus regis nomine, ut videtur.

86. Κυδιόων.) *Superbiens, hoc se magnifice efferens.* Atque putat Thucydides magis potentia Agamemnonis coactum exercitum illum, quam religione conjurationis factae ante nuptias Helenae, de qua supra retulimus, & Pausanias ita in

Laconicis cap. xx. Προϊοῦσι δὲ Ἵππος καλούμενον μνῆμά ἐστι. Τυνδάρεως γὰρ θύσας ἐνταῦθα ἵππον, τοὺς Ἕλληνας ἐξώρκωσε μνηστῆρας ἰσχὺς ἐπὶ τῇ ἵππῳ τῶν τομίων· ὁ δὲ ὅρκος ἦν, Ἕλλῃ καὶ τῷ γήμαντι προκριθέντι Ἕλλῃν ἀμύνειν ἀδικουμένοις, ἐξορκώσας δὲ τὸν ἵππον κατώρυξεν ἐνταῦθα. *Hinc progressis occurrit monumentum, ut vocant, Equi. Nam Tyndareus hoc loco immolasse equum traditur, & adductis ad prosecta procis sacramento omnes adegisse tali: Velle ab Helena, & eo cui data fuisset, universos vim & injuriam propulsare. Atque ita sacramento dicto defodisse equum illo in loco.* Sane verisimile fit, non tam ut fratris injurias & Helenae raptum ulciscereturr, exercitum coëgisse Agamemnonem, quam ut Persidis hac etiam in parte non inferior videretur, qui duce Hercule Asiae bellum intulissent, & coepissent Ilium, potiente rerum Laomedonte. Sed haec fortasse parum ad institutum.

88. Οἳ δ' εἶχον κοίλην.) Lacedaemona hoc loco manifesto regionis nomen est, in qua urbs Sparta fuit, ut Herodotus quoque Πολυμνίᾳ. Docet autem Strabo, & alii apud poëtam, & urbem Lacedaemona vocari, & ita certe postea communiter dicta fuit. Sed quid est κοίλην, κητώεσσαν? Cavam Lacedaemonis esse regionem tradidere, & est à Strabone expositus Euripidis hic versus de Lacedaemone.

Κοίλη γὰρ ὄρεσι, περίδρομος τραχεῖά τε.

Et fertur priscis temporibus illam palustrem fuisse, donec Eurotas aquas ad mare deduxerit, de quo & fluvio nomen inditum. Hic fuisse perhibetur Myletis filius Lelegis indigenae regis, â quo illa gens Lelegum vocata sit. Sed Mylete sine prole mascula defuncto, regnum occupavit Lacedaemon filius Taygete & Jovis, hic uxorem habuit Spartam Eurotae filiam, & à se regioni, à matre monti, ab uxore ubi nomen fecisse traditur. Gentile à Sparta est Spartiates Graeca forma, & Latina Spartanus. A Lacedaemone συγκεκομμένον Lacon, & Lacaena foemininum Sed κητώεσσα significare putatur amplam regionem. Nam & Cete grandia sunt, atque haud scio an liceat accipere piscosam, hoc mutarunt aliqui & fecere, καιετάεσσαν, quo Nepetae ferox regio significetur.

Καιέ-

Καιέταν enim Boeotos appellare, quam alii Graeci καλαμίνθην. Vel quod esset voraginosa de crebis terrae motibus. Voragines enim dici volunt καιετὲς, indeque καιάδα baratrum Lacedaemoniorum esse nominatum. Civitas fuit Lycurgi legibus, ut Herodotus scribit, de dissolutissima redacta ad gravissimam, itaque disciplina Lacedaemoniorum nulla sanctior habita, hanc Cicero alicubi laudans septingentos annos amplius unis moribus & nunquam mutatis legibus usos dicit. Fuit tamen illorum excellentia rei potissimum bellicae, unde non abfuerunt etiam culpandae cupiditatis potentiae. Haec cesserat in sortem Aristodemi filiis, Eurystheni & Patrocli, indeque & familiae Patroclidarum, qui postea & Eurypontidae dicti, & Eurysthenidarum ductae. Pharis, ultra Eurotam mare versus. Sparta, decliviore loco sita sub Taygeto nte, quae absque muris fuit usque ad cladem Leuctricam. De hac oraculum editum, avaritia perituram, cujus initium fertur.

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ.

Idque periculum impendere omnibus opulentis civitatibus ait Cicero. Messe, quae esset, dubitatum. Alii eam, quae Messoa diceretur, hanc tamen Locanicam negat esse urbem Strabo, isque putat per Apocopen ita dixisse poëtam Messenen, quae ad Loconicam pertinuerit, ita ut idem κρῖ, τὸ κρῖμνον, & δῶ τὸ δῶμα, & alia hujusmodi affert multa: μὰψ, μαψιδίως, ἄλκιμος pro ἀλκιμέδων. Itemque Hesiodo, βρῖ, pro βριθὺ seu βριαρὸν. Sophocli ῥᾷ pro ῥάδιον. Epicharmo λί, pro λίαν, & συρακὼ pro συρακῶσαι. Empedocli ὄψ pro ὄψις Antimacho ἄλφι pro ἄλφιτον. Euphorioni etiam ἦλ pro ἦλος. Philetae ἔρι pro ἔριον, & Arato πηδὰ pro πηδάλια. Simmiae Δωδὼ pro Δωδώνη. Sed hujusmodi multa reperiuntur, concisa & abscisa, quibus hoc Μέσση pro Μεσσήνη, si videatur, simile sane faciamus, etsi negatur fuisse hoc civitatis nomen sed regionis, ante quidem reductos Messenios in patriam à Thebanis duce Epaminonda. Quin etiam in Odyssea poëtam regionis hoc nomen non urbis manifeste facere volunt, ut Pausanias quoque asserit, adducens illa de οδ. γ'. 488.

Ἐς

Ἐς Φῆρας δ' ἵκουτο Διοκλῆος ποτὶ δῶμα
Τιέος Ὀρτιλόχοιο, & od. Φ. 15.
Τὼ δ' ἐν Μεσσήνῃ ξυμβλήτην ἀλλήλοιϊν,
Οἵκῳ ἐν Ὀρτιλόχοιο δαΐφρονος.

Dici enim Pheras Meſſeniacas, id eſt urbem in regione Meſſeniorum Pheras. Bryſſiae, ultra montem Taygetum. Augiae, ad dextram, Sparta tendentibus ad mare, à Gythio diſtantes quatuor. M. P. Hae dictae Aegiae poſtea traduntur. Amyclae & ipſae ſub monte Taygeto ſitae, nomen habuere ab Amycla filio Lacedaemonis patre Hyacinthi, quem ab Apolline amatum & fortuito ictu diſci necatum fabulae ferunt. Fuitque monumentum Hyacinthi Amyclis in Apollinis templo infra illius ſimulacrum. Ab Amyclis Amyclaides & Amyclae ſoleae exquiſitioris operis & ferratae dictae fuerunt, forte quae eſſent gentis appellatione Laconicae, & canes Amyclaei. Horum colonia Amyclae in regione Cajetana, quas *tacitas Amyclas* Maro dixit lib. x. 564. alludens ad proverbium, ut videtur, *Amyclas ſilentium perdidiſſe.* Fuit autem Laconica una de urbibus centum, quae in Lacedaemonia quondam floruiſſe perhibentur, ideoque & ἑκατόμπολις vocata. Sed illam defeciſſe frequentiam jam ſuis temporibus, Strabo ſcripſit, uſque adeo, ut praeter Spartam non eſſent plura quam triginta numero in ea oppidula. Helos, maritimum oppidum juxta Alpei oſtium, ab Helio Perſei filio natu minimo. Hoc primum expugnaſſe Dorienſes ſcribit Pauſanias, & ſervitio incolarum uſos, qui dicti fuerint Εἵλωτες, eoque nomine communiter ſervitia Laconica poſtea appellata. Hoc Strabo regnante Agide Euryſthenis F. eſſe factum ait, fuiſſeque ſervitutem illam certam atque definitam, ut illos neque liberare dominis, neque vendere externis liceret. Laas eſt Las, ad dextram Gythii diſtans ab hoc ad v. M. P. à mari paſſ. M. ccc. In hanc Theſea cum rapuiſſet Helenam ajunt ſe recepiſſe, quam cum Dioſcuri coepiſſent, fuiſſe cognominatos Λαπέρσας. Oetylus, fuere qui legerent ᾗδ' οἳ Τύλον, ut fieret nomen urbis Tylus. Pronunciarunt autem Οἰτυλον ut δάκτυλον, & Οἰτύλο ut ἡδύλον.

94. Ἀπάτεθρε δὲ) Non fuiſſe fratrum copias permiſtas, ſed

ſed diſcretas ait poëta. Ἑλένης autem ὁρμήματα, nos *raptus* vertimus, ut ſupra quoque indicatum eſt, cum interpretes curas & aerumnas ſignificare vocabulum velint.

98. Οἳ δὲ Πύλου τ' ἐνέμοντο.) Tres Pylos fuiſſe etiam proverbiali verſu oſtenditur.

Eſt Pylus ante Pylum, eſt ultra hunc etiam Pylus alter.

Sed eum qui cognominetur Triphyliacus ſeu Lepraeaticus, vel etiam Arcadicus, ſumendum ait Strabo pro Neſtoris patria, qui habet epitheta Homerica, ἠμαθόεντος & urbis Nelei. Sequimur autem Graecos in uſu generis, etſi illi quoque non ſemper forma maſculina utuntur, nam Latini ſuo more foemininam fecere Pylon, ut Corinthum, juxta hoc:

Et Nelea Pylos, neque adhuc Pittheia Troezen.

Neſtoris igitur Pylus Triphyliacus, non Eliacus neque Meſſeniacus, ſecundum Strabonem, qui etiam docet hunc abfuiſſe à mari circiter quatuor M. P. Et Alpheum fluvium per Triphyliam & Piſatida ferri, neque uſquam vel Meſſeneum vel Elida, quam cavam dixerint, attingere, & hanc totam regionem uſque ad Meſſenen Homerum appellaſſe eodem, quo urbem, nomine Pylon. Nam poëtam hoc facere in mentionibus locorum, paucis exceptis, non tam ut oppida, quam nationes & populos nominet, de quibus poſtea civitates conſtitutae fuerint. Sed Pauſanias Μεσσηνιακοῖς, Meſſeniacum Pylum attribuit Neſtori ſub Coryphaſio ſitam, ubi & Neſtoris domum demonſtrari ab incolis ſolitam ait. Et dictum putat ἠμαθόεντα à ſabulo, ſolum enim fuiſſe tenue & arenoſum, verum in ſecundo Ἠλιακῶν transfert in Eliacam Pylon. De epitheto autem & Strabo quaerit. Nam ſui Pyli neque fluvium neque terram arenoſam eſſe vult. Sed quia ſit illud littus anguſtum &, ut ipſe ait, θινῶδες appellatum ἠμαθόεντα credibile putat. Quin etiam ab amne praeterfluente, quem alii Pamiſſum, Amathum alii vocent, epithetum ductum videri poſſe cenſet. Arene appellata ab Arene filia Oebali, uxore Apharei, Samicum poſtea. Arcem fuiſſe Strabo Arenes putat, & Sami appellationem ex re obtinuiſſe, σάμος enim edita loca dici. Ducitur autem conjectura, cum nuſquam reperiatur alibi Arene, à fluvio Anigro, qui ſit Minyeus

nyeus apud poëtam, juxta cujus ostium Arenem fuisse alibi dicitur,

Ἔςι δέ τις ποταμὸς Μινήϊος εἰς ἅλα βάλλων
Ἐγγυθεν Ἀρήνης. ιλ. λ'. 720.

99. Θρύον.) Ea Thryoëssa alibi, in colle sita. ιλ. λ'. 710.

Ἔςι δέ τις Θρυόεσσα πόλις αἰπεῖα πολώνη.

Haec ab herba dicta, quam θρύον Graeci vocant, postea epitalium, in vado Alphei, hoc enim loco pedibus adhuc ille transitur fluvius Alpheus, ut Strabo scripsit. In Arcadia oritur juxta vicum Aseam, ubi & Eurotae fontes sint. Ita vocatus quod aquae illius sanent vitiligines, vel ab Alpheo quodam Heliade, id est nepote Solis, in ipso summerso. Pausanias Ἀρκαδικοῖς apud Phylacum fontes esse dicit Alphei, & hunc auctum fontanis aliis aquis in campo Tegeatico demergi, & rursum exoriri Aseam confundique cum Eurota. Uterque statim ob origine terram subit, & abscondit aquas, postquam longum intervallum iterum erumpunt, & fertur hic in Pisatida, Eurotas vero in Laconicam. Influunt autem in Alpheum cum alii fluvii tum Celadon & Erymanthus ejusdem, quo mons unde oritur, nominis, isque longo tractu per Arcadiam & Pisatida fluens aquis auctis juxta Olympiam in mare Siculum defertur, manifesto, ut Strabo docet lib. VI. ostio, qui & fabulam de subterraneo meatu illius in Siciliam & commistione cum fonte Arethusae ibidem refellit, quam tamen Maro non repudiavit, quin potius cum dixisset, Aen. III. 694.

Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare.

Addit affirmationem.

Qui nunc
Ore Arethusa tuo Siculis confunditur undis.

Fabula copiose narratur Metamorph lib. v. Sed quae à Servio, vel cujuscunque illa explicatio Virgiliana est, hoc loco referuntur, per sunt futilia. Maro autem, ut vix quicquam, ita ne hoc quidem temere fecit, subter mare ferri Alpheum & cum Arethusae fonte in insula commisceri, sed poene ad verbum de veteri oraculo transtulit, quod subjecimus.

Ὀρτυ-

Ὀρτυγίη τις κεῖται ἐν ἠροειδέι πόντῳ
Θρινακίης καθύπερθεν ἴν' Ἀλφειοῦ ῥόμα βλύζει
Μισγόμενον πηγαῖς εὐριπέϊης Ἀρεθόσης.

Dicere autem εὐριπέειην videtur τὴν πλημμύρουσαν vel ὑποβρύχιον. Nam & erumpit ſtatim in mare, & in Elide mutata in fontem atque patefactis meatibus ſubterraneis perveniſſe in Siciliam fertur, quod & Maro tetigit Ecl. x. 4.

Sic tibi, cum fluctus ſubter labere Sicanos,
Doris amara ſuas non intermiſceat undas.

Vel potius ab Euripo Euboeae juxta Chalcidem, nam Chalcide fuiſſe Arethuſae dictas aquas Strabo refert. Pauſanias ſimilibus hiſtoriis hanc etiam conatur aſſerere Ἠλιακῶν ά. Aepy ubi fuerit & quare ἔυκτιτον dixerit poëta, quaeſivere. Aliquibus placuit Margalas eſſe Amphipoleos, ſed quia natura munitus ille locus non ſit, ideo ſumſere quidam in Maciſtia neſcio quem locum editum & munitum natura, ubi ſteterit iſtud Aepy. Atque hi volunt Αἰπυ dictum à poſitu, ut Ἕλος, Αἰγιαλόν, Σάμον unde Σαμικόν, de quo paulo ante. Alteri ἔυκτιτον opere munitum & eductum in altitudinem accipiunt. Ibidem, id eſt in Maciſtia & Cypariſſeis fuit & Amphigenia. Pteleon non magis habitari Strabo ſcripſit, & coloniam fuiſſe advenarum de Pteleo Theſſalico. Helos, alii locum juxta Alpheum accepere, alii oppidum, ut & in Laconica, alii poſuere juxta Halorium, ubi & Dianae Eleae fanum fuit. Dorion aliis campus, aliis mons. Nulla hujus ait Strabo extare veſtigia, quamvis aliqui locum accipiant ſignificatum ab Homero in Meſſeniae Aulone. Pauſanias etjam intra Cypariſſias & Andaniam ultra fluvium Electram verſus Cypariſſias, ruinas oſtendi ait Dorii, idem à Pylis Arcadicis quatuor M. P. fluvium abeſſe ſcripſit nomine Βαλύραν, quod in illum abjecerit lyram Thamyris, in moleſtia & dolore caecitatis. Hunc fuiſſe filium ait Philammonis & Argiopae nymphae Parnaſſidos, quae gravida cum non reciperetur à Philammone ut uxor, tranſierit in Thraciam ad Odryſſas, ideoque vocari Thamyrin Thracem & Odryſſam. Idem fabulam ἠλληγόρησεν ad hunc modum. Thamyrin poëtam amiſiſſe oculorum lumen in diuturno morbo, id quod & Homero

rò acciderit: verum hunc nihilo minus ſtudium carminis perſecutum eſſe, illum vero victum dolore & aegritudine abjeciſſe omnem curam poëticae.

103. Οἰχαλίηθεν.) Hoc etiam loco quaeſiverunt quaenam haec Oechalia fuerit, πόλις Εὐρύτε Οἰχαλίης. At hanc mox poëta manifeſte Theſſalicam facit. Sed tam longe adduci Thamyrin inconveniens viſum. Accepere igitur alii Oechaliam juxta Andaniam Meſſeniacam, alii Euboicam; ſed nos poëtam ſequamur.

104. Στεῦτο γὰρ ἐυχόμενος.) Στεῦτο volunt apud poëtam habere ſignificationem aſſeverationis vel potius jactantiae, ideoque notant illud οδ. λ'. 583.

Στεῦτο δὲ δι ψάων, πιέειν δ' ἂν εἶχεν ἐλέσθαι.

Illos enim verſus de Tantalo decem, ut adulterinos confixit Ariſtarchus, atque illud ςεῦτο inculcatorem feciſſe ajunt contra Homericum uſum. Etſi profecto origo recte ducia verbo videtur, quod ſtare ſignificet. Neque ita accipere hoc etiam loco abſurdum. Στεῦτο enim, inquit, ἐυχόμενος νικήσειν, Aſtabat jactitans ſe ipſas Muſas cantando poſſe vincere, ſi certare vellent.

106. Πηρὸν θέσαν.) Uſitata Graecis figura, ut Theocrito, Idyll. 11. v. 41.

Ἀντὶ γυναικὸς ἔθηκε πανὰν καὶ ἀπάρθενον ἦμεν.

Fecere illum caecum, πηρὸς autem laeſus dicitur quacunque corporis parte, unde πηροῦν verbum, ut Ranis

Κἄντι πηρώσω γέ σοι
Τὸν παῖδα τύπτων τἀργύριόν σοι κέιστεται.

Sed κατ' ἐξοχὴν ſignificatur maxime nobilis membri, id eſt oculorum, laeſio.

107. Ἐπλέλαθον.) Dixit activa ſignificatione, oblivionem illi objecere artis fidicinae, ita & Theocritus. Idyll. 1. 63.

Τὰν γὰρ ἀοιδὰν
Οὔτί πω εἰς Ἀΐδαν γε τὸν ἐπλελαθόντα Φυλαξεῖς.

Eſt autem ab aoriſto verbum factum cum reduplicatione, λανθάνω, ἔλαθον, λελάθω, oblivionem induco, aut memoriam extinguo.

110. Οἳ δ'

110. Οἱ δ' ἔχον Ἀρκαδίην.) Arcades vetustissimam in Graecia gentem se credi voluere, atque adeo regionem ipsam ante lunam fuisse, ut Ovidius Fastor. lib. 1. 467.

Orta prior luna, de se si creditur ipsi,
A magno tellus Arcade nomen habet.

Herodotus Arcades & Cynurios in Argolide ait solos αὐτόχθονας esse in Peloponeso, id est non adveniisse aliunde, ut reliquos populos. Et Ἀρκάδες Προσέληνοι dicti. Multae autem fuere appellationes gentis, sed maxime insignes, ut Pelasgi dicerentur à Pelasgo terrigena, qui solus in illa terra fuerit, vel potius eximius atque praestans reliquis, & unus dignus repertus, cui regnum committeretur, ut Pausanias interpretatur fabulam. Hic excoluisse nonnihil putatur vitam hominum, nihil adhuc magnopere à bestiarum vita differentem. Nam & tunicas pelliceas reperisse, & ostendisse glandium fructus hominibus, quibus admodum fuerint delectati, quod meliorem adhuc cibum gustassent nullum. Illas autem ajunt faginas fuisse, unde & Pythia βαλανηφάγους Arcades in oraculo dixit, quod extat apud Herod. Κλειοῖ. Postea appellati fuere Lycaones, à Lycaone Pelasgi F. quem in lupum mutatum fabulae tradunt, aequalem maxime Cecropis, ut Pausanias ait. Mox Arcades ab Arcade nepote Lycaonis, ex filia cui nomen Calysto. Deque hujus etiam filio Azane, Azanes, ut in oraculo, Ἀρκάδες Ἀζᾶνες βαλανηφάγοι. Regio haec meditertanea fuit Peloponesi. Nam in hujus faucibus Isthmum tenuere Corinthii, ab his maritimi Epidaurii fuerunt, & ante Epidaurum Troezena, atque Hermionem, finus Argolicus, & reliqua ora Argolidos. His finitimi undequaque Lacedaemonii, quos excepere Messenii. Nam & Messenia ad mare pervenit, ad Methonen, & Pylum, atque Cyparissias. Supra autem ab altera parte Isthmi, ubi fuit Lechaeum promontorium, vicinos habuere Corinthii Sicyonios in ultima regione Argivorum. Ultra Sicyonem fuit Achaiae Aegialos. Latus autem maritimum versus occasum Peloponesi, contra insulas Echinadas, tenuere Elei. Horum regio finitima Messeniis ad Olympiam & ostium Alphaei, Achivis vero ad Dymen. Horum igitur populorum omnium,

nium, qui marginem Peloponeſi coluere, in medio Arcades fuere, undique excluſi à mari, ideoque rei navalis plane imperiti, bellicoſa tamen natio & fortis, melior quidem in auxiliis aliorum, quam proprio Marte, unde & proverbium de iis, qui per ſe & ſoli minus valeant, ſed cum aliis bonam operam dare ſoleant, vel etiam, qui cum ſe nequeant ſua virtute extollere, alios augeant, Ἀρκάδας μιμεῖσθαι, id eſt idem facere quod Arcades. Sed nunc ad nominata loca à poëta aggrediamur. Cyllene, mons, altiſſimus in Arcadia, appellatus à Cyllene filio Elati. In hoc merulas candidas capi Pauſanias ſcripſit, Strabo ait, ad perpendiculum dimenſam hujus altitudinem alios feciſſe ſtadia xx. Hi exquiſitiſſima ratione (ſi faciamus ſtadium pedum Dc.) ſunt paſſ. bis M. cccc. Alios quindecim, id eſt P. M. D. ccc. Plinius, ut notum eſt, ſtadium docuit efficere paſſus Cxxv. ita erunt illa xx. ſtadia II. M. D. P. & haec xv. Mille paſſ. noningenti lxxxv. Sed Plutarchus in vita Pauli Aemylii, ſcribit affirmare Geometras neque altitudines montium, neque profunditates aquarum ultra ſtadia dena extendi, & Olympum tamen Eumeli dimenſione paulo altiorem repertum, cujus altitudo cum celebris ſit, Pliniuſque Dicaearchum rradidiſſe ſcribat, altiſſimum inventum Pelion, nempe paſſ. M. ccl. qui ratione Pliniana perficiunt ſtadia decem, aliter excedunt paſſ. L. Haec ergo cum ad hunc modum tradita ſint, ſuſpectus locus Strabonis ſit, non tam quidem a librarii mendo, quibus tamen editio ſcatet, quam errore auctoris. Sed haec fortaſſe alieniora hactenus attigiſſe ſatis fuerit, quamvis a liberali eruditione hujuſmodi etiam ζητήματα nequaquam abhorreant, in qua cum noſtrum verſetur ſtudium haec aliena videri non debent. Verum perſequamur nunc jam reliqua. In antro Cyllenes concubuiſſe cum Maja filia Atlantis Jovem tradidere poëtae, & ibidem natum Mercurium, unde Cyllenius vocatur, & à Marone Cyllenia proles. Sub monte autem vicino huic nomine Sepia buſtum fuiſſe Aepytium, id eſt Aepyti filii Elati, qui Sepis ictu in venatione interierit. Σῆπα autem Graeci ſerpentem vocant, parvum quidem illum, ſed tanta vi veneni praeditum, ut putredine immedicabili a ſe percuſſos perdat.

dat. Pausanias hoc se quoque genus vidisse scribit, essequę magnitudine viperae pusillae, colore cineritio, sparsis punctim maculis varium, capite laro, collo angusto, amplo ventre, cauda parvula, hos serpentes similiter ut Cerastas, idem auctor est, ingredi non directe, sed obliquo meatu ut Cancros videmus incedere. Plinius libro xx. cap. 2. scribit σῆπα latina dici millepedem, oblongam, pilosis pedibus, pecori praecipue nocivam. Quod autem Busti Aepytii mentionem fecerit Homerus, tanquam spectabilis monumenti, eo factum idem Pausanias putat, quod aliud nullum memorabilius ille cognoverit, cum ipse illud viderit, nequaquam admirabilis operis. Fuisse enim ait, tumulum terrae inclusum subjectis saxis. Pheneos, ultra montem Cyllenem versus Achaiam, intra Stymphalum & Orchomenum, non longe ab Aegiris urbe Achaica. Orchomenii autem finitimi fuere Mantineënsibus. Rhipen, Stratiam, & Enispen Strabo prorsus ignorari ait, neque si reperiri possint loca harum, quicquam hoc profuturum in tanta vastitate Arcadiae, quod si nobis obstare pati vellemus, nunquam suscepissemus hunc tractatum, in quo non minus studiose versandum puto propter cladem & calamitates terrae Graeciae, sed aliquanto etiam accuratius, ut quae temporum vis & injuria evertit, nostra memoria, quatenus licet, conserventur. Pausanias significat juxta amnem Ladona, qui in Alpheum defertur, quo loco nominatur Corvorum insula fuisse, qui dicit has insulas in Ladone quosdam extitisse suspicatos. Sed illorum opinionem redarguit, quod quidem Ladon amnis sit nulli, neque Graecorum, neque Barbarorum fluvio specie secundus, verum tam spacioſas illius aquas non esse ait, ut insulam includere possint, non majorem nave oneraria. Nonnulli in Clitoria regione has collocarunt. Tegea, celebris sepulcro Orestis, de quo Herodotus Κλειῶ, ab hac Tegeates, & Tegeaeus, ut Pan Tegeaeus. Mantinea, in magine Arcadiae contra Argivos, qua & in Arcadiam via, nobilis illa memorabili pugna, in qua Epaminondas, Lacedaemoniorum iterum victor, cecidit, confossus jaculo à filio Xenophontis Gryllo. Stymphalus, a Stymphalo filio Elati, ut Pausanias. Hanc ait

Strabo quondam juxta Paludem Stymphalida fuisse, nondum patefactis voraginibus, neque defluentibus aquis, tum autem abfuisse à palude ad VI. M. pass. Apud hanc paludem illae perhibentur ἀνδροφάγοι volucres educatae, quarum sive extinctio, seu dispulsio inter Herculis labores refertur. Sunt & Stymphalides boves apud Callimachum, hymno in Dianam, eximio robore, sed à Stymphis regione Epirotica, non ab Arcadica Stymphalo, ut Grammatici volunt. Parrhasia, a Parrhaso, ut ajunt, filio Lycaonis. Unde fecit patronymicum cum Arcadicam vellet dicere Callisto Ovidius,

Parrhasis erubuit.

Pausanias Apollinis Parrhasii fanum collocat in monte Lycaeo ad ortum spectans.

116. Ἀγκαίοιο πάϊς) Ancaeus filius Lycurgi, Aphidantis Arcadis filii Pronepos. Fuit enim Lycurgus Alei filius, nepos Aphidantos. Ancaeus quidem inter Argonautas nominatur. Agapenor autem cum suis in reditu tempestatibus depulsus in insulam Cyprum, dicitur Paphum condidisse. Arcadibus autem mediterraneis, rei navalis studium esse non potuit. His igitur naves Agamemno suppeditat.

122. Οἵ δ' ἄρα Βυπράσιον.) Bupraſion apparet fuisse potentem civitatem in regione Elicis, sive partem hujus, quae deleta postea fuerit. Itemque Hyrmine deleta. Nomen tamen retinuit Buprasii locus, qui esset inter Elidem & Dymam in via, & Hyrmine juxta Achaicam Cyllenen promontorii nomen. Myrsinos, postea Myrtuntium maritima à Dyma Elida venientibus, distans Elide circiter. x. M. pass. Petram Oleniam, conjectura Strabo colligit esse rupem Scolin vocatam, certi enim se quicquam habere negat. Alesium, juxta Amphilochida regio montana, dicta postea Alesiaea.

125 Τῶν αὖ τέσσαρες.) Quatuor Eleënsium facit ductores, quos, ut solet, vetustissima appellatione nominat Epeos, ab Epeo filio Endymionis, quem quidem fabulae ferunt a luna adamatum, suscepisse ex illa liberos quinquaginta numero.

ro. Alii verius ſcripſiſſe putantur, fuiſſe hujus ex Hyperippe Arcadis filia tres filios, Poeona, Epeum, Aetolum, & filiam Ericydam. Ac Epeum dediſſe genti nomen hac in parte terrarum, ut duos illos & ipſos quoque aliis in locis. Sed Epei & Anaxirſes Coronidos perhibetur fuiſſe filia Hyrmina, quam impoſuiſſe & urbi nomen veriſimile, deque hac ſuſcepiſſe Neptunum Eleum, quem magnificantes genus hoc Ἥλιον, qui eſt Sol, dixere. De hoc Eleorum ductum nomen. Elei filius fuit Augias ille pecoris ditiſſimus, cujus ſtabula emundavit Hercules. Augiae Agaſthenes filius ſucceſſit, Phileus autem alter filius e patria diſceſſit in inſulam Dulichium. At Hyrmina nupſit Phorbanti filio Lapithae, peperitque Actorem, qui habuit in maritimonio Molionen, matrem Cteati & Euryti, quos poëta Neptuni fuiſſe filios ait ιλ. λ'. & ideo fortaſſe ab avo materno Molionas vocat, ιλ. tamen ψ. 638. Ἀκτορίωνες. Hi gemini fuere invicti virtute & amore fraterno, donec ab Hercule inſidiis circumventi necarentur. Poëtae autem ſignificantes incredibilem quandam voluntatem & operarum conjunctionem introduxere hos fratres cum manibus ſingulos quaternis & totidem pedibus, quod utriuſque ſcilicet alterius quaſi propriae eſſent manus & ipſius pedes. Jam Cteati fuit Ampimachus ſuſceptus de Olenia Theronice, cujus ſoror germana Euryto genuit Thalpium. Diores autem Amaryncea patrem habuit, advenam Theſſalum, virum fortem, cujus in funebribus ludis omnibus in certaminibus, praeter equeſtre, ſe victorem fuiſſe gloriatur Neſtor ιλ. ψ'. neque hoc ſolo ſe concordia & ſtudio unamini Actoris filiorum ſuperatum fuiſſe.

132. Οἱ δ' ἐκ Δουλιχίοιο) Hoc etiam loco mirifice torſerunt ſe Homerici, atque alii aliter loca nominata a poëta conſtituerunt. Sed cum alibi terrarum, atque etiam in mari multiplices mutationes accidiſſe comperiantur, tum vero harum inſularum, quae ante Aetoliam eſſent, ſuo jam tempore dimidium cum terra conjunctum, ſcribat antiquiſſimus auctor Herodotus Εὐτέρπῃ, poſſumus ſimpliciter accipere, & quidem rectiſſime, ut opinor, Echinadas plures quidem ſignificare poëtam, ſed nominare Dulichium tantum. Neque aſſen-

sentiemur iis, inter quos & Pausanias, qui in Cephalenia fuisse volunt Dulichium, quod tenuerint Πελεῖς, ut postea quidem fuerint vocati. Nam Homerus manifeste insolam Dulichium facit. Juxta hanc igitur fuere Echinae, quae & Echinades, vel ab aliquo prisco cultore, vel ab Echinorum piscium illo in mari copia, vel etiam ab acutis scopulis, ut ὀξεῖαι, quae sunt Homero θοαί ibidem sitae. Plinius Dulichium ab Echinadibus temere distinxit. Quod autem nondum Echinades omnes terrae adjunctae fuerint, putat Pausanias in causa esse vastitatem Aetoliae. Non enim posse tantam copiam limi de inarato solo a flumine advehi, quanta deferretur a culto. Strabo quidem suis temporibus, quae longissime ab ostio Acheloi distaret, inter hoc & illam fuisse circiter duo M. pass. scripsit, proximam autem non abfuisse pass. Dccc. Hujus vero auctoris aetas, ut ipse manifeste testatur, incidit in primos annos imperii Octaviani. Pausaniae autem in Adriani Imperatoris tempora, ut inter hos non pauciores anni intercedant ducentis, id quod ad historiae certitudinem non ignorari multum retulerit. Cephalenia, ante Echinades, quam Strabo vult esse eandem, quae & Σάμη, sive Σάμος à poëta dicatur, sed Plinius Samen nominat ut insulam separatim. Strabo Apollodorum ait Samon quidem & Samen urbis esse nomen apud Poëtam concedere, sed insulae Samon tantum, itaque scribendum Δουλιχίῳ Σάμῃ τε, non Σαμῇ. od. ά. 246. Putat autem Cephaleniam dictam à Cephalo Dejonei filio, qui eam tenuerit. De Ithaca quidem dubium non est, in qua Neritus mons, ut od. ί. 22.

Ἐν δ' ὄρος αὐτῇ
Νήριτον, εἰνοσίφυλλον.

Id quod significat frondium concussionem, ut Ἐνοσίχθων terrae motor, sed Νήριτος urbs fuit Epiri. Zacynthus & ipsa juxta nemoribus conspicua, ideoque a poëta ὑλήεσσα & a Marone nemorosa dicitur. Jam etiam hoc fieri potest, & verum existimo, ut insula Cephallenia postea nominata fuerit ea, quae Homero est Same. Nam Cephalenes omnes communiter vocat, quibus dux praefuit Ulysses. Crocylea, & Aegilips, & illa de Odyssea Νήριτος, in Epiri fuere Chersone-

neso,

neſo, ubi nominaretur λευκὰς ἀκτὴ, quam tamen perfoſſo Iſthmo Corinthios inſulam effeciſſe ſcribit Strabo. Epirus autem ſignificat terram, quae non, ut νῆσος, mari undique alluatur, ſed hac parte contra inſulas memoratas terra aquilonaris Epirus proprie dicta, in quam etiam potentia Ithacenſium regum ſe extendit, ut οδ. ω. Laertes inquit,

Οἷος Νήριτον εἶλον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Ἀκτὴν ἠπείροιο, Κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσων.

Verum ἀντιπέραια appellatione communi non propria, ut nos fecimus in converſione noſtra, volunt eſſe dicta à poëta loca Epiri maritima, quae inſulas iſtas ſpectarent, vel trans mare illud ſita eſſent, in Acarnania.

145. Αἰτωλῶν δ' ἡγεῖτο) Aetoli Acarnanibus vicini, interfluente Acheloo, longo & flexoſo tractu, magnoque impetu aquarum, qui cum ſaepe confunderet Aetoliae & Acarnaniae fixos terminos, Hercules, qui eſſet gener Oenei, putatur in alveum coëgiſſe aquas, ut ferretur innocentius, & minus exundatione ſua corrumperet terram propinquam παραχελωΐδα vocatam, deque hoc fabulam certaminis & luctae Herculis cum Acheloo fictam eſſe. Χαλκὶς autem ad Acheloum ſita fuiſſe traditur. Strabo montem Chalcida nominat. Sed & Pleuron & Pylene & Olenos interiere, veſtigiis tantummodo reliquis. Itaque novae erunt, quae à poſterioribus nominantur Pleurone & Olenos. Similiter & Chalcis collocata in mediterraneis locis Aetoliae, cum poëta maritimam faciat. Calydona autem, quod montanam dicat Homerus, de regione accipiendum monet Strabo, nam illa in partes duas diviſa, montanam fuiſſe attributam Pleuroni, campeſtrem vero Calydoni. Nominatur & in Britannia Calydon, & ſilva Calydonia.

149. Οὐδ' ἄρ ἔτ' αὐτὸς) Ambiguum hoc eſt, nam poſſumus intelligere ipſum tum fuiſſe mortuum Oenea, idquod veriſimile certe eſt, nepote illius jam laude belli florente. Sed fuere tamen, qui Oenea pulſum a fratris Agrii filiis veniſſe ad Diomedem tradiderint, ut Pauſanias retulit Corinthiacis, Argos, & nepotis auxilium imploraſſe. Quo facile impetrato, & ſupplicium de inimicis avi cum exegiſſet Diomedes,

medes, reduxisse secum Argos Oenea fertur, & omne studium atque curam viventi impendisse, quoque in loco mortuum sepelisset, eum de nomine illius Oenoën appellasse. Licet igitur ita etiam accipiamus,

Οὐδ' ἄρ ἔτ' αὐτὸς ἔην, βάνε δὲ ξανθὸς Μελέαγρος.

Ut poëta dixerit ἐπεξηγητικῶς, non magis fuisse Meleagrum superstitem, se jam mortuum.

152. Κρητῶν δ' Ἰδομενεύς.) Ab Aetolis occidentalis & septentrionalibus transilit ad Cretenses orientales & meridionales, & ad alias insulas, relicta nunc quidem Thessalia, quam & ipsam mox describit. Fortasse hoc etiam ideo fecit, quod a mari voluit recedere, eamque causam puto esse veri non absimilem. Ira enim insularum historia confecta, ad reliquam adhuc Graeciam, quasi de toto corpore dorsum extans revertitur, & adjunctione Thessaliae, totam illam carmine suo poëta absolvit atque perficit. Sed hoc loco quod ἑκατόμπολιν Cretam dicat, id est in qua colerentur urbes centum: In Odyssea vero ὀδ. τ'. hujus nonaginta tantum urbes faciat; credamus sane hoc loco ποιητικῶς plenum numerum positum τῶν ἑκατὸν cum tantum nonaginta essent, & ita facere poëtae consuevere, ut in significatione copiae numerum definiant, ut centum & mille faciant, tam eorum, quae hunc non assequantur, quam quae excedant. Idomeneus filius fuit Deucalionis, nepos Minois, ut dicitur ὀδ. τ'. Gnossus, ita enim dicitur mutata in mediam, quondam civitas prima in Creta, quam & Homerus ingentem vocavit ὀδ. τ'. regia Minois fuit. Gortyn & Gortys, & Gortyna. Ipsa quoque potens & magna civitas in Creta campestris, quam suis temporibus Strabo sine moenibus fuisse ait. Lyctus Lacedaemoniorum colonia ut Aristoteles Πολιτικῶν β'. Habuit navale Χερσονήσου appellatione, ubi Britomarteos templum fuisse Strabo scribit. Myletum & Lycastum in numero urbium mediterranearum exposuit Plinius, Strabo scripsit fuisse eversas, & agrum tenuisse Gnosios atque Lyctios. Gortyniorum idem fuisse ait Phaestum & Rhytium. Phaestus nobilis erat Epimenide, quem expiatorem nominarunt.

158. Ἐναλίῳ ἀνδρειφόντῃ.) Μετωνυμικῶς Martem dixit,

ut Gradivum Mare, & Tritoniam Pallada, Minervam. Fecere autem aliqui Ἐνυάλιον Deum quendam Martium, non ipsum Martem, ut latini Bellonam. Hujus matrem introduxere τὴν Ἐννὼ, quod vocabulum furorem belli significat. Fabula etiam memoratur Enyalium quendam in Thracia provocasse Martem ad pugnam, a quo caeso Mars nomen obtinuerit, ut Minerva a Pallante.

164. Τληπόλεμος.) Rhodus insula Carica, ante vocata Ophiusa, & Telchinis. Haec ad nostra etiam tempora nonnihil retinuerat pristinae fortunae atque dignitatis, defensa saepius adversus Scythicam immanitatem, nuper tamen ignavia atque miseria seculi nostri invalescente, & ipsa in potestatem Turcarum venit. Haec & Aethraea dicta fuit, propter constantem & perennem quandam serenitatem, unde & Solis propria credita, cujus ingens simulacrum, quem Colossum dixere, inter miracula seu θεάματα septem orbis terrarum numerarunt. Charetis Lyndii opus altitudine cubitorum lxx. ut epigramma testatur:

Κολοσσὸν ἡλίῳ πόθ' ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐποίει πυχέων λίνδιος.

Opulenta fuit insula & artificibus celebris. Pindarus fecit sub mari aliquando hanc latuisse, & productam a Parcis tributam Soli, & depluisse in illam aurum Minerva genita, idem unum de filiis septem Solis susceptis ex Rhodo nympha, genuisse ait Lindum, Jalysium, & Camirum, conditores urbium, quae à poëta nominantur. Fuisse hunc tradunt Cercaphum, cum quo esset nupta Cydippe. Videtur autem Rhodios ἀγερώχους dicere in laude, nam & hoc certe vocabulum potest, & honorificam mentionem illius civitatis poëta facit. Sunt superbi igitur Rhodii, ut superbum Ilium, id est excellens & praestans aliis urbibus potentia, & conjugium superbum Veneris. Tlepolemum autem fuisse filium Herculis & Astyochae poëta cecinit. Pindarus Astydamiae filiae Amyntoris, ὄλυμπ' ζ. Placet autem hanc esse Astyocheam, cujus supra mentio facta Astyoches nomine, quae filia fuerit Actoris, non illius Elei, sed filii Azei Clymeni nepotis, qui fuisset filius Prebonis, nepos Phryxi. Et hanc tamen Ephyren vo-

volunt esse Eliacam, quod & Hercules Elida oppugnarit, & Selleis fluvius illic fuerit nominatus.

167. Διοτρεφέων αἰζηῶν.) Αἰζηοί, dicuntur aetate florentes, a vitae vigore, quod tum maxime vivere homines videantur, cum aetate & viribus integris praediti sunt. Sed Tlepolemus fugit ob occisum Licymnium, vel fortuito ictu vel quomodocumque, oraculo autem consulto in Rhodum se contulit, ut Pindarus. Ibique & mortuum, relatis ossibus illus interfecti a Sarpedone, ut Heroa Rhodios coluisse accepimus. Licymnius autem fuit Herculis avunculus, hoc est frater Alcumenae, νόθος quidem, ut Pindarus ait. Nam Electryon illum perhibetur suscepisse de muliere Phrygia nomine Midea, a qua & nomen inditum fuerit Argolicae urbi.

175. Ὥκηθεν.) Forma aeolica poëtae familiaris, pro ᾠκήθησαν. Atque videtur Tlepolemum facere conditorem trium in Rhodo urbium, vel hoc dicit, Argivos in illas tres civitates distributos tum fuisse. Argis enim volunt cædem factam, & ibi ostentum fuit Licymnii sepulcrum, ut Pausanias retulit.

177. Καί σφισι θεσπέσιον.) Juxta Pindaricam ἀπενδοχήν. Ἔνθα ποτε βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσαῖς νιφάδεσσιν πόλιν. Nam illum respexisse ad hunc versum verisimile, quem tamen quidam Grammatici ἠθέτησαν, id est, rejecerunt tanquam inculcatum.

178. Νιρεὺς δ' αὖ.) Syme insula Carica. Ter autem ἐπαναείληφε Nirei nomen, neque unquam postea in tota historia iterum illius meminit. Id vero ideo factum esse à poëta Galenus ait, ut declararetur, quam sint inutiles viri forma praestantissimi, quoties illis praeter formam nihil adest, quod ad usum vitae conducat. Philostratus retulit in Heroicis suis, hunc in Mysia progressam una cum viro ad praelium uxorem Telephi Hieram, formosissimam foeminam interfecisse. Dixit autem Σύμηθεν ut ἐρανόθεν, & Syma.

180. Ὃς κάλλιστος.) De quo expressum hoc, Aen. VII. 650.

Quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

183. Οἳ

183. Οἱ δ' ἄρα Νίσυρον.) Sporades insulae dictae, quae sparsae per mare essent. Inter has Nisyrus, quam tradidere fabulae fragmentum esse insulae Co, quod ab hac Neptunus abruperit & injecerit giganti Polybotae, quem fulmen Jovis non prostravisset. Inter Telon & Con media, distans utraque plus minus x. M. pass. molari lapide abundans. Carpathos, quam transpositis literis ut in κραδία, κράπαθον dixit, edita insula, nomen dedit mari Carpathio. Casus & urbem hoc nomine habuit. Νήσους autem Καλύδνας aliqui accepere συνεκδοχικῶς τὰς Σποράδας, quarum Καλύδνα una esset, postea dicta Καλύμνα. Plinius nominat Calydnam & duas Calydnas. Alii voluere nomen fuisse insulae Καλύδναι, ut urbi, Ἀθῆναι, posteaque vocatas Καλύμνας, illique sic ordinarunt hunc locum, οἱ δ' ἄρα νήσους εἶχον, Νίσυρον, Κράπαθον, Κάσον, Κῶν, καὶ τὰς Καλύδνας. *Foecundaque melle Calymna*, VIII. Metamorphoseon legitur, cum enim mel insulanum praeclarum esse scripsit Strabo, & Attico non inferius, tum Calymnion inprimis. Quin etiam Calydnas accepere nonnulli Zacyntho vicinas insulas duas Πλωτὰς aliquando dictas & postea Στροφάδας, ut in scholis Apollonii legitur, quod tamen minus consentaneum videtur. Cos autem insula Carica. Hanc Strabo frugiferam esse, & vinum ferre suavissimum tradit. In hac fuit sub urbe templum Aesculapii, in quo curationes variae perscriptae viserentur, deque his Hippocratem valde exercitatum credidere. Hujus civis & Phileta fuit elegiographus nobilis. A Cois translulit Augustus tabulam Apelleam Veneris ἀναδυομένης, quam tabulam consecravit Julio patri. Hujus autem pretium fuit, remissio indicti Cois tributi centum talenta, quae summa pecuniae fuerit nummi nostratis circiter lx. M. coronatorum. Est autem diversa haec insula à Ceo, quam Ceam dixere latini, cum qua in Stephani epitoma confunditur. Ab hac enim Κεῖος & Κήιος, ut Simonides & Bachylides Κεῖοι, fuere, ab illa vero Κῶος, ut Hippocrates Κῶος.

188. Νῦν δ' αὖ τὼ ὅσσοι.) Pelasgi fuere dicti qui postea Thessali. Ἄργος autem Πελάσγιον, nunc vocat Thessaliam, vel sane urbem Ἄργος conditam a filio Lyncei Abante. Alum & Alo-

& Alopen, tam in Theſſalia quàm Locride fuiſſe perhibent, atque aliqui maluere Locridos urbes hoc loco intelligere, quod eo uſque regnum Pelei ſeſe extenderit: aliqui etiam, quo magis hoc obtinerent, ſcripturam mutarunt, & fecere

Οἵ τ' Ἄλον οἵ τ' Ἀλιζῶν' ὅι τε Τρηχῖν' ἐνέμοντο.

Fuiſſe enim certe in Locride Aliuntem. Sed nos in Theſſalia maneamus. Phthia ſedes regia Pelei, quam ἐριβώλακα, id eſt opimam poëta vocat. Juxta hanc fuiſſe Hellada urbem regiam Hellenis filii Deucalionis, qui in Phthiotide ac tota Theſſalia regnaſſe perhibetur. Sed rectius, ut puto, alii regionem eſſe Ἑλλάδα credidere hoc loco. Trachin, quae & Trachis, ſub Oeta monte a ſalebris appellata, ut videtur. Dicti autem Theſſali fuere Achaei ab Achaeo filio Xuthi, nepote Hellenis, a quo & ipſo regioni nomen impoſitum. Myrmidones autem ab Aeginetis, qui cum Peleo illa loca occuparunt. Sed Aeginetae cur Myrmidones vocati fuerint, fabulam retulit prolixe Ovidius libro ſeptimo.

196. Κούρης χωόμενος.) Ἕνεκα τῆς κόρης. Briſeida autem dicit ablatam ſibi ab Agamemnone. Haec fuit nupta cum Mynete, ut intelligi poteſt ex ιλ. τ'. qui Lyrneſſi imperium tenuit, cum illa caperetur, & in patriae defenſione occubuit. Illud autem Κάδδε Μύνητ' ἔβαλεν: Dorica ſeu Aeolica (nam his dialectis multa communia ſunt) forma extulit, & verbum diffidit, fuerat enim uſitatum, & ſimplex, κατέβαλε δὲ τὸν Μύνητα. Ἀνᾳρήσεσθαι pro ἀναιρήσεσθαι Dorica apocope.

202. Οἳ δ' εἶχον Φυλάκην.) Phylace non procul à Thebis Phthioticis, ab hac Phylacejus Proteſilaus, & matres Philaceides Ovidio. Urbs ultra montem Othryn ad ortum, huic vicina Pyraſus, dicta Demetrium, a fano celebri Cereris, quod abeſſet ab urbe ad paſſ. xxx. Πύρασον legimus in Stephani epitoma, uno ρ', quod eſſet frugifero in ſolo poſita, ἀπὸ τῶν πυρῶν. Itona, Stephanus refert & Σιτῶνα vocatam a frumentis. Antron, a ſpeciebus habere nomen creditus, ab hac urbe Antronius Aſinus in proverbium venit, nam tuliſſe illam magnitudine & ſpecie praeſtantes aſinos accepimus. Legere aliqui pluraliter ἀγχιάλας Ἄντρωνας. Pteleos, inter Antrona & Alon, ab arbore, ut videtur, quae πτελέα, id eſt *ulmus* dicitur.

citur. Quaesitum fuit an ab hac Πτελεατικὸς οἶνος esset apud Theocritum Idyll. VII 65.

Τὸν Πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφύξω,

An potius a Ptelea Ephesia, vel ipsa Epheso, quae Pteleae quoque nomen haberet.

206. Ἔχε κατὰ γαῖα.) ἀναστροφὴ, κατεῖχε γαῖα, mortuum fuisse dicit, ab eo quod accidere mortuis solet, ut humentur. ιλ. γ'. 243.

Τὸς δ' ἤδη κατέχεν Φυσίζοος αἶα.

207. Ἀμφιδρυφὴς.) In luctu & planctu laceris genis, id est vidua, ut in oraculo,

Πολλὰς Ἀργείων ἀμφιδρυφέας τότε θήσει,

Post occidionem quandam virorum. Protesilaum autem habuisse uxorem Polydoram tradidere, ut refert Pausanias Messeniacis, filiam Meleagri & Cleopatrae, quae accepto nuncio de morte viri, se ipsam intermerit. Alii Laodamiam Acasti Peliadae filiam, mulierem Thessalicam cum hoc nuptam fuisse tradidere, ad quam unum diem ab Orco remissus ipse fuerit, cuique persuaserit ad inferos sese ut sequi vellet, quae & Ovidius in epistola Laodamiae secutus est.

208. Δόμος ἡμιτελὴς.) *Domus imperfecta.* Significat domi relictam solam conjugem ductam paulo ante, de qua nondum filios suscepisset, quibus familiae stabiliuntur.

Στύλοι γὰρ εἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες,

inquit Iphigenia Taurica v. 57. Vel etiam intermissas inchoatas substructiones regiae sedis, vel simpliciter ἡμετελῆ δόμον dixit, altera sui parte defectam, viro mortuo. Γάμος enim τέλειος vocatur, & domum perficit. Ab Hectore autem occisum hunc ante alios festinantem in terram hostilem exilire de navi, poëtae placrique posteriores tradidere, atque id ante oraculo fuisse proditum, fatale esse ut is caderet, qui primus Trojanum solum attigisset. Sed Homerus Dardanum interfectorem fuisse Protesilai ait, ideoque fuere, qui hanc gloriam Aeneae, quique Achatae socio illius conciliarent. Hujus sepulcrum & lucus fuit in Thracica Chersoneso, ut Herodotus quoque scripsit Calliope.

210. Πόθεόν γε μὲν.) Non illi quidem ductore carebant in desi-

desiderio licet amissi Imperatoris. Αὐτοκασίγνητος, *frater Germanus*, nam fratrum significatio latius extenditur.

218. Οἱ δὲ Φέρας) Pheras etiam Messeniace a poëta nominantur. Sed Thessalicae fines fuerunt Pelasgitidis Thessaliae non procul a palude Boebeide, cujus regionem vicinam circa Demetriada Boeben dixere, sed urbem videtur poëta nominasse. Fuit autem tempus cum Thessalia clausa undique montibus tota aquis restagnaret, postea patefacto meatu intra Ossam & Olympum, terrae motu, ut sentit Herodotus Polymnia, defluxere aquae, & aperuere terram cultoribus, multis fluminibus convenientibus in Peneum, & remanente palude Boebeide. Glaphyre, & Jolcus Magnesiae attribuuntur, annexae Thessaliae. Magnetas tamen vocat poëta nominatim quidem nullos, sed indiserte accolas Penei & Pelii. Jolcos regia Peliae, quae & Jaolcos Jonice, ubi Argo navis extructa fuit, & collecta societas ab Jasone ad navigationem Colchicam. Admetus autem, ut traditur, filius fuit Pheretis, nepos Crethei filii Aeoli, qui habuisset patrem Hellena filium Deucalionis, nepotem Promethei. Pelias frater Nelei, filius Neptuni & Tyrus, ut dicitur *od.* λ'. Hujus filia Alcestis, uxor Admeti, vicaria morte redemisse dicitur vitam mariti, reducta in lucem mox tamen & ipsa ab Hercule, extat fabula apud Euripidem.

223. Οἱ δ' ἔρα Μηθώνην) Μηθώνην, dixit producta prima syllaba. Fuit autem & in Peloponeso & in Thracia. Thracicam Philippus diruit, in illius oppugnatione oculo amisso, ictus sagitta, cui hostis gloriose nomen suum inscripsisset versu hoc:

Ἀσὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος.

Tum Philippum tradunt remisisse in urbem cum sagitta hunc versum.

Ἀσέρα Φίλιππος ἢν λάβῃ χρεμήσεται.

Thaumacie, Melibocа, Olizon & ipsae Magnesiae attribuuntur, subjiciunturque Philoctetae ditioni. Hujus fabulam exposuimus copiose in enarratione Philoctetis Sophocleae.

236. Οἱ δ' εἶχον Τρίκκην.) Revertitur nunc in Thessaliam poëta, ejusque regionem, quae Istaeotis dicta fuit, atque vetustio-

tuſtiore etiam nomine Doris, vicina Dolopiae & Pindo monti. Tricca vetuſtiſſimum habuit Aeſculapii templum, unde & Triccaeus ille appellatus. Sed Ithomen voluere aliqui non Ithomen, ſed Thomen, appellatam ab Homero, ut ita legendum fuerit, καὶ Θώμην κλωμακόεσσαν, id eſt *praerupto loco ſitam.* Κλώμακες, ut apparet, a praefractione, aſpera & acuta jugorum loca vocarunt. De Occhalia quaeſitum, (nam alibi quoque Oechaliae nominantur) quae fuerit πόλις Εὐρύτου, capta ab Hercule. Atque alii in Meſſenia collocarunt in Carnaſio, ubi eſſet urbs Andania. Alii in Theſſalia, ubi poſtea deſerta regio, nomen tamen retinuerit, ut Eurytion diceretur. Euboënſes autem apud ſe Oechaliam illam conſtituere, quibus conſentanea ait Pauſanias feciſſe Creophylum perveterem poëtam. Qui & Meſſeniacam fuiſſe putat maxime probabile eſſe. Idemque Machaonem & Podalirium à Meſſeniis vindicari dicit, & repeti à Theſſalis, ut ſuos cives, atque dicere non fuiſſe Coronidis filios, ſed Arſinoës filiae Leucippi, atque etiam oſtendere Triccam incultum in Meſſenia locum. Praeterea hoc uti argumento, quod apud Homerum Neſtor perbenigne curet ſaucium Machaona. Ita enim officioſum erga hominem externum eſſe illum non oportuiſſe. Quin etiam, quo maxime haec comprobare videantur, demonſtrare Gereniae illos ſepulcrum Machaonis, & fanum filiorum hujus Pheris. Sed haec ſingularia quaedam ambitioni illius civitatis relinquantur conciliantis ſibi celebritatem hanc & gloriam Heroum iſtorum, ut facere in aliis aliae conſuevere. Nos autem, quod maxime & geographicis hiſtoriis & poëtae conſentaneum eſt, Theſſalicas faciamus has urbes.

241. Οἵ τ' ἔχον Ὀρμένιον.) In Strabone legimus ſecunda ſyllaba producta hanc poſtea urbem appellari ſolitam, vicum quidem ſuis temporibus ſub monte Pelio in ſinu Pagaſaeo, unde non potuerit procul abeſſe Boebeis palus. Fuiſſe inter hanc & Demetriada ſupra iii. M. paſſ. terreſtri itinere, in quo eſſet ſita Jolcus, circiter M. paſſ. diſtans Demetriade. Hanc eſſe voluit Demetrius Grammaticus Phoenicis patriam. Conditam enim urbem ab Ormeno filio Cercaphi, nepote Aeoli. Habuiſſe

BIBLIOTECA SEVILLA

Habuisse autem Ormenum filios, Amyntorem & Euaemonem, quorum ille Phoenicem, hic Eurypylum genuerit. Itaque successisse Eurypylum & in patrui regnum cum filius abesset Phoenix. Ideoque correxit versum ιλ. ί. 447.

Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
ut faceret,
Λίπον Ὀρμένιον πολύμηλον.

Crates σύγχρονος ipsius Grammaticus refellit hunc & Phocensem fecit Phoenicem. Sed Cratetem rursus Demetrius, verum haec jam non magis ad hunc locum pertinent. Fontem Τπερείας nominavit, fuit enim nobilis ille in Thessalia, facit & ιλ ζ'. fontium Μεσσηίδος καὶ Τπερείας mentionem. Μεσσηίδα autem in Laconica collocarunt. Τιτάνοιο autem λευκὰ κάρηνα, περιφραστικῶς conspicuam candore urbem Titanum dixit, quod & appellatione ipsa indicatur, τίτανος enim calcem significat. Urbem accipit Stephanus postea nominatam Τευτάνιον, ita enim in Epitoma legitur, alii montis esse nomen tradiderunt.

245. Οἳ δ' Ἀργισσαν.) Argissam Strabo Argusam postea vocatam scribit, sitam ad Peneum. Reperi & hoc nomine dictam Thessalicam Lariſſam. Gyrtone, quae postea Gyrton Perrhaebica urbs ad ostia Penei. Gyrtonios autem Phlegyas prius appellatos a Plegya fratre Ixionis, Strabo retulit. Orthe, creditam ait Strabo arcem Phalamnaeorum, ad Peneum juxta Tempe. Elone, sub Olympo, postea Limone dicta, Olooſſona albam vocat, quod λευκάργιλος esset terra illa, id est cretosa.

248. Τιὸς Πειριθόοιο.) Cum Ixione fuisse nuptam Dian Atticam mulierem filiam Dejonei tradidere. Cujus filium fecerunt Pirithoum, ut Ovidius quoque Metam. XII. 210.

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus.

Sed poëta ait fuisse Jovis filium Pirithoum, vel propter excellentem virtutem illius, ut Hectorem quoque Jove genitum dixit, ιλ. ν'. 54.

Ἕκτωρ, ὃς Διὸς ἔυχετ' ἐριθενέος πάϊς εἶναι.

Vel non Ixionis sed Jovis fuisse filium, ut Herculem & Dioscuros, significat, juxta fabulam, quae Jovem in equum mutatum

tatum diu circumcursitasse fert, dum potiretur concubitu Diae uxoris Ixionis, itaque Περίθων appellatum ἀπὸ τῦ περιθεῖν. Quaeri etiam possit, utrumne apud Ovidium libro sexto, non mala forte lectio esse videatur. *Varius Deonida serpens.* Nam & licentissime posteriores poëtas patronymica formavisse constat, & cum Proserpina, filia, quae esset Δηωίς, ut aliqui fecere, ἀπὸ τῆς δηῦς, penultima producta, fabulae Jovem non commiscent. Et fabula Diae non solum μεταμόρφωσιν Jovis in equum ut habuerit, fieri queat, sed etiam in serpentem. Mirifica enim poëticorum fabularum est varietas.

250. Φῆρας λαχνήεντας.) Centaurus dicit feram & immanem gentem Thessalicam, quos de Pelio repulisse dicit poëta, & adegisse ad Aethicas, qui tum loca perhibentur tenuisse circum montem Pindum.

253. Κορώνη Καινείδαο.) Coronus filius Caenei, de quo in λ. ά. unus de Argonautis. Τπέρθυμον autem magnanimum, vel etiam ferocem accipiemus, ut filius patris similis fuerit. Caenea enim invictis viribus praeditum Deorum fuisse magnum contemtorem traditur, atque illum fixisse jaculum in publico imperasseque illud adorari a praetereuntibus. Unde & in proverbium venisse καινέως δόρυ vel ἀκόντιον, ut opinor, de immani impietate, & condigna etiam poena illius. Nam quamvis vinci sauciarique Caeneus non posset, tamen obrutus arborum stipitibus vivus ad inferos demissus fuit, ut & Apollonius fecit, lib. 1. v. 63.

Ἀλλ' ἄῤῥηκτος, ἄκαμπτος ἐδύσσετο νειόθι γαίης.

255. Γυναῖς δ' ἐν Κύφῳ) Perrhaebiae mons Cyphus, & urbs poëtae, atque hoc loco etiam ad Epirum & Aetoliam pervenit. Ex Thessalia autem pulsos a Lapithis Perrhaebos ferunt. Dodone vero in Molossis collocatur, Perhaebi & Enienses in Aetolia. Apparet igitur circa Pindum concurrere nomina nationum plurium, quarum ibidem fines commiscerentur, Macedonum, Thessaliae, Aetoliae, Molossorum. Dodonem hiemalem vocat, quod septentrion alior esset. Haec habuit celebre quondam oraculum Jovis, ubi redderentur responsa,

Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο, οδ. ξ΄ 328.

Herodotus ceciniſſe mulieres duas barbaras oracula ſcripſit, quae propter ſtridorem a graecis columbae dictae fuerint, indeque columbas reſponſa dediſſe petentibus divulgatum. Eſt & in proverbio graecorum Δωδωναῖον χαλκεῖον in loquaces & garrulos. Titareſius fluvius alio nomide Europus, e monte Citario oritur, cujus aqua pinguior a Penei limpidiſſimo flumine reſpuitur, ideoque poëta dicit de ſtygis erumpere undis. Ponris hoc nomen eſſe volunt apud inferos, de quo nunc ait poëta hunc fluvium ſcatutire. Introducuntur autem ita jurantes Dii à poëta, ut Juno ιλ. ο. 38.

Ἴσω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος
Ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.

Docuit autem in Theogonia Heſiodus quam poenam perjura numina ſuſtineant, nempe irrequietem annuam, quo tempore neque ambroſiam neque nectar guſtarent. Poſt hunc autem veluti morbum, novem annis extra conſortium & convictum aliorum Deorum illis oberrandum eſſe, ac decimo demum anno recuperare priſtinam fortunam.

263. Μαγνήτων.) Ulteriores facit Magnetas, nempe Penei fluvii & Pelii montis accolas. Dixere autem τὸ Πήλιον & ὁ Πήλιος. Πρόθοος θοὸς, παρωνομασία haec dicitur figura, vel ut alii παραγραμματισμὸς aut παρήχημα, ut παυσάμενος Παυσανίας, & Σαμία μία ναῦς.

268. Τίς τ' ἄρ') Qui inter duces virtute reliquis, quique equi ſtrenuitate praeſtiterint, addidit poëta catalogo, ut ſua etiam excellentiae laus tribueretur. Excipit autem Achillem & ipſum & equos illius, in quibus omnia incomparabilia eſſent ad praeſtantiam. Sed Theſſalicis equis tribuit primas, itaque & cum in certamine funebri vellet Diomedem victorem introducere, arceſſit poëta numen Minervae, quod victoriae Eumeli reſiſteret. Frangitur ergo jugum & ipſe de curru delabitur, & vix poſt alios omnes advenit

Ἕλκων ἅρματα καλὰ, ἐλαύνων πρόσσοθεν ἵππους,

ιλ ↓ 533. Sed & oraculum praefert aliis Theſſalicum equitatum.

Εἰσὶ

Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον
Ἵπποι Θεσσαλικαὶ, Λακεδαιμονίαι τε γυναῖκες
ἄνδρες δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.
Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶν δ' εἰσὶν ἀμείνονες, οἵτε μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες κέντρα πολέμοιο
Ὑμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.
Toto aliis terris prius orbe Pelasgicon Argos,
Thessalicae sed equae, sed spartae foemina civis,
At bibitur quibus unda viri praestant Arethusae,
Quos etiam superant inter Tyrinthia sedes
Oppida, quae tenet Arcadiamque Argiva juventus,
Linteus in Martis quos armat praelia thorax.
At vos o Megarum colitis qui moenia, nec jam
Tertia pars, nec quarta manet, quin bis neque sexta,
Quorum non numerus ratio non ulla putatur.

Reperitur tamen oraculum alicubi sic expositum ut non Thessalicis equis, sed Thraciis palma tribuatur, tali scriptura, Ἵπποι Θρηΐκιαι. Neque hoc in Megarenses ut destinetur, sed Aegienses. Theocritus vero manifeste in Megarenses torsit, in Thyonicho, v. 48.

Ἄμμες δ' οὔτε λόγῳ τινὸς ἄξιοι, οὔτ' ἀριθμητοὶ,
Δύσανοι Μεγαρῆες, ἀτιμοτάτᾳ ἐνὶ μοίρᾳ.

Admetum autem nunc & ιλ. ψ. 376. Φηρητιάδην vocat; forma peculiari nominis patronymici ab αυρ facta, ut Ἀιακίδης Achilles dicitur. Fuit enim Pheres Admeti pater. Primam autem produxit, cum sit communiter ὁ Φέρης.

271. Ὄρνιθας ὥς) Equarum commendatio, quae fuerint aequales aetate & colore in velocitate maxima, ut volare non currere viderentur. In jugalibus autem foeminae laudantur veteribus, ut & Agamemnonia Aethe. Et praegnantem Olympia vicisse Plinius annotavit. Ὄτριχας autem τὰς ὁμοιότριχας ut οἰέτεας, τ' ὀμήλικας

272. Σταφύλῃ ἐπὶ) Dorsis obaesis & ita teretibus quasi ad circinum descripta essent, fuisse equas ait. Σταφύλην enim alii circinum, quem διαβήτην veteres dixere, alii amussim esse

esse tradidere. Laudatur autem haec forma dorsi exaequati, ut lacunati & quasi gibberi reprehendi solet.

273. Τὰς ἐν Πιερίῃ) Serviisse Admeto Jove imperante, vel captum amore juvenis voluntate sua Appollinem fabulae tradunt. Sed hoc loco egregie poëta ab Apolline quem Νόμιον vocant, quid enim omnium animantum valere atque vigere, sine hoc numine, ut poëtice loquar, possit? Ab Apolline igitur Nomio praeclarae istae equae educantur in Pieria quidem, id est pinguibus & plenis pascuis.

279. Ἀπομνίσας.) *Perseverans in ira & indignatione adversus Agamemnonem.* Quemadmodum & ἀποκαρτερεῖν perseverare est in propositae mortis fortitudine.

281. Δίσκοισιν τέρποντο.) Δίσκον, quem & σόλον dixere, jacere solebant in altum, sed notare etiam longitudinem jactus, ut apparet. ὀδ. θ'. Ἀιγχνέας autem jacula dicit vel ab incitatione, ut ajunt grammatici, id est ἀπὸ τῆ ἄγαν ἴεθαι, vel quod amenta fuerint de caprino facta corio, vel quod in capras illa penetrent παρὰ τὸ νεῖσθαι ἐπ' αἶγας, vel etiam παρὰ τὸ ἀίζαι, id est ab imperu.

283. Λωτὸν ἐρεπτόμενοι.) Lotus herba (nam & arboris hoc nomen) odorata. De arbore tibiae factae, quae lotinae à materia vocatae fuerunt. Sed in Aegypto herbâ eximia illa fuit, unde Λωτοφάγες in suam poësin poëta videtur introduxisse. Ἐλεόθρεπτον vero σέλινον, id est quod nunc composito verbo ἑλεοσέλινον dicitur.

284. Εὖ πεπυκασμένα) Recte repositi seu accurate subducti, ne scilicet, ut fit, otiosi laederentur.

287. Οἵδ' ἴσαν) Reliquos graecos dicit. Utitur autem similitudine vehementi inflammati orbis terrarum, & tonitruum Jovis, in poëtica sublimitate expositionis.

290. Εἰν Ἀρίμοις) De Arimis quaesitum ubi terrarum fuerint. Atque alii in Lydia, alii in Phrygia, quam κεκαυμένην dixere, aliqui inter Maeandrum & Lydiam ut Strabo ιβ'. alii in Cilicia, alii in insulis Pithecusis collocarunt, alii in Syria cum quibus sentire videtur Herodotus Thalia sic scribens. Ἀπὸ δὲ Ἰνύσσε αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης, παρ' ἣν δὴ τὸ Κάσιον ὄρος τείνει ἐς θάλασσαν. Ἀπὸ δὲ Σερβωνίδος λίμνης

ἐν

ἐν τῇ δὴ λόγος τὸν Τυφὼ κεκρύφθαι, ἀπὸ ταύτης ἤδη Αἰγυπτος. *Ab Jangso jam rursus est Syriorum regio, usque ad paludem Serbonida, juxta quam tendit in mare mons Casius. Serbonidem vero paludem, in qua sepultum Typhona fama fert, Aegyptus excipit.* Tiphonis autem nomen a poëtis ἀλληγορικῶς usurpatur, ut alia multa. Ipsum vero significat vapores & aestuationes terrenos, de quibus tempestates & nimbi existere putantur, unde & flatuum tempestuosorum hunc parentem fecit Hesiodus. Sed Pindarus in Sicilia videtur statuisse Arima, sic enim canit: Πυθίων ά.

Ὃς' ἐν αἰνᾷ ταρτάρῳ κεῖ-
ται Θεῶν πολέμιος,
Τυφὼς ἑκατονταπάρανος, τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψεν πολυώ-
νυμον ἄντρον, νῦν γε μὰν
Ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἀλιερκέες ὄχθαι
Σικελία τ' αὐτῷ πιέζει
Στέρνα λαχνάεντα.

Non tamen explanatur his, neque aperte demonstratur ubi illud cubile Homericum Typhonis fuisse putandum sit. Quippe cum illi Pitheculas, id est Aenariam attribuerit Maro, siquidem huic Inarime esse ὑφὲν ea putatur, cujus nomen apud Homerum Ἄριμα, quasi ille legerit, aut suspicatus sit dici γαῖαν Ἐναρίμης, est autem locus Aeneidos. IX. 710.

Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea Pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit.
Miscent se maria & nigrae attolluntur arenae:
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime, Jovis imperiis impostа Typhoeo.

Jam hoc quoque non praetereundum silentio, ab eadem origine verbi τύφεσθαι, quod fumi evaporationem notet, cadere diversas hujus nominis formas, Τυφὼν, Τυφὼς, & Τυφωεύς.

293. Ὠμέα Ἶρις.) Correpta penultima ab ὠκεῖα. Sed Ἶρις est nuntia Deorum, ab eo quod mandata perferat & sermone exponat, ut Ἶρος οδ. ε'. 6.

Ἶρον δὲ νέοι κίλησκον ἅπαντες,
Οὔνεκ' ἀπαγγέλλεσκε νιὼν, ὅτε μεν τις ἀνώγοι.

Nimirum ἀπὸ τοῦ εἴρειν τοῦ ἐιρεῖν, ἤγουν λέγειν.

300. Ἀισυήταο γήροντος) Senis indigenae buſtum fuiſſe illo in loco celebre accipiendum, cui nomen Aeſyeta. Hujus mentio fit ιλ. ν'. qui pater fuiſſet Alcathoi, generi Anchiſae. Δεγμένος, id eſt προσδεχόμενος, obſervans. Ἄμριτοι μῦθοι, ut oratio immenſa ſi dicatur. Ἀλίαστος πόλεμος, bellum ingens, cujus vis omnia oppreſſura eſſe videatur, ut λιάζεσθαι, id eſt ἐκκλίναι poſſit nemo. Ομαδὸς ἀλίαστος. ιλ. μ'. 470.

311. Πολυστερέων.) Aut ſparſam dicit & collectitiam multitudinem auxiliorum, aut copiam. Vult autem inſtruere principes quoſque ſuae civitatis militem, & eſſe duces ſuorum, ne in confuſione res perperam geratur.

320. Βατίειαν) Unde factum nomen fuerit non ſatis explicant interpretes. Tradidere autem nomen fuiſſe Batiaeam filiae Teucri, ut citatur de Mnaſea in epitoma Stephani ἐν τῷ Δάρδανος, de qua locum appellatum ſuſpicari poſſumus, cujus eſſet vetuſtior buſti Myrinuae, hanc Amazonem fuiſſe perhibent, dictamque πολύσκαρθμον, ut Achillem ποδῶκυν. Σκάιρειν γὰρ τὸ τὰς πόδας ταχέως κινεῖν καὶ ἐμφέρειν. Unde σκαρθμὸς, illa τῶν ποδῶν ἐυκινησία.

323. Τρωσὶ μὲν.) Strabo veluti regiones quaſdam Trojanas facit novem. Sed Homerus manifeſte vocat Trojanos eos, quibus Hector praefuerit, & eos quibus Pandarus. Hectori autem dubium non eſt, quin attribuerit cives Iliacos. Dardanios autem fuiſſe accolas Idae montis plane dicitur ιλ. ύ. Zελειαν vero facit Cyzico vicinam Strabo, & Ἀφνείους appellatos Zeliae cives ſcribit Lycios accolas paludis Ἀφνίτιδος, quae δασυλίτις eſſet.

334. Ὦ καὶ τόξου.) Non arcum, ſed peritiam ſagittandi. Nam arcum, quem ad Trojam habuit de cornibus ab ipſo interfectae caprae ſilveſtris, elaboratum à fabro cornario fuiſſe dicitur ιλ. δ'. Ita interpretes quidem, ſed arcum accepiſſe aliquem ab Apolline poſſumus intelligere, & non eſt obſcurum quid tali divinorum munerum mentione ſignificet poëta, nempe excellentem peritiam & divinam quandam.

335. Οἳ

335. Οἱ δ' Ἀδρήστειαν) Adraſtia intra Aeſapum fluvium & Priapum maritimam, per quam defluit Granicus. Plinius ſcribit Parium coloniam eſſe, quam Adraſtiam Homerus nominarit, hanc ab Adraſto rege conditam tradunt, qui conſecrarit Nemeſis ſimulacrum dictum Adraſteae, ut citatur ex Antimach

Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη Θεὰ, ἣ τάδε πάντα
Πρὸς μακάρων ἔλαχεν, βωμὸν δὲ οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδρηστος, τάμοιο παραὶ ῥόον Ἀισήποιο.

Alii ab Adraſtea Idae reginae Troicae nominatam urbem volunt, alii ab Adraſtea Jovis nutrice. Ἀπαισῶ δῆμον, populum Apaeſi, quem & urbi atque praeterfluenti nomen indidiſſe volunt. Eadem & Παισὸς apud Homerum. ιλ. έ. 612.

Ὅς ῥ' ἐνὶ Παισῷ
Ναῖε πολυκτήμων, πολυλήϊος.

Pityea, intra Parium & Priapum. Aliqui eandem & Πιτυῶσαν dictam & Lampſacum poſtea nominatam tradidere, propterea quod pinus illo in loco multae provenirent. Tiriam autem montem Troadis fuiſſe volunt, & hujus accolas Meropidis nunc ſubjici intelligemus.

342. Οἱ δ' ἄρα Περκώτην) Percote urbs Troadis, quae & Percope. Practium autem non urbem, ſed fluvium docet eſſe Strabo intra Alydum & Lampſacum, & accolas ſane poëta memorat, dicit enim Πράκτιον ἀμφενέμοντο. Seſtus autem & Abydus, urbium nobilium ſunt nomina, veteri amore Leandri & Herus, & mirabili opere pontis, quo Xerxes Aſiam Europamque junxit, paulum ſupra Abydum, quae Aſiatica eſſet, & infra Seſtum ad littus excurrens de Cherſoneſo in mare. Arisba, intra Pecotem & Abydum, ab Ariſba Teucri filia, ut aliquibus viſum. Αἰθωνας autem equos nigros dicit, ut αἴθοπα οἶνον *nigrum vinum*, aut ſane fulvos.

347. Πελασγῶν ἐγχεσιμώριον.) Bellicoſos Pelaſgos vocat. Haec gens Argiva vel Arcadica plurima orbis terrarum loca invaſit, & hujus nomen latiſſime ſparſum eſt, itaque Strabo lib. v. ſcripſit ab Athenienſibus illos Πελαργὲς appellatos, quod ut ciconiae volatu, ita ipſi erroribus vagarentur. Nunc

ergo Hellespontiacam gentem dicit Pelasgorum in Troade, qui urbem Larissam haberent, quo nomine & in Thessalia fuit. Hanc Strabo vult Cumam Aeolicam esse, & Pelasgos ab Aeolensibus deletos.

350. Λήθοιο.) Incertum utrum Pelasgum dicat τὸν Λῆθον gentiii voce, an filium Pelasgi nepotem Teutami.

351. Αὐτὰρ Θρήϊκας) In Europam transit. Thraciae autem Strabo Chersonesum tres sinus efficere docuit, septentrionalem Propontidos, orientalem Hellesponti, australem Ponti, qui cognominetur Niger. Significat igitur occolas Hellsponti poëta Thracas. Atque aliunde forte Rhesi copias adducit, quem dicit filium fuisse Ἠϊονῆος, unde licet suspicemur Ἠιόνα, urbe Chersonesi appellatam. Helles autem Pontum ab Helle sorore Phryxi nominatum omnibus notum. Etsi Herodotus Thracas in Bithynia supra Mysos collocat, appellatosque scribit Bithynos transgressos ex Europa ubi Strymonii vocarentur, Πολυμνίᾳ.

353. Ἔυφημος.) Ciconas, annotatur in epitoma Stephani, ubi de Cyzico verba fiunt, esse Ismari incolas.

355. Αὐτὰρ Πυραίχμης.) Paeonas Thracicam vicinam Macedoniae ultra Axium fluvium, hos volunt Pannonas esse, qui nunc sunt Ungari, finitimas sane inter se gentes fuisse satis constat, Macedonas, Paeonas, & qui nunc Ungari vocantur. Sed Axium negat Strabo puras aquas habere, verum in propinqua regione Amydonis ait fontem esse, cujus limpidissimae undae in fluvium turbidum deferri cernantur, itaque mutatum versum ita,

Ἀξίȣ, οὗ κάλλιςον ὕδωρ ἐπικίδναται αἴης.

Non enim speciosam aquam Axii terram perfundere, sed terrae aquas conspicuas misceri fluvio. Etsi diversum sensisse poëtam apparet ιλ. Φ. v. 158. ubi dicit de eodem fluvio, quasi hunc versum interpretans,

Ἀξίȣ, ὃς κάλλιςον ὕδωρ εἰναὶ γαῖαν ἴῃσι.

Si igitur verum est quod Strabo de turdibitate fluvii dicit, fieri potest, ut vel puritatem ille veterem amiserit, vel comparatione dixerit Homerus pulcerrimas aquas esse fluviorum Thracicorum, ut ἄριςον μὲν ὕδωρ Pindarus τῶν ςοιχείων,

vel

vel aliud quaeratur, quo poëtae locus explicetur.

358. Παφλαγόνων.) Redit in Asiam, Paphlagonia autem regio dicta fuit inclusa Ponto, Haly fluvio, Phrygia & Bithynia, hanc & Pylaemeniam cognominatam Plinius scripsit, & adjici huic Venetos, a Nepote Cornelio, a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi postulet. Quod autem apud Venetos esse dicit mulos agrestes videtur significare mulos ibi esse sui generis animantes, ut & in Cappadocia Theophrastum scribere tradit Plinius. Cytorus autem mons dictus fuit, ut apud Catullum, Cytore buxifer, & Cytoriaco pectine legitur in Ovidio. Sesamum vero Amastrin a Maenade Amastride vocatam Strabo vult, assentiente de mutato nomine & Plinio. A Parthenio fluvio ad Amastrin traduntur pass. M. circiter. XI. Ab Amastri ad Erythmos (scopulos hos duos esse Strabo ait rubros, qui postea fuerit appellati ἐρυθρῖνοι) pass. M. circiter VII. A Cytoro ad Αἰγιαλὸν (quem locum alii Αἰγιαλὰς pluraliter dixere, alii reposuere Κροβίαλον) totidem. Ad Cromnam ab Erythinis totidem. Ad Cromnam ab Erythinis totidem. A Cromna ad Cytorum pass. M. circiter XI. Aegialum autem aliqui longissime removerunt, ut Apollonius quoque videtur, libro secundo. Παρθένιον autem fluvium eodem ille auctor libro tradit hinc appellatum, quod in illius

Filia Latonae linquens terrestria rura
Caelorumque petens sedem splendentibus undis
Exhilaret grato defessum frigore corpus.

363 Αὐτὰρ Ἀλιζώνων.) In Stephani epitoma conjectura exponitur Ἀλιζῶνας vocatos quasi ἀλαζόνας propter superbiam & fastum opulentiae. Plinius Bithynicam gentem facit, & addit nominis causam, quod illa gens mari praecingatur. Straboni negotium exhibuit hujus loci interpretatio. Putat enim Chaldaicam gentem fuisse juxta Trapezuntem, atque hos tenuisse Ἀλύβην, & habuisse nomen Ἀλύβων, mox Χαλύβων, alii autem alibi hos collocarunt. Argenti autem germen apud hos esse dictum apparet, propter metalla argenti sive argentifodinas regionis illius.

365. Μυσῶν δὲ.) Μυσὲς vel esse colonos Scythicorum Mysorum,

ſorum, vel dictam gentem ab arbore, quae graecis ὀξύη, Lydis μύση vocetur, id eſt, ut opinor, ornus, quibus abundaret mons horum Olympus a quo & Olympiani dicti fuere, teſte Herodoto Polymnia. Graecis ἐσχατὸς τῶν μυσῶν proverbiali figura de laborioſis & difficilibus mandatis, latinis *ultimus Myſorum* de homine nihili fertur, ut Cicero poſuit in oratione pro Flacco.

366. Ἀλλ' οὐκ οἰωμοῖσιν.)
Sed non augurio potuit depellere peſtem.

368. Κεραΐζε.) *Profligavit & diſſipavit.* Non autem intelligendum fuiſſe Myſos Trojanos, quod poëta dixerit, ibidem & alios Trojanos fuiſſe profligatos ab Achille, niſi generali quadam adpellatione accipiamus Τρῶας dici, qui cum Priamo facerent. Nam ſic diſtinguere, in fluvio fuiſſe afflictos ab Achille & Trojanos, & alios, qui Trojani non eſſent, nempe auxilia, videtur eſſe περιεργώτερον.

369. Φόρκυς δ' αὖ) Phrygiam dicere videtur, quae Ἑλλησποντιακὴ & Ἐπίκτητος appellata fuit. Aſcaniam autem paludem & regionem Nicaeae urbis in Bithynia dictam Strabo ſcribit.

371. Μήσιν αὖ.) Μαίονες & Μήονες Jonica mutatione ſunt Lydi, a Lydo Atyos filio nominati. Gygaea palus, poſtea Coloe vocitata, a Plinio Gygeum ſtagnum in Sardiana regione, juxta quam fuiſſe perhibent Τδην dictam urbem regiam Omphales poſtea Sardis appellatam, idem & poëta ſignificat ιλ. ύ. ubi ſubjicit Timolo Gigeam paludem vicinam urbi Τδης. Τμῶλον vero Timolum dixere latini ut Alcumenam, Aeſculapium, Herculem.

374. Καρῶν ἡγήσατο) Cariae loca Jones occuparunt, Miletum urbem, quae antea vocaretur Lelegeis, Pityuſa vetuſtiore etiam nomine Anactoria, Nileus tenuit. Hanc Pauſanias Achaicis Miletum ſcribit appellatam a Mileto Cretenſi, qui pulſus Minoë receptus fuerit a Caribus. Unde & fieri poteſt ut lingua Graeca inſincera ea gens uteretur. Annotatum enim eſt genera nominum vitiare illos conſueviſſe, ut in foeminis maſculina forma uterentur & contra in maſculinis foeminina. Fuit gens contemta, unde & ιλ. ί. 378. τίω

δὲ

δέ μιν ἐν Καρὸς αἴσῃ, & ἐν Καρὶ ὁ κίνδυνος, proverbium quo & Plato uſus, de parva jactura. Φθειρῶν ὄρος. Hujus enim accolae Φθῖρες, vel quaſi Φθειρῶν ὄρος abundare enim tradunt illas ſilvas pinu arbore, cujus fructus vel flores ut aliis placet Φθεῖρες dicantur a ſimilitudine horum vermiculorum. Aut ſane a Phthirone filio Deucalionis. Maeander fluvius Cariae ante dictus ἀναβαίνων, quod ſolus omnium fluminum in illis mirabilibus converſionibus contra ſuos fontes fluere videretur. Tanta autem eſt equarum iſtarum & tam multiplex refluxus, ut omnia implicata & flexuoſa, Maeandri appellatione ſignificari ſoleant. Hoc autem perhibent inditum fluvio nomen a Maeandro Duce Carum in furorem verſo, cum ſe in eum demerſiſſet, vel quia de ſtulto voto immolaſſet Diis filium ſuum, vel quia matri Deum Peſſinunte conſecrata dona militi diviſiſſet. Mycale in media Caria ſita, quaſi Μυχαλὴ, ui aliqui tradidere, urbs conſpicua altitudine ſua.

378. Νάσης Ἀμφίμαχος) Elegans mutato nominum ordine repetitio. Sed quem dicat veluti virginem auro redimitum ad bellum profectum fuiſſe, incertum, redditurque ſubjuncto numero ſingulari tota expoſitio obſcura, etſi intelligere poſſumus τὸν Νάσην ſignificari, quem ſolum incipiens dixiſſet Carum ducem fuiſſe.

383. Σαρπηδὼν δ'.) De remotiore Lycia adveniſſe cum ſuis dicit Sarpedona, hunc filium tradunt fuiſſe Jovis & Europae, fratrem Minois & Rhadamanthi, ſocium huic addit filium Hippolochi Glaucum. Xanthum autem Lyciae fluvium ferunt erupiſſe de terra cruta a Latona cum parturiret, ut Calaber,

Ὃν ποτ' Ἐριγδούποιο Διὸς δάμαρ ἀνθρώποισι
Λητὼ δὴ ἀνέφηνεν ἀναῤῥάξασα χέρεσσι
Τρηχὺ πέδον Λυκίης ἐρικυδέος, ὅπποθ' ἑοῖο
Δάμναθ' ὑπ' ὠδίνεσσι πολυτλήτῃσιν ἀνίῃ.

De Lyciis Herodotus Κλειοῖ ita. Licii ab antiqua origine ſunt Cretenſes. Nam Creta olim tota in Barbarorum poteſtate fuit. Cum autem inter Europae liberos Sarpedonem atque Minoa, in Creta diſcordia eſſet orta, cumque factio Minois fuiſſet

fuiſſet ſuperior, pulſus & ejectus cum ſuis Sarpedon in terram Aſiae, Milyada ſeſe contulit. Nam ea quondam Milyas fuit, quam nunc Lycii incolunt. At illo tempore appellabantur Milyae, Solymi. Sub imperio autem Sarpedonis, undecunque ſane nomine facto, vocari fuere Termilae, & nunc etiam accolae Lycios nominant Termilas. Poſtea Athenis eodem venit Lycus filius Pandionis pulſus ab Aegeo fratre, & cum Sarpedone manſit, atque ita de Lyco procedente tempore nomen Lyciis inditum fuit.

FINIS.

INDEX

IN NOTAS I. CAMERARII.

Numerus paginam notat.

A.

ABantes 206.
Abydes 247.
Acarnania 231.
Achaei 63.
Achæi unde dicti 236.
Achates 237.
Acheloi luĉta cum Hercule 231.
Achivi unde dicti 214.
Acriſius 211. 173.
Acrocorinthus 216.
Actor 203.
Admetus 238.
Adramyttion 96.
Adraſtia 247.
Adraſtus 214. 217.
Ægeus 208.
Aegion 217.
Aegina inſula 209.
Aegialeus filius Adraſti 201.
Ægialos 225.
Aegiochus 86. 87.
Aegira 217.
Aepy 223.
Agina inſula 216.
Æſculapii templum 235. 239.
Aſopus juncos altiſſimos alit. 198.
aetas 90.
Aethra mater Theſei 213.
Aetolia 206.
Ἀθήνη 86.
Agamemnon 236.
Agamemnon unde dictus 77.
Agamemnon cur coëgerit exercitum 218.
Agamemnonis genus 165.
Agamemnonis Oratio ſimulata 166.
Agamemnonis ſceptrum 166.
ἀγάννιφος 98.
Agaſthenes 229.
Agapenor. 228.
Agenor 210.
Ἀγήραος 193.
Ἄγκιστρον. 175.
Ἄγκυλα τόξα 175.
Ἀγκυλομήτης 175.
Ἄγκυλον. 175.
Ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν. 182.
Ajax. 209.
Ajax Oïlei filius 206.
Αἶγες unde dictæ. 172.
αἰγις 86. 87.
Αἶζηοὶ quinam? 234.
αἶξ 87.
Αἶπυ 223.
Ἄϊσσειν. 172.
Αἴσχιστος, eſt ἔκφτασις turpitudinis 178.
Αἴδηλον 194.
Αἰδὼς, quid notet. 181.
αἰτία 82.
αἴτιος ibid.
αἰχμὴ 81.
Ἄκλιτος 192.
Ἀκτορίωνες 229.
Alcæus 212.
Alcumena mater Herculis 213.
Alcumena Μιδεᾶτις ἠρωΐνη 202.
Alalcomenæ. 200.
Alexandrinorum regum voluntas erga doctos 57.

Ἄλις

Ἅλις. 164.
Ἁλίσαι. 164.
Almus filius ſiſyphi 202.
Alope. 236.
Alphæi. 225.
Alpheus. 221. 222.
Alxion 212.
Atlantis columnæ. 161.
Αμαθόεις 205.
Amathus 221.
Ambroſia, quæ. 161.
Αμβροσίη, quid ſit Grammaticorum nugis. 163.
ἀμβρόσιος ὕπνος. 161.
Ἀμέναρτος 193.
Amiclæ 220.
Amyntor. 240.
Ἀμφὶ. 187.
Amphiaraus 214. ubi terra abſorptus. 199.
Αμφιβρότης, 191.
Αμφιδρυφής. 237.
Amphigenia 223.
ἀμφικύπελλον 106. 107.
Ampimachus. 229.
Amphion 212.
Amphitryon 212.
ἄναξ Apollo 96.
Anaxagoras 213.
Ancaeus. 228.
Andania 239. 223.
Andromeda 212.
Ἀνδροφάγοι volucres. 228.
Ανέμοιο ναταιγὶς. 172.
Anemolia 205.
Anemoria. 205.
ἀνθερεὼν 104.
Animae diviſio Homerica 38.
Anthedon. 202.
Antibia 212.
Anticyra 203.
Antron. 236.
Ἀπία 92.
Apollo auctor poëſeos Homericae 29. 30.
Apollo Parrhaſius, ejuſque fanum. 228.
Apollonius Callimachi diſcipulus 57.
ἀποδειροτομεῖσθαι 101.
ἀποφθέγματα 39.
Aratus virtutis exemplum 217.
Arcades βαλανηφάγοι 225.
Arcades veteſtiſſimi Græciæ. 225.
Αρκάδες Προσέληνοι 225.
Arene 221.
Arethuſa 223.
Αργειφόντης 165.
Argivi Mycenas deleverunt. 216.
Argonautæ. 228.
Ἄργος urbs Peloponeſi. 210.
Ἄργος Αχαικὸν 210.
Ἄργος ἱππόβοτον 183.
Ἄργος Πελασγικὸν. 210.
Ἄργος πολυδίψιον 210.
Arguſa 240.
Arimi 244. 245.
Arisba 247.
Ariſtarchus, 206.
Ariſtarchus Ariſtophanis diſcipulus 57.
Ariſtodem filii 219.
Ariſtophanes Zenodoti & Callimachi diſcipulus 57.
Ἀρκάδας μιμεῖσθαι 226.
Ἅρμα 199.
Arne 201.
Ἀρχὴ. 163.
Aſcalaphum 203.
Aſcania palus 250.
Aſia, unde dicta 194.
Aſpledon. 202. 203.
Ἄσυ φωρονικὸν 210.
Aſtydamia 212.
Aſtyoche 203.

Ατάλαντος, quid 173.
Atarna 201.
Ἀταρνείτης 201.
Athenienſium civitas quomodo diſtincta 190.
Atreus 166, 213.
ἀτρύγετος 94.
ἀυερύειν 100.
Augea 206.
Augiæ 220.
Augias 229.
Aurora, quibus lucem afferat 163.
Αὐλὶς urbs & portus 186. ejuſque etymon. ibid.
Aulis 198.
ἀϋτὴ 103.
Αὐτοκασίγνητος 238.
Αὐτόματος 192.
Αυτοσαδίη 208.
ἀυτόχθονες 225.
Ἀχιλλεὺς unde dictus 63.
ἄΦενος 84.
Ἄφθονος 193.
Axius 248.
Azanes 225.

B.

Βαλύρα 223.
Barbæ militum reciſæ aliquando & cur. 207.
Belus Ægypti & Danai pater 211.
Beſſa 206.
βῆσσαι 206.
Boagrius fluvius 206.
Bocotiæ ſitus 197.
Βοὴν ἀγαθὸς 192.
Βοτρυδὸν quid hic 164.
Βουλὴ quid 163.
Βοῶπις Juno 173.
Βρυſſiæ 220.
Bupraſion 228.
Bura 217.

Γ.

Γαλαθηνὸς 86.
Γάμος 237.
Gelanor 211.
γέρα 179.
genua prehendere 104.
Geræſtum 206.
Γερήνιος Neſtor 187.
Γλάγος 195.
Glaucus Anthedonius 202.
Γλαυκῶπις, quare Minerva 173.
Gliſſas 200.
Γονόεσσα 217.
Gorgophone 173.
Gortyna 232.
Graecarum literarum commendatio 29. & ſeq. 146. & ſeq.
Græciæ nobilitas eſt Ægyptiaca 211.
Græcorum numerus 168.
Gryllus, filius Xenophontis 227.
Gygaea palus 250.
Γυναικαῖον 203.
Gyrton 240.

Δ.

Δαιμόνιος, quid notet 175.
δαὶς 64.
Danae filia Acrilii 211.
Dardanus 237.
Daulis 205.
Daunium fretum 207.
δειρὰς 103.
Demophon 213.
δέπας 106.
δημοβόρος 88.
Δικαστήριον 163.
Dion. 207.
Dionyſius Thrax Ariſtarchi diſcipulus 57.

Diſci

Diſci jactus 244.
Dodone 241.
Δόμος ἡμιτελὴς 237.
Δονόεσσα 217.
Domuſa 217.
Dorion 223.
Doris 231.
Δόρυ Agamemnonis ſceptrum 166.
Δῶρα 170.

E.

Echinæ 239.
Ἐγχέσπαλοι, qui 170.
Eleſium 200.
Ἐιρεσιώνη Homeri poëma 51.
ἐκαεργὸς 80.
Ἑκατόμπολις 232.
ἑκήβολος 80, 81.
Ἔκπονδος 189.
Ἐυχειρὸς 208.
Ελέγχιος 183.
Electra, filia Agamemnonis 166.
Electryon 212. 234.
Elei 225.
Eleënſium ductores 228.
Eleona 200.
Elis 206.
Elone 240.
Εναρίθμιος, qualis 175.
Endymion 228.
Ενιπὴ 180.
ἔντομα 101.
Ενύπνιον 163.
Ἐννὼ, quid denotet 233.
Επαιγίζειν? quid notet 172.
Epaphus 211.
Επεισόδια, quid 176.
Ephyra 216.
Επίγονοι 201.
Epicnemidii 205.
Epidauria regio 216.
Epidaurii 225.
Epirus 231, unde dicta ibid.
Epiſtrophus 203.
Epizephirii 205.
equi Theſſali praeſtantiſſimi 243.
Erechthei 208.
Erechtheus ſacra inſtituit 208.
Eretria 206.
Erginus filius Clymeni 202.
Eriphyle 214.
Erymanthus 222.
Ἑστία 169.
Eteocles 203.
Euboea 206.
εὐκνημίδες 68.
ἑυνὴ 99.
Ἑυρέα νῶτα Θαλάσσης 173.
Euripus 223.
Euryſtheus 212.
Eurotas 218, 222.
Ευρυάγυια 161.
Εὐρύχορος 199.
Euryſthenes 219.
Euryſtheus 213.
Eurytion 239.
Εὔσελμος 174.
Eutreſis 200.
εὐφημεῖν 68.
Execrationibus cur utamur 181.

Z.

Zachynthus 235.
Zeno Cittienſis ſcripſit quaeſtiones Homericas 38.
-- etiam commentarios in utrumque opus, 57.
Zenotus Homeri libros collegit & correxit 56.
-- auctor bibliothecae Alexandrinae inſtituendae, ibid.
-- Philetae diſcipulus, ibid.

Foedera quomodo ſancita 189.
Foedus icere, unde 167.

H.

HAliartus 200.
Halizones 249.
Halorium 223.
Haſtarum duplex uſus 207.
Helena, proneptis Perſei 173.
Helias 222.
Helice 217.
Hellas 236.
Helleborus ubi naſcatur 204.
Helos 220, 223.
Herocia facinora, quando exiſtunt 174.
Hercules Ἀλκείδης 212.
Heſiona 209.
Heſperii 205.
Hipparchus Homeri poëmata in Atticam deportavit 53.
Homerus Heſiodo prior 43.
Homeri origo 44.
-- aetas 45, 46.
-- patria ibid.
Homerus mendicando victum quaeſivit 45.
-- coecus ibid.
-- nominis etymon 46.
-- mors 46, 47.
-- ſepulcro epigramma inſcriptum 47.
A Bœotis cur Homerus orditur 197.
Hyampolis 205.
Hylen 200.
Hypatus mons 200.
Hypereſiæ 217.
Hypermneſta 211. ſuſcepit Abantem ibid.
Hypoplaciae 96.
Hyrie 198.
Hyrmine 228.
ἢ pro καὶ 78.
ἢ γὰρ 88.
Ἥλιος, cujus nomen? 229.
ἦμεν, ἦμην 76.
Ἥρα 73.
Ἡριγενείη 103.
ἥρως 77.
Ἡφαιστος 86, 87.

Θ.

ΘΈμιστες 176.
θεμιστεύειν 176.
θεοείκελος 79.
Θεσπεσίη 191.
Θεσπέσιον, quid ſit 194.
Θοαὶ 230.
Θρόνον 222.
Θυάδες 95.
θυμὸς ἀγήνωρ 182.
θωρήσσω 164.
θύτης 75.

I.

JAlmenus 203.
Jaſus 210.
Idomeneus 232.
ἱερεὺς 75.
ἱεροσκοπία 74.
ἵλαδον 164.
Ἱλὰς, quid 164.
Ἱλεὸς, quid ſit 161.
Ilium captum ſub Laomedonte 218.
Imperatoris prudentia in quo ſita 163.
Inachus 211.
Interpretes Homeri 57. & ſeq.
Jo 211.
Zephyri flatus vehementes 172.

Iolcus 234.
ἱπποβάται 206.
Ἱππότες Neſtor 287.
ἱπποκορυσταὶ 158.
ἵππυ 210.
Ἶρις 245.
ἰσία 99, 169.
ἰσοδόκη 99.
iſthmus 225.
ἴσος 99, 216.
Iſus 202.
Ithomen 239.
Jupiter a capra Amalthea educatus 87.
Jupiter μετιέτης 173.

K.

Καθάρματα, καθαρμοὶ 93.
καιάδα 219.
Καιέτα 219.
καιετὸς 219.
Calliaron 205.
καλαμίνθη 219.
Καλύδνα 235.
Καλύμνα 235.
Calydon 231.
κάρηνα 71.
carmen 50.
Carpathos 235.
Caryſtius lapis 207.
Caryſtos 207.
Καρηκομόωντες 161.
Καταιγὶς, quid ſit 172.
κατόρθωμα 167.
Κεῖος 235.
Celadon 222.
Cecropidæ 209.
Cecrops 208. 225.
Cephalenia 230.
Cephiſſides 200.
Cephiſſus 200. 205.
Cerinthus 207.
Cete 218.
Celeritatis utilitas 193.
κήδομαί σε pro σʒ 86.
Κήρυξ filius Mercurii 94.
Chalcis 206.
Chaeronea 201.
Chryſogenia 202.
Citra 204.
Κλεῖδες, quæ 174.
Κλειοῖ 227.
Cleonæ 217.
Κληὶς quid 164.
Clymenus 203. 202.
Κλώμακες 239.
Clitoria regio 227.
Κνημοὶ 198.
Κυίσσῃ 94. 101.
Κολοιὸς, cur ita dictus 178.
Coloſſus Rhodi 233.
Conjurationis formula 183 & 184.
Copæ 200.
Κοπὶς, quid 162.
Corinthus 116, unde dicta 217.
Corinthii 225.
Corinthi proverbium unde natum 216.
coronare pocula 102.
Coronea 200.
Coronus 241.
Corvorum inſula 227.
κορωνίδες naves 83.
Cos inſula 225.
κοσμεῖν 170.
κουρᾶς Θησηίδος nomen, unde deductum 207.
Cotta ſacerdos 208.
Canai ibid.
Crates Philoſophus Stoicus, interpres Homeri 57.
Criſſæus ſinus 204.

Criſſa 204.
Crotopus 211.
κύματα μακρὰ 171.
κύτελλον 107.
Cyanippus 214.
Cyclopes fabri 211.
Cyllene mons 226.
Cynurii 225.
Cynus 205.
Cyparisſus 203.
Cyphus mons Perrhebiae 241.
Cytorus mons 249.

L.

LAas 220.
Λάβρος 172.
Lacedæmon, nomen regionis 218.
Lacedæmonii 225.
Lacon 218.
Laconica 220.
Ladon amnis 227.
laena, quid 162.
Lais 216.
lanceæ 207.
Λαοὶ unde dicantur 66, 67.
Laperſæ 220.
Lariſſa Theſſalica 240.
Lebadea 201.
Lechæum promontorium 225.
Lemniſci poëmatium Homeri 51, 52.
λεπὶς 89.
λέπος Ibid.
Leucippus 239.
Λευκάργιλος 240.
Leuctrica pugna 217.
Leytus dux Bocotiæ 198.
Libye 211.
Ligymnus 234.
Lilaea 205.
Limone 240.
Leleges 218.
Locri 295.
Lotus arbor & herba 244.
λύματα 93.
Lycaones 225.
Lycii 251.
Lyctus 232.
Lycurgi genus 228.
Lynceus 211.
Lyſidice 212.
Λωβητὴρ ἑπεσβόλος 182.

M.

MAchaon 239.
Maciſtia 223.
Maeander 251.
Maja 226.
Μαινάδες 95.
Μάιονες 250.
Μακρὶς 206.
Maliacus ſinus 204.
Malienſis ora 206.
μαντεῖα 74.
Mantinea 227.
Mars ſuſcepit geminos ex Aſtyoche 203.
Martius, deus Ἐνυάλιος 233.
matutini temporis deſcriptio 163.
μαχαίρα 162.
μέγα σῆμα 187.
Mecone 217.
Megapenthes 211.
Medeon 200.
Meliboea 238.
Menedemi familia philoſophica. 206.
Meneſteus 209.
μένος 87.
Menſae num veteribus poſt coenam ablatae fuerint 102.

Mercurius, Cyllenius unde dictus 226.
Mercurius, nuncius 165.
Mercurii ſtella σιλβέσα 165.
μέροπες 90.
merulæ candidæ 226.
Meſabion 202.
Meſſe 219.
Meſſene 200.
Meſſenii 225.
Meſſoa 219.
Meſtor 212.
μετάφρενον 181.
Methone 238.
μῆτις 86, 174.
μῆχος, quid notet 190.
Midea 201. 212.
Miletus 250.
Minerva, amicum numen Græcis 193.
Minervae numen invocatur 167.
Minervae deſcriptio 233.
Minya filius Chryſae 202.
μοῖρα 92.
mola ſalſa 100.
moneta tridente ſignata 215.
monetæ nulla mentio apud poëtam 193.
montium & aquarum altitudo in quantum extenditur 226.
Mycale 251.
Mycaleſſus 199.
Mycenae 211, 216.
Myletes 218.
Mynetes 236.
Myrmidones 236.
μύκη 212.
μύριοι 194.
Μυσοὶ 249.
μῶλος Ἄρηος 192.

N.

Narratio quid 47.
Navium Græcarum numerus 168.
Neptuni Heliconii fanum 217.
Neptunus, ἵππιος eſt 183.
Neptunus Pater Beli 211.
Neptunus Eleus 229.
Neptuni templum 201.
Nerei filiae quinquaginta 96.
Neritus mons 230.
Neutra adverbialiter uſurpantur 65.
νηγάτεος 161.
νήδυμος ὕπνος 158.
νήπια τέκνα 187.
Νήρικος urbs Epiri 230.
Nicippe 212.
Nigropontum 206.
Niobe 212.
Niſa 202.
Niſyrus 235.
νοσφίζομαι 164.

Ξ.

Xanthus 210, 251.
Ξίφος 162.
Xuthus 215, 326.

O.

Ocalea 200.
Ocbalus 221.
Occhalia 224, 239.
Oenei gener. 231.
Oenomaus 212.
οἰνοχοεῖν 108.
Οἰτυλος 220.
οἰωνίζειν 75.
Oleum ἀμβρόσιον 161.
Olympiani 250.

Olympus mons 226, 238.
Olizon 238.
Ὁμηρίδαι 47, 156.
Ὁμηριςαι 54.
Onchestus 200, 201.
ὀνειροκριτικὴ 74.
ὄνειρος 159.
Opus Patroclis patria 205.
Orchomenii 227.
Oreos 207.
Orestes primum occupavit urbem Argos 173.
Ormenus 240.
Ὁρμήματα 190, 221.
Orneæ 217.
Orthe 240.
Ossa 238.
ὀλὴ 159.
ὄλιος ἀςὴρ ibid.
ὀλόχυται 100.
Ὄψ 183.
Ozolae 205.

P.

PAeones 248.
παιὰν, παιὼν 102.
Παλεῖς 230.
Πάλλας unde 86.
Pallene 217.
Paludamentum 162.
Pamissus 221.
Pan Tegeaeus 227.
Παναθήναια 208.
Pandion ibid.
Panis coctura à quo reperta 210.
Panopeus 205.
Paphlagonia 249.
Paphus, Cypri urbs, à quo condita 228.
παράσπονδος 189.
παρειπεῖν 105.
Parium 247.
Parrhasia 228.
pastores populorum vocantur reges & principes 92.
Pausanias 225.
Πέδιλον 162.
Pelasgi unde dicti 225, 235.
Pelasgus 210.
Pelasgus terrigena, tunicarum pellicearum inventor 225, ostendit glandium fructum hominibus. ibid.
Peleus 209.
Pelias 238.
Pelion 226.
Pellene 217.
Πελληνικαὶ χλαῖναι 217.
Peloponesus unde nomen traxit 212.
Pelops ibid.
Pelops equestris 165.
Πελώριος 187.
πεμπώβολα 101.
πενέσαι 94.
Πέτονες, quidam 180.
Percote 247.
Περιτροπέων annus 184.
περιψήματα 93.
πηρὸς 224.
Perseus nepos Acrisii 211.
pestis tempore qui ritus observarentur 93.
Petra olenia 228.
Πετῶμαι 164.
Pheræ 202, 238.
Pheres 239, 243.
Phaestus 232.
Philomela 205.
Phlius 217.
Phocus 209.
Phorbas 210.
Phoroneus 173.

Phryne 198.
Phryxi nepos, quis 202.
Phryxus 233.
Phthia ſedes regia 236.
Phylace 236.
Pirene 216.
Plateae 200.
Pirithous 90, 240.
Piſiſtratus Homeri libros diſpoſuit 53.
Pityea 247.
Phocus auctor Phocenſium. 203.
πλάτη, quid denotet 200.
pluralis numerus etiam de duobus dicitur, 68.
poena perjurorum numinum 242.
πόιημα 50.
ποίησις 50.
πολυκλήϊς 164, 174.
πολυδίψιον 210.
πολυΐψιον 210.
Polydora 237.
Practium 247.
praecones ſacroſancti & inviolabiles 94.
--- nuntii Jovis & hominum ibid.
Presbonis filius, quis 202.
Proetus 211.
Proteſi laus 237.
πρυμνήσια 102.
Pſamathe 209.
Ptelea 236.
Pteleon 223.
πτολίπορθος quis 182.
Ptolomaeus Euergetes correctiones Homericas edidit 57.
Πυνικὴ βολὴ quae 163.
Πύρασον 236.
Pyraſus 236.
Pyli tres 221.
Potniae Thebae 201.
Pythia ſacerdos 204.
Python â πυθέσθαι dicta 204.

R.

ῥαψῳδοὶ 53, 54, 156.
Reges & principes vocantur paſtores populorum 92.
regnum, cur ab ipſo Jove per Mercurium deducatur p. 165.
Rheſus 248.
Rhodii ſuperbi 233.
Rhodus inſula, quale nomen olim 233.
Ῥυπόωντα 193.
Ῥωγαλέα, ibid.

S.

SAcramentum Imperatori datum 183.
Samicum 221.
Σάμος 230.
Sarpedon filius Jovis & Europae 251.
Scarphe 206.
Schedius 203.
Sceptrum eburnum 163.
Scipio principatus inſigne, & quare 162.
Scipiones regum conſpicui 163.
Scolus 198.
σέλματα 174.
ſenſus mellitus 161.
Seſamus 204.
Seſtus 247.
Σῆπα ſerpens venenatus 227.
Sicyon 205, 217.
Sicyonii calcei 217.
Σιμόεις 205.
Σίντιες 107.
Siſyphus 200.

σκηπτοῦχος βασιλεὺς 163.
σκῆπτρον 67.
σκῶλος ſpinarum appellatio 198.
σμερδαλέον 187.
Σμινθεὺς 69.
σπάρτα 170, 218.
Sparta, Eurotæ filia 218.
Spartiates 218.
Σπάθη 162.
Spartum 170.
Σπονδαὶ 189.
Sporades 235.
Sthenelae 211.
ςαδίη 208.
ςέμμα 67.
Sthenelus 212.
ςεῦτὸ 224.
στιχάω 164.
Strabonis aetas, quando incidit 230.
Στροφάδαι 235.
Studiorum laus 146. & ſeq.
Stymphalides boves 228.
Stymphalus 227.
Styra 207.
συνθεσίαι ſunt συνθήκαι 188.
ſupplicantium geſtus 104.
συςάδην 208.
Syme 234.
Syracuſæ 216.
σχέτλιος 167.

T.

TAigetus 219.
Τάλαντα, quæ 173.
Talantia 207.
Talaria 162.
ταράσσεσθαι 164.
Τάρνη 201.
Tarphe 206.
Tegea 227.
Telamon 209.
Telamonius 206.
Telon 235.
Tetea 205.
Tereus ibid.
τερπικέραυνος 98.
Thamyris 223.
Thaumacie 238.
Thebae 201.
Thebae Ciliciae 96.
Therſander 200.
Therſites 176, 181.
Therſites vanus & ridiculus 178.
Theſeus 208.
Theſpiæ 200.
Theucer 209.
Thisbe 200.
Thronium 206.
Thryoëſſa 222.
Thyeſta 166.
τιμὴ 82.
Tiria 247.
Tiryns 215.
Tiryntha 212.
Tiſamenus 215.
Τίτανος 240.
Tlepolemus 233.
Tmolus 250.
Trachis 236.
Tricca 239.
Triopas 210.
Triphylia 221.
τριτοπάτερες 97.
Trojanorum paucitas 168.
Trophonii oraculum 202.
τρύω, quid notet 173.
τύφεσθαι 245.
Tydeus 214.
Tyndareus, Oebali filius 173.
Tyrintha 211.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

V.

VEneris ἀναδυομένης tabula Apellea 235.
Veſta, in quo olim honore 169.
Veſtae ignis 169.
Veſtae juramentum de virginitate ſervanda ejuſque præmium 170.
vinum in ſacris profundi ſolebat 189.
vinum mixtum bibebant veteres Graeci 108.
Ulyſſes πολύμητις 174.
ὑπερῶον 203.
ὑποβλήδην 93.
ὑποθήβαι quem ſenſum admittat 201.
ὑπόσπονδος 189.

Φ.

ΦΆρος quid 161.
Φάσγανον 162.
Φλιάσιος 205.
Φλιῆς ibid.
Φοῖβος 70.
Φοινίκιος 200.
Φοινὸς 187.
Φολκὸς, quis 178.
Φοξὸς 178.
Φρήτρα ſive Φρατρία 190.
Φυλὴ, quid fuerit in re militari 190.

X.

XΑλκὶς 231.
Χέρνιβος 99.
Χέρνιψ 99.
Χθὲς καὶ πρώην, cujus ſignificationis apud auctores 185.
Χιτὼν Ἑλληναῖος 217.
Χιτὼν, quid ſit 161.
Χλαῖνα 162.
Χλαμὺς ibid.
Χορὸς 50.
ὥρη 194.

FINIS.

HARDEROVICI,

Apud Viduam & Filios ALB. SAS, Academiæ Ducatûs Gelriæ & Comitatûs Zutph. Typogr. Ord. cIↃ IↃCCII.

Anthonius Van Eijk Ao 1766

9

lbr 1152861

M. 137.